GARD

R. 69918
1 Completo 1 y 2 R 2810

Las Revelaciones de esta Santa son interesantes.
Sigue en este Volumen la Vida de la Venerab Manana
de S. Josef con descrip curiosa del Monas de la Encarna

REVELATIONES
SS. Virginum

HILDEGARDIS
&
ELIZABETHÆ
SCHOENAVGIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI

In Martyrologium Romanum relatarum

EX ANTIQVIS MONVMENTIS EDIT.

Vnà cum variis Elogiis ipsius Ecclesiæ
& Doctorum Virorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex officina BERNARDI GVALTHERI Bibliopolæ.
M. DC. XXIIX.
Cum facultate Superiorum.

HILDEGARDIS
DE
ELIZABETHÆ
SCHOENAVGIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI

Vita cum variis Elogiis ipſius Eccleſiæ & Doctorum Virorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
APVD BERNARDVM GVALTHERIVM Bibliopolam.
M. DC. XXIX.
Cum Facultate Superiorum.

DE S. HILDEGARDE
SANCTIMONIALI EX ORDINE S. BENEDICTI
ELOGIA
Quædam Eccleſiæ ac Doctorum Virorum.

EX MARTYROLOGIO ROMANO 17. Septembr. I.

APVD Bingam in diœceſi Moguntinenſi ſanctæ HILDEGARDIS Virginis.

Baronius *ibidem.* Claruit circa annum 1160.

EX DOM. IOAN. MOLANO in addit. ad Vſuard. 17. Sept. II.

Apud Bingam ſanctæ Hildegardis Virginis, quæ tempore S. Bernardi Abbatis odorem ſuæ ſanctitatis latè ſparſit.

EX MARTYROL. R. P. PETRI CANISII S. I. 17. Septemb. III.

Bingæ in Epiſcopatu Moguntino depoſitio S. Virginis & Abbatiſſæ Hildegardis, quæ tempore S. Bernardi & Conrardi II. Imp. ſanctitatis nomine admodum celebris erat, adeò vt tres ſummi Pontifices, Eugenius III. Anaſtaſius IV. & Adrianus IV. ad eam litteras dederint, ſeq; ipſos atque Eccleſiam Romanam eius precibus commendârint. Hæc cum quinquennis eſſet (anno 1140.) monaſterium ingreſſa, ſtatim cœpit ieiuniis atque orationibus Deo deſeruire. Poſtmodum Viſiones admirandas habuit ac Reuelationes diuinas, & quamuis linguam Latinam non didiciſſet, tamen ex ſancti Spiritus dono Scriptoribus ipſis, qui excíperent, præſcribebat. Denique in Monaſterio Montis S. Ruperti, quod ipſa fundauerat, eiq; per annos quadraginta Abbatiſſæ munere præfuerat, ſanctè diſceſſit, atque ibidem ſepulta eſt multis clara miraculis.

EX MARTYROL. DOM. ARNOLDI DE WION 17. Septemb. IV.

Apud Bingam depoſitio S. Hildegardis Virginis, & Abbatiſſæ, quæ tempore S. Bernardi Abbatis odorem ſuæ ſanctitatis latè ſparſit.

Idem D. Arnol. Wion *li. 5. Ligni vitæ in Ramo 9. Arboris,* qui eſt de Prophetia, hęc addit.

Sancta Hildegardis cum eſſet annorum quadraginta duorum, tanto diuini amoris igne, tantaq; Spiritus S. gratiâ viſibiliter inflammata & repleta eſt, vt ſtatim omnium Catholicorum librorum ſeriem tam veteris quam noui Teſtamenti ad integrum intelligeret, cum tamen ante, prętęr Pſalterium, nihil didiciſſet. Cuius ſcripta & Prophetiæ tantæ auctoritatis fuerunt, vt agente S. Bernardo Abbate Clareuallen. Eugenius Papa III. in Concilio Treuirenſi Cardinalibus 18. & Prelatis multis præſentibus, publicâ ſententiâ confirmarit; & tam ipſe quam eius ſucceſſores, Anaſtaſius IV. Adrianus IV. Alexander III. ſcriptis eam crebrius viſitarint, ſe ac Rom. Eccleſiam eius orationibus commendantes.

EVGENII II. SVMMI PONTIFICIS ex c. 4. vitæ S. Hildeg. apud Sur. 17. Sept. V.

In Concilio Treuirenſi, poſt auditam R.mi Verdunenſi Epiſcopi & aliorum Commiſſariorum relationem iubet Papa repræſentari ſcripta beatæ Hildegardis, quę ſibi de prędicto cœnobio perlata ſuſceperat, & ex manibus propriis tenens, ipſeq; recitatoris vice functus, Archiepiſcopo & Cardinalibus, omnibuſq; qui de Clero aderant, publice legit, ac reſponſa virorum, quos ad hæc indaganda miſerat, pronuntians, omnium mentes & voces in laudem Conditoris & congratulationem excitauit. Aderat etiam ibidem ſanctæ recordationis Bernardus Abbas Clareuallis, quo mediante, cæteriſq; annitentibus monebatur ſummus Pontifex, ne tam inſignem lucernam ſilentio tegi pateretur, ſed

gratiam tantam, quam tempore ipsius Dominus manifestare vellet, suâ authoritate confirmaret. Ad hæc R. Pater Patrum tam benigne, quam sagaciter assensum præbens, litteris salutaribus beatam Virginem visitauit, in quibus concessa sub Christi & beati Petri nomine licentia proferendi, quæcunque per Spiritum sanctum cognouisset, eam ad scribendum animauit.

IOANNIS SARISBERIENSIS, ex Tomo 12. Baronij, Anno 1148. n. 33.

VI. Visiones & oracula beatæ illius & celeberrimæ Hildegardis, quæ apud vos sunt, *mittite scilicet*, quæ mihi commendata est & venerabilis, quod eam Dom. Eugenius specialis charitatis affectu familiarius amplectebatur.

EX IOAN. TRITTHEMIO lib. de Scriptorib. Eccles.

VII. Hildegardis Sanctimonialis Abbatissa Monasterij S. Ruperti Confessoris, virgo sanctissimæ conuersationis, & à pueritia sua diuinis Reuelationibus illustrata, multis in vita sua miraculis claruit, & odorem sanctitatis in longinquas regiones diffudit, adeo vt Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. & Alexander III. Rom. Pontifices eam scriptis suis visitantes, & se & Rom. Ecclesiam orationibus eius commendarent. Eugenius quoque III. in Concilio apud Treuirim habito, S. Bernardo & multis Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, & Clericis præsentibus, libros huius virginis publicè coram omnibus lectos approbauit, tanquam diuinitus inspiratos, & Catholicæ fidei consentaneos, & vt cœpto perseueraret in proposito, epistolis Apostolicis admonuit.

His similia idem refert *lib. 2. de viris illustr. Ord. S. Bened. c. 119. & l. 3. c. 334.* addit eam ex nobilibus parentibus ortam fuisse, atque Angelicis Reuelationibus ab ipsa pueritia recreatam. Quę quo plus affligebatur in corpore, eo amplius proficiebat in mente. Crebris enim Reuelationibus angelicis consolabatur ægritudinem carnis. Sub eius monasterio maxima disciplina regularis vitæ in præfato cœnobio vigebat; adeo, vt Romani Pontifices, Imperatores, Reges & Principes, fœlices se iudicarent, si orationum Hildegardis & virginum eius mererentur esse participes. Miranda de hac sacra virgine leguntur, quæ non est huius operis vel temporis replicare.

VIII. *EX CHRONICO MONASTERII HIRSAVGIENSIS Anno 1150.*

S. Virgo Hildegardis ab infantia diuinis Reuelationibus, visitata, cum præter Psalterium & simplicem psalmodiam Latini sermonis ab homine nec artem didicisset, nec vsum haberet, mirabiliter tamen Spiritus S. gratiâ illustrata, multa scripsit, multa dictauit, partim Latino partim Teuthonico distincta sermone, quæ non humano sensu aut intellectu, sed diuino potius afflatu didicit, & ideo non nisi à spiritualibus scripta eius intelligi possunt. Scripsit autem librũ magnum & multę subtilitatis quem Scivias prænotauit. *Et infra paulò post.* Omnibus enim consolationem Spiritus S. ab ea quærentibus aut verbum sanctæ admonitionis postulantibus, scriptis & orationibus succurrere consueuit, & nullum vnquam quantumcunque debilem, abiectum vel pauperem despexit. Multis tam in vita, quam post mortem miraculis claruit, & infirmos quolibet modo grauatos ad se confluentes orationibus in Christi nomine curauit.

IX. *EX CHRONICO SPONHEIMENSI Anno 1179.*

S. Hildegardis virgo Christi, Fundatrix & Magistra Cœnobij S. Ruperti iuxta *Bingen*, 15. Kalen. Octob. moritur, anno ætatis suæ LXXXII. Indictione XIII. sepulta cum magno honore ante maius altare præfatæ Ecclesiæ, astantibus multis honorabilibus personis & tota congregatione. Hæc sancta virgo diuinis Reuelationibus visitari à iuuentute sua meruit, ex quibus multa, iussione diuina ad vtilitatem posterorum conscripsit. Verum cum esset Latini sermonis ignara, & præter simplicem psalmodiam nihil ab homine didicisset, interno Spiritus S. magisterio edocta, omnem scripturam, positionem seu constructionem orationis perfectè intellexit. Reuelationes autem suas vt visiones cœlestes partim Latino, partim Theutonico protulit eloquio.

X. *EX NAVCLERO in suis Chronicis vol. 2. gener. 39.*

In hac etiam generatione erat admirabilis quædam virgo in Rheni partibus in oppido *Bingen* Sanctimonialis: Rapta enim frequenter in somnis didicit non solum quod verbis effunderet, sed etiam quod scribendo Latinè dictaret. Multa fertur prædixisse de futuris, ad quam etiam S. Bernardus scripsit.

His consentanea legi possunt apud Petrum *in Catalogo lib. 5. c. 39.* apud Vincentium Beluacensem *in specul. histor. lib. 27. cap. 83.* atque apud Posseuinum *in Apparatu sacro.* R. P. Nicolaum Serarium Soc. IESV *lib. 2. c. 37. de reb. Mogunt.*

DE S. E-

DE S. ELIZABETHA
SCHOENAVGIENSI SANCTIMONIALI ORD. S. BENEDICTI
ELOGIA
Quædam Eccleſiæ ac Doctorum Virorum.

I.

EX MARTYROL. ROM. 18. Iunÿ.

SCHONAVGIAE, ſanctæ ELIZABETH Virginis, monaſticæ vitæ obſeruantiâ celebris.

II.

EX D. IO. MOLANO in addit. ad Vſuard. 18. Iunÿ.

Schonaugiæ obiit Elizabeth, Virgo Sanctimonialis, cui multa ſecreta à Domino ſunt reuelata.

III.

EX MARTYROL. GERM. R.P. PETRI CANISII S.I.

Beatæ memoriæ Virgo Deo dicata Elizabetha Schœnaugienſis, cui multa diuina myſteria reuelata ſunt, mundum à prima ætate deſeruit, Deo ſeruiens in ieiuniis atque orationibus aſſiduis, corpus virgineum, atque incontaminatum duris flagellis exercebat mirabiliq; potentiâ prædita, variè à Deo viſitabatur atq; illuſtrabatur. Eximium librum conſcripſit, diuinis ac ſalutaribus exhortationibus refertum: Chriſto ſponſo ſuo iuncta intimè adhærebat, omnibusq; Spiritus S. inſpirationibus ſine vlla contradictione obſequebatur. Deceſſit tandem in pace anno 1156. cum eſſet annorum viginti & vnius. *vel potius anno 36. vt tradit Ioan. Trithemius & Arnoldus Wion.*

IV

EX MARTYROL. DOM. ARNOLDI DE WION 18. Iunÿ.

Schonaugiæ, S. Elizabethæ Virginis & Abbatiſſæ, monaſticę vitę obſeruantiâ celebris, cui multa ſecreta à Deo ſunt reuelata. Migrauit è vitâ anno Domini 1165. ætatis ſuæ 36. conuerſionis 24. viſitationis diuinæ 13 ſepulta eſt in monaſterio S. Florini.

Idem Arnoldus Wion plura addit *lib. 5. cap. 87. in ramo arboris, Anno qui eſt de prophetia, dum ait*: Ea eſt S. Elizabeth virgo, & Abbatiſſa Schonaugienſis monaſterij, in finibus Treuirenſium, non procul à Rheno in Hercinia ſylua conſtituti, Ordinis S Benedicti, Congregationis Cluniacenſis iam reformatæ, quæ tanquam altera Elizabeth, Spiritu S. plena, præcurrentem Domini iram in filios hominum vt diuinitus cognouit, ita & diuino quodam modo poſteris manifeſtauit. Anno enim ętatis ſuę 23. religionis aſſumptę, viſitata à Domino ſpatio annorum tredecim, tot enim ſuperuixit, mirabiles Reuelationes habuit, quæ nunc Germanico, nunc Latino ſermone, cuius tamen expers erat omino, pronunciatæ præſentiam illius, qui linguas infantiam facit diſertas, & aperit ora mutorum in ea adeſſe demonſtrauit.

V.

TESTIMONIVM ANGELI ex lib. 2. Reuel. Elizab. c. 6.

Hic eſt liber viarum Dei, qui per te reuelandus eſt quando viſitaueris ſororem Hildegardim & audieris eam.

VI

TESTIMONIVM S. HILDEGARDIS ex Epiſt. ad Elizab.

Audi, ô filia ſolicita, quia homines, quos inſpiratio Dei imbuit, aliquantum fatigat ambitioſa ſuggeſtio antiqui ſerpentis, fatigat illam multis miſeriis &c. qui opera Dei perficere deſiderant, ſemper attendant quod fictilia vaſa ſunt, quoniã homines exiſtunt & ſemper adſpiciant quid ſint, & quid futuri ſint, & cœleſtia relinquant illi, qui cœleſtis eſt, quoniam ipſi exules ſunt, cœleſtia neſcientes, ſed tantum myſtica Dei canentes: ſicut tuba, quæ ſolum modo ſonos dat, nec operatur, ſed in quam alius ſpirat, vt ſonum reddat. Sed & loricam fidei induant milites, manſueti, pauperes & miſeri exiſtentes, ſicut etiam agnus ille fuit, cuius ſonus tubæ ipſi ſunt, mores etiam ſimplices infantis habentes quia Deus illos ſemper flagellat, qui in tuba ipſius canunt præuidens ne fictile vas illorum pereat O filia, Deus faciat te ſpeculum vitæ.

VII

EMICHONIS ABBATIS LAVDATIO ex lib. Bibl. Schœnaug.

Emicho (inquit Io. Trith. lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſt.) Abbas Schœnaugienſis,

Salue felix Elizabeth odorifera roſa,
In Dei mirabilibus virgo ſatis famoſa.
Salue viarum Domini deuota contemplatrix,
Simulq; indiuiduæ Trinitatis amatrix.
Salue Mariæ Virginis filia ſingularis;
Nam ab ea in extaſi crebro viſitabaris.
Salue cuius aſpectui Sancti apparuêre;
Nam eos feſtis ſingulis meruiſti videre.
Salue fons plenus, riuulus ſcientiæ diuinæ,
Guttas ſtillans melliſluas Deificæ doctrinæ.
Salue vernãs arbuſcula ſyluæ Schœnaugienſis,
Circondata ramuſculis Viſionum immenſis.

Salue cui cœli ianuæ apertæ videbantur,
Secretaq; cœlestia inibi monstrabantur.
Salue absq; ruga speculũ, in quod desiderabant
Cœligenæ prospicere: nam multũ te amabant.
Salue quæ clausa pyxide sacramenti vidisti
Clam veræ carnis speciẽ corporis Iesu Christi.
Eia nunc benignissima in cœlis sublimata
Quæ es (vt pie credimus) sis nobis aduocata.
Defende hoc cœnobium, nosq; inhabitantes
Mei, rogo, memineris, noscęq; te amantes.
O virgo, fac vt iugiter religio accrescat
In nostro monasterio, ne profectu decrescat.
Repelle, quæso, dæmonum cunctas illusiones,
Angelorumq; nobis optime munitiones.
Cuncta nobis contraria tua ora mitigari
Prospera quoq; tempora exopta nobis dari.
O virgo deuotissima virtutibus decora
Apud Deum altissimum rogamus elabora;
Vt nos ad se recipiat cum hinc egrediemur
Præstet q; nobis præmiũ quo æterne lætemur
Deo Patri sit gloria eiusq; sacro Nato
Aequalisq; Spiritui gloria sit beato. Amen.

O sponsa Christi nobis, O mater venerabilis, intercede pro nobis ad Dominum, Regem Angelorum, quem semper puro corde dilexisti, in cuius amplexibus sine fine permanes, vt remittat nobis omnia quæcumque in ipsum peccauimus, tribuens nobis feruorem amoris sui sanctissimi, & post exilium breuissimæ vitæ, mansionem cœlestis habitaculi. Amen.

Subueni nobis Elisabeth virgo sanctissima Æterni Regis sponsa nobilissima, in cuius aula splendescis, sicut stella fulgentissima. Esto miseris refugium in omnibus necessitatibus & tribulationibus. Amen.

VIII. *IOAN. TRITTHEMII lib. de scriptorib. Eccles.*

Elizabeth sanctimonialis fœmina & Abbatissa cœnobij virginum Christi, quod æque Schœnaugia dicitur, & monasterio virorum quasi contiguum esse cernitur, virgo sanctissimæ conuersationis fuit, & ab infantia sua Domino consecrata, multis & probatis reuelationibus illustrari diuinitus meruit, quas ad ædificationem fidelium iussa litteris commendauit, è quibus legi subiecta: Opus pulcherrimum & non inutile, quod VIARVM DEI titulo prænotauit, in quo triplicem viam sanctorum descripsit, videlicet Martyrum, Confessorem & Virginum. Item de XI. Mille Virginibus apud Coloniam Agrippinam sancto martyrio coronatis.

Similia habet idem Tritthemius *lib. 2. de viris illustr. Ord. S. Benedicti c. 320. & lib. 3. c. 335.* addit: Anno 11. conuersionis suæ, ætatis vero 23. incepit manus Domini operari cum ea, ita vt deinceps vsque ad finem vitæ suæ multas & varias reuelationes habuerit, & hoc maxime diebus Dominicis atque festiuis, tempore diuinorum officiorum in choro, vbi maior omnium feruebat deuotio. *Et infra.* Nouimus hanc filiam dilectam à Domino, nec de mentis eius synceritate dubitamus, cuius & vitam & dicta, in multis argumentis legimus comprobata.

IX. *EX CHRONICO HIRSAVGIENSI.*

Anno Domini 1165. sancta & Deo dilecta virgo Elizabeth monialis, magistra virginum Christi in Schœnaugia anno ætatis suæ 36. conuersionis ad ordinem 24. visitationis cœlestis gratiæ 13. Vocante Domino, ex hoc mundo transiuit ad sponsum suum quem puro corde semper amauit, sepulta in monasterio virorum ibidem, in Ecclesia principali ad Aquilonem: cuius vitam, conuersationem, miracula & Reuelationes frater eius Eckbertus ad multorum ædificationem descripsit.

X. *EX CHRONICO SPONHEIMENSI.*

Anno 1164. S. Elizabeth virgo monialis, & magistra in Schonau transiuit ex hoc mundo ad Dominum XIV. Kal. Julij, Anno ætatis 36. visitationis autem superni luminis sancti in Reuelationib. decimo tertio, feria VI. hora 9. de mane.

XI. *EX BAPTISTA FVLGOSIO lib. 8. cap. 3.*

Elizabetha Schœnaugiæ Abbatissa, apud Tremiros (seu in diœcesi Treuirensi) Latine permulta, quæ diuinitus monita est, conscripsit, itemq; suasorias orationes ad Conuentus sui Sorores &c. Opus etiam DE VIIS, quibus ad Deum inceditur, ac eruditissimarum Epistolarum Volumen.

XII. *EX R. P. FRANCISCO RIBERA in vita Teresæ lib. 1. cap. 1.*

Eadem tempestate (qua S. Bernardus) florebat S. Elizabetha cœnobij Schœnaugiensis Antisteta, sanctitate illustrationibusq; diuinis notissima. Interui sebant eam namq; frequenter & ipse Redemptor Iesus, ac cœli terræq; Regina, nec non sanctus Ordinis auctor Benedictus, ac potissimum Angelus tutelaris. Erat illi solenne Dominicis Festisque diebus, extra se rapi, & obscurissima S. Scripturæ sensa clarissime exponere.

S. HILDEGARDIS VIRGINIS
OPERIS
QVOD APPELLAVIT
SCIVIAS
PROOEMIVM.

ECCE quadrageſimo tertio temporalis curſus mei anno, cum cœleſti viſioni magno timore, tremula intentione inhærerem, vidi maximum ſplendorem, in quo facta eſt vox de cœlo ad me dicens: O homo fragilis, & cinis cineris & putredo putredinis, dic & ſcribe quæ vides & audis. Sed quia timida es ad loquendum, & ſimplex ad exponendum, & indocta ad ſcribendum ea, dic & ſcribe ea non ſecundum os hominis, nec ſecundum intellectum humanæ adinuentionis, nec ſecundum voluntatem humanæ compoſitionis ſed ſecundum id quod ea in cœleſtibus deſuper in mirabilibus Dei vides & audis: ea ſic ediſſerendo proferens, quemadmodum & auditor verba præceptoris ſui percipiens, ea ſecundum tenorem locutionis illius, ipſo volente, oſtendente & præcipiente propalat. Sic ergo & tu ô homo dic ea quæ vides & audis, & ſcribe ea non ſecundum te, nec ſecundum alium hominem, ſed ſecundum voluntatem ſcientis, videntis & diſponentis omnia in ſecretis myſteriorum ſuorum. Et iterum audiui vocem de cœlo mihi dicentem: Dic ergo mirabilia hæc, & ſcribe ea hoc modo edocta, & dic: Actum eſt milleſimo centeſimo quadrageſimo primo filij Dei IESV CHRISTI incarnationis anno, cum quadraginta duorum annorum ſeptemq; menſium eſſem, maximæ coruſcationis igneum lumen aperto cœlo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor totumq; pectus meum velut flamma non tamen ardens ſed calens ita inflammauit, vt ſol rem aliquam calefacit ſuper quam radios ſuos immittit. Et repente intellectum expoſitionis librorum videlicet Pſalterij, Euangeliorum & aliorum Catholicorum tam veteris quam noui teſtamenti voluminum ſapiebam: non autem interpretationem verborum textus eorum, nec diuiſionem ſyllabarum, nec cognitionem caſuum aut temporum callebam. Virtutem autem myſteriorum, ſecretarum & admirandarum viſionum à puellari ætate, ſcilicet à tempore illo cum quinquennis eſſem vſque ad præſens tempus, mirabili modo in me ſenſeram, ſicut & adhuc, quod tamen nulli hominum exceptis quibuſdam paucis & religioſis qui in eadem conuerſatione viuebant qua & ego eram, manifeſtaui: ſed interim vſque ad id temporis quo illud Deus ſua gratia manifeſtari voluit, ſub quieto ſilentio compreſſi. Viſiones vero quas vidi, non eas in ſomnis, nec dormiens, nec in phreneſi, nec corporeis oculis aut auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepi: ſed eas vigilans, circumſpiciens in pura mente oculis & auribus interioris hominis, in apertis locis ſecundum voluntatem Dei accepi. Quod quomodo ſit, carnali homini perquirere difficile eſt. Sed puellari meta tranſacta, cum ad præfatam ætatem perfectæ fortitudinis perueniſſem, audiui vocem de cœlo dicentem: Ego lux viuens, & obſcura illuminans, hominem quem volui, & quem mirabiliter ſecundum quod mihi placuit excuſſi in magnis mirabilibus vltra modum antiquorum hominum qui in me multa ſecreta viderunt poſui: ſed in terram ſtraui illum, vt ſe non erigeret in vlla elatione mentis ſuæ. Mundus quoque non habuit in eo gaudium, nec delectationem, nec exercitationem in rebus illis quæ ad ipſum pertinent quia eum de pertinaci audacia abſtraxi, timorem habentem, & in laboribus ſuis pauentem. Ipſe enim in medullis & in venis carnis ſuæ doluit, conſtrictum animum & ſenſum habens, atque multam paſſionem corporis ſufferens, ita quod in eo nulla ſecuritas habitauit ſed in omnibus cauſis ſuis ſe culpabilem æſtimauit. Nam ruinas cordis eius circumſepſi, ne mens ipſius per ſuperbiam aut per vanam gloriam ſe eleuaret, ſed magis in omnibus his timorem

morem & dolorem quam gaudium aut petulantiam sentiret. Vnde in amore meo scrutatus est in animo suo, vbi illum inueniret qui viam salutis curreret. Et quendam inuenit & eum amauit, agnoscens quod fidelis homo esset & similis sibi in aliqua parte laboris illius qui ad me tendit: tenensque eum simul cum illo in omnibus his per supernum studium contendit, vt absconsa miracula mea reuelarentur. Et idem homo super semetipsum se non extulit, sed ad illum in ascensionem humilitatis & in intentione bonæ voluntatis quem inuenit, se in multis suspirijs inclinauit. Tu ergo ô homo qui hæc non in inquietudine deceptionis, sed in puritate simplicitatis accipis ad manifestationem absconditorum directa, scribe quæ vides & audis.

Sed ego quamuis hæc viderem & audirem, tamen propter dubietatem & malam opinionem & propter diuersitatem verborum hominum, tam diu non in pertinacia sed in humilitatis officio scribere recusaui, quousque in lectum ægritudinis, flagello Dei depressa caderem: ita quod tandem multis infirmitatibus compulsa, testimonio cuiusdam nobilis & bonorum morum puellæ & hominis illius quem occulte (vt præfatum est) quæsieram & inueneram, manus ad scribendum apposui. Quod dum facerem, altam profunditatem expositionis librorum (vt prædixi) sentiens, viribusque receptis de ægritudine me erigens, vix opus istud decem annis consumans ad finem perduxi. In diebus autem Henrici Magunti-
ni Archiepiscopi & Conradi Romanorum regis & Cunonis Abbatis in monte beati Disibo-
di pontificis, sub Papa Eugenio, hæ visiones & verba facta sunt. Et dixi & scripsi hæc,
non secundum adinuentionem cordis mei aut vllius hominis, sed vt ea in cœlesti-
bus vidi, audiui, & percepi per secreta mysteria Dei. Et iterum
audiui vocem de cœlo mihi dicentem: Clama er-
go, & scribe sic.

LIBER I.

CAPVT PRIMVM.

VISIO PRIMA.

1 VIDI quasi montem magnum, ferreum colorem habentem: & super ipsum quendam tantæ claritatis sedentem, vt claritas ipsius visum meum hebetaret: à quo ex vtraque parte sui, lenis vmbra velut ala miræ latitudinis & longitudinis porrigebatur. Et ante ipsum ad radicem eiusdem montis quædam imago vndique plena oculis stabat, cuius nullam humanam formam præ oculorum multitudine discernere valebam: & ante istam, imago alia puerilis ætatis pallida veste sed albis calceamentis induta: super cuius caput tanta claritas de eo qui super montem ipsum sedebat, descendit; vt faciem eius intueri non valerem: sed ab eodem, qui super montem illum sedebat, multæ viuentes scintillæ prodibant, quæ easdem imagines magna suauitate circumuolabant. In ipso autem monte quasi plurimæ fenestellæ cernebantur, in quibus velut capita hominum, quædam pallida, & quædam alba apparuerunt. Et ecce, qui super montem sedebat, fortissima & penetrantissima voce clamabat, dicens: O homo fragilis, puluis de puluere terræ, & cinis de cinere, clama & dic de introitu incorruptæ saluationis; quatenus ij erudiantur, qui medullam scripturarum videntes, eam nec dicere, nec prædicare volunt, quia tepidi & hebetes ad conseruandam iustitiam Dei sunt: quibus clausuram mysteriorum resera, quam ipsi timidi in abscondito agro sine fructu celant. Ergò in fontem abundantiæ ita dilatare, & ita in mystica eruditione effluе, vt illi ab effusione irrigationis tuæ concutiantur, qui te propter præuaricationem Euæ volunt contemptibilem esse. Nam tu acumen huius profunditatis ab homine non capis, sed à superno & tremendo iudice illud desuper accipis, vbi præclara luce hæc serenitas inter lucentes fortiter lucebit. Surge ergò, clama & dic, quæ tibi fortissima virtute diuini auxilij manifestantur: quoniam ille, qui omni creaturæ suæ potenter & benignè imperat, ipsum timentes & ipsi suaui dilectione in spiritu humilitatis famulantes, claritate supernæ illustrationis perfundit, & ad gaudia æternæ visionis in via iustitiæ perseuerantes perducit.

Viſ. Hildeg.

2 Vnde etiam vt vides mons ille magnus ferreum colorem habens, designat fortitudinem & stabilitatem æternitatis regni Dei: quæ nullo impulsu labentis mutabilitatis potest exterminari, & super ipsum quidam tantæ claritatis sedens, vt claritas ipsius visum tuum hebetaret, ostendit in regno beatitudinis, ipsum qui in fulgore indeficientis serenitatis toti orbi terrarum imperans superna diuinitate, humanis mentibus incomprehensibilis est. Sed ab vtraque parte sui lenis vmbra velut ala miræ latitudinis & longitudinis extenditur: quod est & in admonitione & in castigatione beatæ defensionis suauis & lenis protectio, ineffabilem iustitiam in perseuerantia veræ æquitatis iustè & piè demonstrans.

Quid mõs

Quis sedẽs

Quid vmbra.

3 Et ante ipsum ad radicem eiusdem montis quædam imago vndique plena oculis stat: quia coram Deo in humilitate regnum Dei inspiciens timore domini vallatus perspicuitate bonę & iustę intentionis studium & stabilitatem suam in hominibus exercet, ita quod eius nullam humanam formam præ ipsis oculis discernere vales: quoniam omnem obliuionem iustitiæ Dei, quam sæpius homines in tædio mentis suæ sentiunt, per acutissimam aciem inspectionis suæ ita abiicit: quod mortalis inquisitio vigilantiam eius in debilitate sua non discutit.

Quid ima go plena o culis.

4 Vnde & ante istam, imago alia puerilis ætatis, pallida tunica, sed albis calceamentis induta apparet: quia præcedente timore Domini, illi qui pauperes spiritu sunt, subsequuntur: quoniam timor Domini in deuotione humilitatis beatitudi-

Quid puerilis imago

nem paupertatis spiritûs fortiter tenet, quæ non iactantiam nec elationem cordis appetit, sed simplicitatem & sobrietatem mentis diligit: non sibi sed Deo velut in pallore subiectionis iusta opera sua quasi indumentum pallidæ tunicæ tribuens, & candida vestigia filij Dei fideliter subsequens. Super cuius caput tanta claritas descendente super montem descendit, vt faciem eius interi non possis; quia potestatem & fortitudinem beatitudinis eius serenitas visitationis illius, qui omni creaturæ laudabiliter imperat, tantam infundit, vt multitudinem ipsius mortali & infirma consideratione capere non valeas: quoniam & ille qui cœlestes diuitias habet, paupertati humiliter se subdidit.

Quid scintilla. 5 Sed quòd ab eodem qui super montem illum sedet, multæ viuentes scintillæ exeunt, quæ eadem imagines magna suauitate circumuolant, hoc est, quòd ab omnipotente Deo diuersæ & fortissimæ virtutes in diuina claritate fulgentes veniunt, quæ illos qui Deum veraciter timent, & qui paupertatem spiritûs fideliter amant, suo adiutorio & custodia circumdantes ardenter amplectuntur & deliniunt.

Quid fenestella. 6 Vnde & in ipso monte quasi plurimæ fenestellæ videntur, in quibus velut capita hominum quædam pallida, & quædam alba apparent; quia in summa altitudine, profundissimæ & perspicacissimæ agnitioni Dei nec celari, nec abscondi possunt studia actuum hominum, cùm & teporem & candorem in semetipsis sæpissimè demonstrent: quoniam & modò homines & in cordibus & in factis suis fatigati in contumelia dormitant, modò exsuscitati in honore euigilant: quemadmodum Salomon in voluntate mea testatur, dicens: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.*

7 Quòd dicitur, debilem & pauperem se homo ille fecit, qui noluit iustitiam operari, nec iniquitatem delere, nec debitum remittere, vbi à mirabilibus operum beatitudinis otiosus permansit. Qui autem operatur fortissima opera salutis, viam veritatis currens, fontem salientis gloriæ capit, in quo pretiosissimas diuitias in terra & in cœlo sibi parat. Vnde quicunque scientiam in Spiritu sancto & pennas in fide habet, ille admonitionem meam non transgrediatur, sed eam in gustu animæ suæ amplectendo percipiat.

VISIO SECVNDA.

1 DEINDE vidi velut maximam multitudinem viuentium lampadarum, multam claritatem habentium, quæ igneum fulgorem accipientes, serenissimum splendorem adeptæ sunt. Et ecce lacus multæ latitudinis & profunditatis apparuit, os velut os putei habens, & igneum fumum cum multo fœtore euomens; de quo etiam teterrima nebula exhalans, ad finem vsque quasi visu imperceptibilem attigit: & in quadam clara regione candidam nubem, quæ de pulchra hominis forma plurimas stellas in se continens exierat, afflauit; & illam ac eandem hominis formam, ex illa regione eiecit. Quo facto lucidissimus splendor regionem illam circumdedit, & ita omnia elementa mundi, quæ prius in magna quiete constiterant, in maximam inquietudinem versa, horribiles terrores ostenderunt. Et iterum audiui illum, qui mihi prius locutus fuerat, dicentem: Deum fideli deuotione subsequentes, & in dilectione eius digno amore ardentes, à gloria supernæ beatitudinis nullo impulsu iniustitiæ territi abstrahuntur: cùm illi, qui Deum fictè attendunt, non solùm ad maiora non promoueantur; sed etiam ab iis, quæ se habere fallaciter putant, iusta examinatione deiiciantur.

Quidmultitudo lampadarum. 2 Quod & hæc maxima multitudo viuentium lampadarum, multam claritatem habentium, ostendit; quæ est plurimus exercitus supernorum spirituum, in beata vita fulgentium, ac in multo decore & ornatu existentium: quoniam cùm a Deo creati sunt, non superbam elationem arripuerunt, sed in diuino amore fortiter perstiterunt. Nam ipsi igneum fulgorem accipientes, ita serenissimum splendorem adepti sunt: quia cùm Lucifer cum suis superno creatori rebellari conaretur, isti zelum Dei in casu illius & illi consentientium habentes, vigilantiam diuinæ dilectionis induerunt, cùm illi cæcitatem ignorantiæ, qua Deum scire noluerunt, incurrerunt. Quomodo? In casu diaboli in illis Angelicis spiritibus qui cum Deo in rectitudine perseuerauerunt, maxima laus exorta est, quoniam illuminati visu perspicaciter agnouerunt, quòd Deus immobilis, sine vlla mutatione vllius mutabilitatis in potentia sua perseuerat, ita quòd à nullo bellatore superari poterit. Et ita in amore eius exardescentes, & in rectitudine perseuerantes, omne domicilium iniustitiæ contempserunt.

3 Sed Lucifer, qui ob superbiam suam de cœlesti gloria eiectus est, in initio creationis suæ talis ac tantus extitit, quòd nullum defectum nec in decore nec in fortitudine sua sensit. Vnde cùm decorem suum inspiceret, & cùm vim fortitudinis suæ in semetipso consideraret, superbiam inuenit, quæ ipsi promisit, vt inciperet quod vellet, quia perficere posset quod incepisset. Et videns locum vbi se collocare posse putauit, ibi decorem & fortitudinem suam ostendere volens, in semetipso sic dicebat: Volo fulgere illic, quemadmodum & ille hic. Cui omnis acies eius ascensum dedit, dicens: Quod tu vis, hoc & nos volumus. Et cùm in superbiam elatus illud perficere vellet quod cogitauerat, zelus Domini se extendens in ignea nigredine illum cum omni comitatu suo deiecit, ita quòd ipsi opaci contra fulgorem, & turbidi contra serenitatem quam habuerant, effecti sunt.

4 Quid est hoc? Quia si Deus præsumptionem illo-

illorum non defeciſſet, iniuſtus eſſet; quoniam illos foueret, qui integritatem diuinitatis diuidere volebant: ſed eos deiecit, & impietatem eorum ad nihilum redegit: ſicut etiam & omnes à conſpectu claritatis ſuæ aufert, qui ſe ipſi opponere conantur: vt ſeruus meus Iob oſtendit, dicens: *Lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui.* Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla quam turbo diſpergit.

5 Quòd dicitur. Gloria ſuperbientis nequitiæ ex falſa proſperitate, quaſi lumen honoris in voluntate carnis illorum procedens, qui Deum non timent (ſed qui illum in peruerſa impietate ſpernunt, contemnentes ſcire quòd nullus eos valeat expugnare, in igne ferocitatis ſuæ volentes exurere quæcunque aduerſantur) hæc in hora vltionis Dei velut terra conculcatur, & de ſuperno iudicio ſuper eoſdem impios cadet abiectio indignationis omnium quæ ſub cœlo ſunt, ita quòd & Deo & hominibus moleſti erunt. Vnde quia Deus non ſinit eos habere quod volunt, ideò vndique dolore macerati in homines bacchantur per rabiem inſaniæ ſuæ, cùm ardent hoc poſſidere quod Deus non permittit eos deglutire. Et cùm hoc modo à Deo recedunt, ſolis inutilibus rebus comparantur, ita quòd nec in Deo nec in hominibus quidquam boni facere vellent, de grano vitæ in præuidente oculo inſpectionis Dei abſciſi. Quapropter & huiuſmodi contritioni traduntur, qui in tepido ſapore iniqui rumoris diſſipantur, cùm ſuperuenientem imbrem Spiritus ſancti non ſuſcipiunt.

Quia lacus.

6 Sed lacus ille multæ latitudinis & profunditatis qui tibi apparet, eſt infernus, latitudinem vitiorum & profunditatem perditionum, vt vides, in ſe continens: os etiam velut os putei habens, & igneum fumum cum multo fœtore emittens: quia in voracitate ſua ſubmerſionem animarum tenens, cùm eis ſuauitatem & dulcedinem oſtendit, eas ad peruerſionem tormentorum peruerſa deceptione perducit, vbi ardet ignis cum ſuffuſione teterrima fumi, & cum ebulliente mortifero fœtore emanat: quoniam hæc dira tormenta diabolo & eum ſequentibus (qui ſe à ſummo bono auerterunt, nec illud ſcire aut intelligere curauerunt) præparata ſunt: vnde & ab omni bono deiecti ſunt, non quia illud neſcierunt, ſed quoniam illud in magna ſuperbia contemplerunt.

7 Quid eſt hoc? In deiectione diaboli hæ exteriores tenebræ, omne genus pœnarum in ſe habentes, poſiti ſunt: quia hi maligni ſpiritus, contra gloriam quæ ipſis præparata fuit, miſeriam diuerſarum pœnarum ſuſceperunt, & contra claritatem quam habuerunt, denſiſſimas tenebras induerunt. Quomodo? Cùm ſuperbus angelus vt coluber ſe ſurſum erexit, carcerem inferni accepit, quia eſſe non potuit vt vllus Deo præualeret. Et quomodo conueniens eſſet, vt in vno pectore duo corda eſſent, ſic nec in cœlo duo dij eſſe debuerunt. Sed quoniam idem diabolus cum ſuis ſuperbam præſumptionem arripuit: ideò lacum perditionis ſibi paratum inuenit. Sic & homines illi qui eos in actibus ſuis imitantur, participes pœnarum eorum ſecundùm merita ſua efficiuntur.

8 Sed quædam animæ ſunt, quæ cumulum damnationis habentes, à ſcientia Dei proiectæ ſunt: & ideò infernales pœnas ſine conſolatione ereptionis habebunt: quædam autem in obliuione Dei non exiſtentes, ſed in ſuperioribus examinationibus purgationem peccatorum ſuorum, in quæ prolapſæ ſunt, recipientes: tandem abſolutionem vinculorum ſuorum ſentiunt, ad requiem ereptæ peruenientes. Quid eſt hoc? Gehenna iis obuia eſt, qui Deum in obliuione cordis ſui ſine pœnitentia habent; cætera verò tormenta iis, qui quamuis mala opera faciant, tamen in iis vſque ad finem non perſeuerant, ſed tandem ad Deum in gemitibus ſuis reſpiciunt. Quapropter fideles diabolum fugiant, & Deum diligant, mala opera abiicientes, & bona cum virtute pœnitentiæ complentes: vt ſeruus meus Ezechiel per me inſpiratus hortatur, dicens: *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

9 Quod dicitur: O vos homines, qui hactenus in peccatis iaciſtis, recordamini Chriſtiani nominis veſtri, conuertentes vos ad viam ſalutis: & facite alia opera in fonte pœnitentiæ, qui prius feciſtis multa ſcelera in multis vitiis: & ita à mala conſuetudine veſtra ſurgentes, non deprimet vos in ruinam mortis iniquitas illa, in qua ſorduiſtis, quia illam in die ſaluationis veſtræ abieciſtis. Vnde etiam hoc modo gaudium Angelorum ſuper vos erit, quoniam à diabolo recesſiſtis, & ad Deum cucurriſtis, eum ſic melius in bonis actibus cognoſcentes, quàm prius eum ſciretis, cùm in irriſione antiqui ſeductoris fuiſtis.

Quid nebula.

10 Quod verò de eodem lacu teterrima nebula exhalans ad finem vſque quaſi viſu imperceptibilem attigit, hoc eſt, quòd de profundiſſima perditione diabolica fraus emanans ſerpentem virulentum, nefas fraudulentæ intentionis in ſe continentem ad decipiendum, hominem latenter inuaſit. Quomodo? Quia cùm diabolus hominem in paradiſo vidit, cum magna indignatione exclamauit, dicens: O quis aſſequetur me in manſione veræ beatitudinis? Et ita in ſemetipſo ſciebat, quòd malitiam ſuam, quam in ſe habuit, nondum in alia creatura compleuerat, ſed Adam & Euam puerili innocentia in horto delitiarum degere videns, cum magno aſtu extulit ſe ad eos decipiendum per ſerpentem. Quare? Quoniam ſerpentem magis aſſimilari ſibi quàm aliud animal intellexit, ſtuduit vt in doloſitate illius hoc occultè perficeret, quod in forma ſua apertè complere non poſſet.

11 Vnde cùm Adam & Euam à vetita ſibi arbore ſe auertere & anima & corpore conſpexit, in ſemetipſo intellexit, eos ibi diuinum præceptum habere, & quòd in primo opere quod inciperent, ipſos facillimè deiiceret. Neſciebat enim arbo-

rem illam vetitam esse, nisi quòd hoc secundùm probationem dolosæ interrogationis suæ, & secundùm responsa eorum agnouit. Quapropter in ipsa clara regione candidam nubem (quæ de pulchra forma hominis plurimas stellas in se continens exierat) per nebulam terrimam afflauit, quoniam in eodem amœnitatis loco Euam innocentem animum habentem (quæ de innocente Adam omnem multitudinem humani generis in præordinatione Dei lucentem in suo corpore gestans sumpta fuerat) per seductionem serpentis ad deiectionem eius diabolus inuasit. Cur hoc? Quia sciebat mulieris mollitiem facilius vincendam quàm viri fortitudinem, videns etiam quòd Adam in charitate Euæ tam vehementer ardebat, vt si ipse Euam vicisset, quicquid illa Adæ diceret, Adam illud perficeret. Vnde & diabolus illam & formam hominis ex illa regione eiecit: quin idem antiquus seductor Euam atque Adam de sede beatitudinis sua deceptione expellens, in tenebras subuersionis detrusit. Quomodo? Videlicet Euam primùm seduxit, vt ipsa Adæ blandiret, quo ei assensum præberet: quia ipsa citius Adam quàm alia creatura ad inobedientiam perducere potuit, quoniam de costa illius facta fuerat. Quapropter mulier virum citiùs deiicit, cùm ille eam non abhorrens, verba eius facilè assumit.

12 Verùm vt non puero sed perfecto viro scilicet Adæ perfecta mulier data est, ita etiam modò, cùm vir in ætate perfecta fertilis est, perfecta ei mulier coniungenda est: velut cùm arbor flores incipit emittere, debita cultura ei adhibenda est. Nam de costa insito calore & humore Adæ, Eua formata est: ac ideò nunc de fortitudine viri & de calore eius semine suscepto mulier intendit prolem in mundm producere: vir enim seminator existit, mulier autem susceptrix seminis est: vnde & mulier sub potestate viri manet, quoniam vt duritia lapidis ad teneritudinem terræ est, ita etiam & fortitudo viri ad mollitiem mulieris. Quòd autem prima mulier de viro formata est, hoc est coniunctio desponsationis mulieris ad virum. Et hoc sic intelligendum est. Coniunctio ista non est vanè neque in obliuione Dei exercenda; quia qui mulierem de viro tulit, coniunctionem istam benè & honestè instituit, videlicet carnem de carne formans. Quapropter vt Adam & Eua caro vna extiterunt, sic & nunc vir & mulier caro vna in coniunctione charitatis ad multiplicandum genus humanum efficiuntur. Et ideò perfecta charitas in his duobus esse debet, quemadmodum & in illis prioribus. Adam enim vxorem suam culpare posset, quòd ei consilio suo mortem intulit: sed tamen eam non dimisit quamdiu in hoc sæculo vixit, quoniam illam sibi per diuinam potentiam datam esse cognouit. Vnde propter perfectam charitatem non relinquat homo vxorem suam, nisi propter rationabilem causam illam, quam sibi fidelis Ecclesia proponit. Nec omninò diuisio in illis fiat, nisi ambo vna mente in filium meum voluerint respicere, sic in ardenti amore illius dicentes: Volumus mundum relinquere, & illum sequi, qui pro nobis passus est. Quòd si hi duo in vna deuotione dissentiunt, vt mundum relinquant; tunc se omninò ab inuicem non separent: quia vt sanguis à carne separari non potest, quamdiu spiritus in illa manet; ita nec maritus nec vxor se ab inuicem diuidant, sed simul in vna voluntate ambulent. Sed si ibi in fornicatione præuaricatio legis aut in viro aut in muliere est, tunc aut à semetipsis, aut à sacerdotibus suis publicati, censuram spiritalis magisterij, secundùm quod iustum est, sustinebunt. Maritus autem de vxore & vxor de marito coram Ecclesia & Prælatis ipsius de transgressione coniunctionis suæ secundùm iustitiam Dei conqueretur; non tamen ita vt maritus aut vxor aliam copulam quærat, sed ipsi aut simul in rectitudine coniunctionis permanebunt, aut se ab huiusmodi coniunctione simul abstinebunt, iuxta id quod eis per disciplinam Ecclesiasticæ institutionis demonstratur: nec se viperea laceratione dilaniabunt, sed pura dilectione diligent: quoniam & vir & mulier esse non possunt, nisi ista copulatione procreati, quemadmodum Paulus amicus meus testatur, dicens: *Sicut mulier de viro, ità & vir per mulierem, omnia autem ex Deo.*

13 Quòd dicitur: Mulier propter virum creata est, & vir propter mulierem factus est: quoniam vt illa de viro, ita & vir de illa, ne alterum ab altero discedat in vnitate natorum suorum: quia in vno opere, vnum operantur: quemadmodum aër & ventus opera sua inuicem complicant. Quomodo? Aër à vento mouetur, & ventus aëri implicatur, ita quòd in ambitu eorum omnia virentia illis subdita sunt. Quid est hoc? Mulier viro & vir mulieri in opere filiorum cooperatur: vnde maxima crimina ibi sunt, vbi fornicatio in diebus creationis filiorum diuisionem facit, quoniam proprium sanguinem de fundamento loci sui vir & mulier ibi abscindunt, in alienum locum eum abiicientes. His certè fraudulentia diaboli & ira Dei relinquetur, quia fœdus illud præuaricati sunt, quod ipsis Deus constituit. Quapropter, væ ipsis, quando peccata ipsorum eis non remittuntur. Sed quamuis vir & mulier in natis suis, vt ostensum est, sibi cooperentur; omnia tamen, videlicet tam vir quàm mulier & cæteræ creaturæ, ex diuina dispositione & ordinatione sunt: quoniam Deus ea secundùm voluntatem suam fecit.

14 Ante incarnationem autem filij mei quidam in antiquo populo plurimas vxores secundùm voluntatem suam simul habebant, quia nondum apertæ demonstrationis prohibitionem inde audierant, quam filius meus in mundum veniens ostendit rectissimo ordine huius copulationis in marito & vxore quamdiu in hac vita spirarent secundùm coniunctionem Adæ & Euæ propalatam: quoniam coniunctio hæc non secundùm voluntatem hominis, sed secundùm timorem Dei exercenda est: quia melius est rectum coniugium iuxta dispositionem Ecclesiasticæ discretionis

ha-

habere, quàm fornicationem appetere : cùm tamen vos homines hoc negligentes, veſtram libidinem non ſolùm ſecundùm homines ſed etiam ſecundùm pecora exerceatis. Fides autem recta & pura dilectio agnitionis Dei inter maritum & vxorem ſit, ne ſemine eorum diabolica arte polluto diuina vltio ipſos percutiat, cùm ſeinuicem mordentes dilaniant, & cùm ſemina ſua inhumanè ſecundùm petulantiam pecorum feminant. Vnde cùm inuidia vipereo more eos cruciat, & cùm maculoſa ſuperfluitas ſeminis ipſorum abſque timore Dei & abſque humana diſciplina in ipſis eſt : frequenter ad caſtigationem huius peruerſitatis ipſorum recto iudicio Dei, qui ex ipſis naſcuntur ad contrarietatem in membris ſuis deſtituuntur, & à proſperitate vitæ ſuæ deiiciuntur, niſi pœnitentiam illorum ſuſcipiens, placabilem me iſtis oſtendam. Nam qui in pœnitentia peccatorum ſuorum me inuocauerint: pœnitentiam ipſorum propter amorem filij mei ſuſcipiam : quoniam qui digitum ſuum ad me pœnitendo leuauerit, id eſt, qui gemitum cordis ſui ad me in pœnitentia extenderit, dicens: Peccaui Domine coram te : pœnitentiam illam mihi filius meus oſtendit, qui Sacerdos ſacerdotum eſt : quia pœnitentia quæ ſacerdotibus in amore filij mei offertur, purgationem peccatorum eam facientibus concedit. Vnde pœnitentiam ſuam dignè facientes à maxilla diaboli exeunt homines, quoniam ille hamum diuinæ potentiæ deglutire volens, iuxta illam, ſuam fortiter vulnerauit, vbi etiam nunc fideles animæ à perditione tranſeuntes ad ſaluationem perueniunt. Quomodo? Quia ſacerdotes in altari inuocatores nominis mei exiſtentes, confeſſionem populorum ſuſcipient, vbi eis remedium ſalutis demonſtrabunt. Quapropter vt Deum placabilem habeant, ſemen ſuum in diuerſitate vitiorum non contaminent : quoniam qui in fornicatione vel in adulterio ſemen ſuum eiiciunt, filios ſuos qui hoc modo ex ipſis naſcuntur negligentiores reddunt. Quomodo ? Qui puro limo lutum vel ſtercus admiſcet, nunquid vas ſtabile facit ? Sic qui ſemen ſuum in fornicatione vel adulterio contaminat : nunquid filios fortitudinis gignit? Sed multi ex iis in diuerſitate morum ac medullarum ſuarum laborant ; multi autem ex eis prudentes & ad ſæculum & ad Deum efficiuntur. Et cum his cœleſtis Hieruſalem impletur : cum ipſi vitia deſerentes & virtutes amantes in caſtitate ac in magnis laboribus filium meum imitantur, martyrium ipſius in corpore ſuo ſecundùm paſſibilitatem ſuam geſtantes. Vbi autem infantes de homine naſci nolo, ibi viriles vires ſeminis aufero, ne in ventre matris coaguletur : quemadmodum etiam terræ fructiferas vires denego : vbi hoc iuſto iudicio meo facere volo. Sed quid miraris, ô homo, quòd in adulteriis & in cæteris huiuſmodi criminibus infantes naſci permitto? iudicium meum iuſtum eſt. Nam à lapſu Adæ non inueni in humano ſemine iuſtitiam quæ in eo eſſe debuit, vbi eam diabolus in guſtu pomi fugauerat : idcirco miſi filium meum in mundum ſine vllo peccato de virgine natum : quatenus in ſanguine ſuo, cui nulla pollutio carnis inerat, diabolo ſpolia illa quæ in homine rapuerat, auferret.

15 Nam nec homo conceptus in peccato, nec Angelus tegmen carnis non habens, hominem in peccatis iacentem, & corporali grauedine laborantem, à diabolica poteſtate eripere potuit : præter illum qui ſine peccato veniens & corpus mundum ſine peccato habens, eum ſua paſſione liberauit. Vnde homines, quamuis in peccatis nati ſint, tamen eos ad ſupernum regnum colligo, cùm illud fideliter quærunt. Electos enim meos nulla peruerſitas mihi abſtrahere poteſt, vbi ſapientia teſtatur, dicens : *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.*

16 Quod dicitur. Illorum qui viam rectitudinis complectuntur, animæ cum deuoto affectu in operibus ſuperni auxiliatoris ſunt; ita vt propter bona opera quibus cœleſtem beatitudinem in altitudine iuſtitiæ lucrifaciunt, non confringat illos cruciamentum perditionis, quia verum lumen eos in timore & in amore Dei paſcit. Sed poſtquam Adam & Eua de loco amœnitatis expulſi ſunt, opus concipiendi & pariendi filios in ſemetipſis cognouerunt : & ita de inobedientia ſua in mortem cadentes dulcedinem peccati conceperunt, cùm ſe poſſe peccare cognouerunt. Sed ipſi hoc modo rectam conſtitutionem meam in libidinem peccati vertentes, cùm commotionem venarum ſuarum non in dulcedine peccati ſed in amore filiorum ſcire deberent, eam diabolica ſuggeſtione in libidinem dederunt : quia innocentiam genituræ ſuæ perdentes, illam in peccatum miſerunt. Vnde quoniam hoc non ſine diabolica perſuaſione peractum eſt, idcirco & idem diabolus ad hoc opus iacula ſua emiſit, ne ſine ſuggeſtione ipſius perficiatur, cùm dixit: Mea fortitudo in conceptu hominum eſt, & idcircò homo meus eſt. Et videns quòd homo particeps pœnarum ſuarum eſſe debuit, quia ei conſenſerat, iterum in ſemetipſo dicebat. Fortiſſimo Deo omnes iniquitates contrariæ ſunt, quoniam omninò iniuſtus non eſt. Et hoc idem deceptor in corde ſuo maximum ſigillum poſuit, videlicet quòd homo, qui ſibi ſponte conſenſerat, ipſi auferri non poſſet. Quapropter ſecretum conſilium in me fuit, vt filium meum ad redemptionem hominũ mitterem, quatenus cœleſti Hieruſalem redderetur homo. Et huic conſilio nulla iniquitas reſiſtere potuit, cùm filius meus in mundum veniens, omnes ad ſe collegit qui ipſum audire & imitari peccata deſerendo volebant. Ego enim iuſtus & rectus ſum nullam volens iniquitatem ; quam tu, ô homo, amplecteris, cùm te malam poſſe facere cognoſcis. Nam Lucifer & homo, in initio creationis ſuæ mihi rebellare tentauerunt, & ſtare non potuerunt, de bono cadentes & malum eligentes. Lucifer autem totum malum comprehendit, & omne bonum abiecit ; nec illud omninò guſtauit, ſed in mortem cecidit. Adam verò bonũ guſtauit cùm obedientiam ſuſcepit, ſed malum concupiuit, & in concupiſcentia ſua illud perfecit, cùm inobe-

diens Deo extitit. Quod quare factum sit, non est à te, ô homo, perquirendum: vel quid ante constitutionem sæculi fuerit, vel quid post nouissimum diem futurum mortalis homo scire non potest, sed solus Deus hoc nouit: nisi quantum illud electos suos Deus scire permittit. Sed & fornicatio illa quæ se communem hominibus facit: abominabilis coram me est: quia ab initio masculum & fœminam in honestate, & non in turpitudine constitui. Vnde illi hypocritæ qui dicunt sibi licitum esse secundùm appetitum pecorum fornicari cum quocunque voluerint: indigni oculis meis sunt, quoniam honorem & altitudinem rationalitatis suæ despicientes in pecora respiciunt, & se illis similes faciunt: væ illis qui sic viuentes, in hac turpitudine perseuerant.

17 Nec etiam volo vt notitia sanguinis in coniugio se commisceat, vbi ardor amoris in consanguinitate nondum attenuatus est: ne impudens amor in recordatione consanguinitatis ibi oriatur: sed sanguis alienæ stirpis conueniat: qui iam nullam notititiam consanguinitatis in se ardere sentit, quatenus humana disciplina in opere suo sit.

18 Quia lac semel vel bis coctum saporem suum non perdidit: cùm septima vel octaua vice coagulatum & coctum vires suas deferens iam delectabilem saporem non nisi in necessitate habeat. Et vt notitia consanguinitàtis in propria coniuge nescienda est; ita etiam & notitia consanguinitatis prioris coniugis in aliena copula abhorrenda est: nec se homo ad huiusmodi copulam coniungat: sicut & Ecclesia per Doctores suos prohibet, qui ipsam in multa sollicitudine & honore stabilierunt.

19 Quòd autem in veteri Testamento homines in consanguinitate sanguinis sui præcepto legis coniuncti sunt, hoc propter duritiam illorum factum est, vt inuicem pacem haberent: & vt tam firma charitas in eis esset, ne tribus diuisæ coniunctioni Gentilium se miscentes fœdus meum infringerent, vsque dum illud tempus venit, in quo filius meus plenitudinem charitatis afferens, coniunctionem consanguinitatis carnalis copulę in alienã prosapiam cum pudore verecundiæ transtulit. Vnde quoniam sponsa eiusdem filij mei vinculum timoris mei & rectam iustitiam in sancto baptismate modò suscepit; idcircò etiam huiusmodi consanguinitatis coniunctio nunc à se longè sit, quia fornicatio sine verecundia & sine moderatione libidinis in amplexibus viri & mulieris in noto sanguine magis quàm in alieno ad turpe opus accenderetur. Ego enim opus istud per hunc hominem edissero: cui illud in homine ignotum est, & qui sermonem istum non ab homine sed à scientia Dei accepit. Sed quid nunc?

20 Cùm autem masculus in forti ætate est, ita quòd venæ illius sanguine plenę sunt; tunc fertilis in semine suo est, tunc mulierem in desponsatione legitimæ institutionis sibi accipiat, quę etiã in feruenti ætate existens semen illius cum verecundia suscipiat, & illi prolem in via rectitudinis gignat.

21 Sed vir ante annos fortitudinis suæ semen suum in superfluitate libidinis non eiiciat: quia hoc probatio peccati suggerente diabolo est, si semen suum in concupiscentia libidinis seminare tentauerit, antequam ipsum semen rectam coagulationem in feruente calore habere possit. Et cùm vir iam fortissimus in generationis opere est: tunc vires suas secundùm quod potest in illo tempore non exerceat: quoniam si tunc ad diabolum respicit, opus diabolicum operatur, corpus etiam suum contemptibile faciens, quod omninò illicitum est. Vir autem secundùm quod eum humana natura docet: in fortitudine caloris & in abundantia seminis sui rectum iter in vxore sua quærat, & hoc cum humana disciplina ob studium filiorum faciat. Sed nolo vt idem opus fiat in separatione mulieris, cum iam fluxum sanguinis sui patitur: quod est apertio occultorum membrorum vteri eius, ne fluxus sanguinis eius susceptum semen maturum effundat, & ita semen effusum pereat: se enim tunc mulier in dolore & in carcere positam videt: portionem scilicet doloris partûs sui tangens: sed hoc tempus doloris in muliere non damno: quoniam illud Euæ dedi, quando in gustu pomi peccatum concepit, vnde & mulier in hoc tempore in magno misericordiæ subsidio leuanda est: ipsa autem se contineat in abscondito disciplinæ: non autem ita vt in absessu templi mei se arceat, sed fideli permissione ipsum in officio humilitatis pro salute sua ingrediatur. Quia autem sponsa filij Dei semper integra est: vir apertis vulneribus, si integritas membrorum eius in tactu percussionis diuisa est, templum meum nisi cum timore magnę necessitatis non intrabit, ne videatur: sicut integra membra Abel, qui templum Dei fuit. Cain frater suus crudeliter fregit.

22 Sed & mulier, cùm prolem pepererit fractis occultis membris suis, templum meum non nisi secundùm legem per me sibi datam ingrediatur: quatenus sancta sacramenta eiusdem templi mei ab omni pollutione & dolore viri & mulieris inuiolabilia sint: quia filium meum purissima virgo genuit: quæ integra absque vllo vulnere peccati fuit. Locus enim, qui in honore vnigeniti mei consecratus est, integra omni corruptione liuoris ac vulneris esse debet: quoniam idem vnigenitus meus integritatem virginei partûs in se nouit: vnde & mulier quæ integritatem virginitatis suæ cum viro corrupit: in liuore plagæ suæ qua corrupta est ab ingressu templi mei se contineat, vsque dum plaga vulneris ipsius sanetur, secundùm quod Ecclesiastica disciplina ipsi de eadem causa certissimè demonstrat. Nam cùm filio meo in ligno crucis sponsa ipsius coniuncta fuisset: ipsa vsque dum filius meus discipulis suis præcepit vt veritatem Euangelij per totum mundum disseminarent in occulto se continuit, ac deinde apertè surrexit & gloriam sponsi sui in regeneratione spiritûs & aquæ palàm prædicauit. Sic & virgo quæ viro coniungitur faciat, cum pudica scilicet verecundia vsque ad tempus illud quod sibi Ecclesiastica censura proponit, in occulto maneat: & hoc peracto de occultatione sua se transferens ad dilectionem sponsi sui apertè procedat.

No-

23 Nolo etiam vt prędictum opus viri ac mulieris exerceatur cum iam radix infantuli in muliere posita est: ne coagulatio infantuli superfluo & perdito semine polluatur vsque ad purgationem partus ipsius: quod iterum ob amorem filiorum in rectitudine & non in petulantia fieri non prohibetur. Sic genus humanum in procreatione sua in honestate humanæ disciplinæ procedere positum est: & non sicut vaniloquium stultorum hominum clamat dicentium sibi licitum esse libidinem suam secundum voluntatem suam exercere, dicentes: Quomodo possumus nos tam inhumanè continere? O homo si respicis ad diabolum: ipse te ad omne malum excitat & mortifero veneno suo interficit: si autem ad Deum oculos leuas: ipse tibi adiutorium præbet & te castum facit. Nonne in opere tuo magis libidinem quam castitatem appetis? Mulier viro subiecta est in qua ipse semen suum seminet: sic etiam terram operatur vt fructum afferat. Nunquid vir terram operatur: vt spinas & tribulos gignat? Nequaquam. sed vt dignum fructum det. Ita etiam hoc studium hominis in amore filiorum & non in petulantia libidinis esse debet. Ergo ô homines plorate & vlulate ad Deum vestrum quem tam frequenter in peccatis vestris contemnitis: cùm in pessima fornicatione semen vestrum eijcitis: ibi non solum fornicatores sed etiam & homicidæ existentes. quia respectum Dei abijcitis & libidinem vestram secundum voluntatem vestram completis. Vnde et am diabolus in hoc opere semper persequitur vos: sciens quod magis concupiscentiam vestram appetitis quam gaudium filiorum inspiciatis. Audite ergo qui in turribus Ecclesiæ estis. In fornicatione vestra nolite me accusare, sed vosmetipsos inspicite: quoniam cum ad diabolum curritis me contemnentes, illicita opera facitis, & ideo casti esse non vultis: vt seruus meus Osee de contaminato populo loquitur dicens. *Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Deum suũ: quia spiritus fornicationis in medio eorũ. & Deum non cognouerunt.*

24 Quod dicitur. Maligni homines Deum non cognoscentes faciem cordis sui abscondunt non conuertentes eam in diuersis inuolutionibus machinationis suæ, vt redeant ad veram claritatem, perspicaci scilicet oculo non discernentes quæ Dei sunt, sed malum in semetipsis nutriunt: quoniam afflatio petulantis immundiciæ per diabolicam suggestionem virilem fortitudinem, quam in se habere deberent, emollit: non sinens eos vt in Deum bonam conscientiam suam ponant: cùm aduersarius ipsos à vita fœlicitatis auertit.

25 Sed nunc ad amantissimas oues meas, quæ in corde meo plantatæ sunt, me conuertam, semen castitatis existentes: virginitas enim per me plantata est, quia etiam filius meus de virgine natus est. Et ideò virginitas est pulcherrimum pomum inter omnia poma conuallium: & magna persona in omnibus personis, quæ in palatio indeficientis Regis sunt: quoniam ipsa præcepto legis subdita non est, quia vnigenitum meum mundo edidit. Quapropter audiant, qui filium Dei sequi volunt in innocentia liberæ castitatis & in separatione mœrentis viduitatis: quoniam nobilior est virginitas non polluta ab initio quàm viduitas oppressa virili iugo, cùm tamen post dolorem suum in quo virum suum perdidit, virginitatem subsequitur. Filius enim meus plurimos dolores in corpore suo pertulit & mortem crucis subijt: vnde & vos in amore ipsius multas angustias patiemini, cum in vobismetipsis superabitis quod in libidine peccati ex gustu pomi seminatum est: sed tamen ibi ab incendio libidinis effluentes riuulos in semine vestro sustinentes, cum tam casti esse non potestis, quin fragilitas humanæ debilitatis se latenter ostendat in vobis: in illo labore passionem filij mei imitari debetis: cùm vobismetipsis resistitis, ardentem flammam libidinis videlicet in vobis extinguentes & alia sæcularia quæ mundi sunt, scilicet iram, superbiam, luxuriam, & cætera huiusmodi vitia cohibentes, atque victoriam istam magno certamine perficientes. Vnde tunc prælia ista magno decore & multo fructu clariora super Solem & dulciora super aromatum suauitatem coram me apparent, quia vnigenitum meum in doloribus eius imitamini, cùm ardentem libidinem tam forti certamine in vobis conculcatis. Et cùm sic perseueratis, multam gloriam inde in cœlesti regno consequimini. O vernantissimi flores, Angeli mei in vestro certamine admirantur quòd mortem euaditis, quòd in venenoso luto mundi polluti non estis, cùm tamen carnale corpus geratis, illud hoc pacto conculcantes, quòd glorioſi in consortio eorum eritis, quoniam secundùm similitudinem ipsorum impolluti apparetis: ideò gaudete cùm sic perseueratis, quia tunc vobiscum sum cùm me fideliter suscipitis, & vocem meam cum gaudio cordis vestri adimpletis, quemadmodum in secreta visione Ioannis dilecti mei ostendo, dicens: *Ecce sto ad ostium & pulso: Si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipse mecum.*

26 Quod dicitur. Vos qui me Saluatorem vestrum fideliter amatis: videte quia vobis succurrere volens expecto ad tabernaculum cordis vestri, considerans quid conscientia vestra in scrinio cordis sui contineat: & cum inspiratione recordationis mentis vestræ spiritum vestrum ad apertionem susceptionis bonæ voluntatis commoneo. Quòd si tunc fidele cor percipit sonitum timoris mei, coniungo me ad ipsum amplectens eum, indeficientemq; cibum capiens cum illo: cùm ipse suauem gustum in bonis operibus semetipsum mihi præbet: ita & ipse cibum vitæ in meipso percepturus est: quoniam illud amat, quod iustitiam desiderantibus vitam affert.

27 Sed vt vides, Adam & Eua de paradiso expulsis, lucidissimus splendor eandem regionem circumdedit: quoniam illis ob transgressionem suam locum amœnitatis exeuntibus, potentia diuinæ maiestatis omnem maculam totius contagionis ab eodem loco sequestrans, eum ita sua claritate muniuit, ne amodò vlla contrarietate tangeretur, ostendens etiam quòd transgressio illa quæ in eo facta fuerat, quandoque clementer & misericorditer abolenda esset. *Quid luci dissimus splendor.*

Quid elementorũ concussio.

28 Et ita omnia elementa mundi, quæ prius in magna quiete constiterant, in maximam inquietudinem versa, horribiles terrores ostenderunt; quia creatura illa, quæ ad seruitutem hominis creata fuerat, nec vllam aduersitatem in se senserat (homine inobedientiam capescente & creatori suo facto inobediente) tranquillitatem suam reliquit, & inquietudinem suscepit, maximas & plurimas contrarietates hominibus inferens, vt homo seipsum ad deteriora flexerat, per illam coërceretur. Quid hoc? Quia homo in loco deliciarum Deo rebellis extitit; idcircò & creatura illa, quæ homini in seruitio subiecta fuit, se homini opposuit.

29 Et paradisus est locus amœnitatis, qui floret in viriditate florum & herbarum & deliciis omnium aromatum, repletus optimis odoribus, dotatusq; in gaudio beatarum animarum, dans fertilissimam fœcunditatem aridæ terræ; quia fortissimam vim terræ tribuit, velut anima corpori vires præbet: quoniam paradisus in vmbra & in perditione peccatorum non obscuratur.

30 Quapropter audite & intelligite me vos qui in cordibus vestris dicitis: Quid sunt hæc? & cur sunt hęc? O cur tam stulti estis in cordibus vestris, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti estis? Quomodo tam magna gloria & tantus honor qui vobis datus est, posset esse sine probatione; cùm tamen aurum, quod quasi nihil est & aliquid inane, debeat in igne probari, & pretiosi lapides in purgatione poliri, & huiusmodi omnia in omnibus perquiri? Ergò, ô stulti homines, hoc quod ad imaginem & similitudinem Dei factum est, quomodo sine probatione posset subsistere? Nam homo super omnem creaturam examinandus est, & ideò per omnem creaturam probandus est. Quomodo? Spiritus per spiritum probandus est, caro per carnem, terra per aërem, ignis per aquam, pugna per pacem, bonum per malum, pulchritudo per deformitatem, paupertas per diuitias, dulcedo per amaritudinem, sanitas per infirmitatem, longum per breue, durum per molle, altitudo per profunditatem, lux per tenebras, vita per mortem, paradisus per pœnas, cœleste regnum per gehennam, & terrena cum terrenis, cœlestia cum cœlestibus. Sic homo in omni creatura probatus est, videlicet in paradiso, in terra & in inferno: postea collocatus in cœlo. Apertè enim videtis pauca de multis, quæ ante oculos vestros abscondita sunt. Et cur deridetis ea quæ recta, plana & iusta ac bona in omnibus bonis coram Deo sunt? Quare his indignamini? Deus iustus est, sed genus hominum in præuaricatione præceptorum Dei iniustum est, cùm sapientius Deo esse contendit.

31 Nunc dic mihi, ô homo, quid putas te fuisse, cùm nondum eras in anima & corpore? Tu verò nescis quomodo creatus sis. Sed nunc, ô homo, cœlum & terram vis perscrutari, & iustitiam eorum in constitutionem Dei diiudicare & summa dignoscere; cùm nec infima valeas examinare, quia nescis quomodo viuas in corpore, vel quomodo exuaris à corpore. Qui te in primo homine creauit, ille hæc omnia præuidit. Sed idem mitissimus pater misit vnigenitum suum mori pro populo, vt hominem à diabolica potestate liberaret.

32 Et sic homo liberatus fulget in Deo, & Deus in homine: consortium homo cum Deo habens, fulgentiorem claritatem quam prius haberet, possidet in cœlo. Quod non fuisset, si filius Dei carnem non induisset: quoniam si homo in paradiso permansisset, filius Dei in cruce passus non fuisset. Sed cùm homo per callidum serpentem deceptus est, Deus in vera misericordia tactus, vnigenitum suum in purissima virgine incarnari voluit: atque ita post ruinam hominis eleuatæ sunt plurimę virtutes in cœlo fulgentes, veluti est humilitas regina virtutum, quæ in virgineo partu floruit, vt etiam cæteræ virtutes, quæ electos Dei ad cœlestia perducunt. Nam cùm ager multo labore colitur, multum fructum profert, vt in humano genere ostensum est: quia post ruinam hominis, plurimæ virtutes ad subleuationem eius surrexerunt. Sed ô homines vos grauati corporali pondere, non videtis illam magnam gloriam, quæ vobis sine macula & sine vlla dedignatione in plena iustitia Dei præparata est, quam nullus auferre potest: prius enim quàm fabrica mundi constituta fuisset, hæc omnia Deus in vera iustitia præuiderat. Vnde, ô homo, similitudinem hanc considera.

33 Dominus, qui in multo studio hortum facere vult, primitùs aptum locum horti ponit: ac deinde locum cuiusque plantationis disponens, fructum bonarum arborum vtilitatem, saporem, odorem habentium, & diuersorum generum aromata considerat. Et sic dominus magnus & profundus artifex quamque plantationem suam in eo disponit, vt benè discerni in vtilitate sua possit: ac deinde cogitat quanta munitione eum circumdet, vt nullus inimicorum plantationem eius dissipare valeat. Tunc etiam pigmentarios suos constituit, qui eundem hortum rigare sciant, & quĩ fructum eius colligant, & exinde diuersa pigmenta conficiant. Quapropter, ô homo, diligenter considera, quia si dominus ille præuidet quòd hortus suus nullum fructum nec vllam vtilitatem proferens destruendus est; quare tunc tantus & tam profundus artifex hortum illum tam magno studio & tam magnis laboribus extruit, plantat, rigat & munit? Audi igitur & intellige: Deus qui Sol iustitiæ est, splendorem suum super lutum, quod præuaricatio hominis est, misit: & splendor ille in multa claritate resplenduit, quoniam lutum illud valde fœdum & opacum fuit. Sol enim in sua claritate effulsit, & lutum in sua fœditate putruit: vnde Sol maiori delectatione à videntibus amplectebatur, quàm si lutum ei oppositum non esset. Sed sicut lutum ad similitudinem Solis fœdum est, sic etiam transgressio hominis ad iustitiam Dei iniqua est. Vnde iustitia, quia pulchra est, diligenda est; & iniquitas, quoniam fœda est, odienda. In hanc fœditatem cecidit ouis domini qui hortum plantauerat. Et huiusmodi ouis per consensum suum, non per domini ignauiam à domino sublata est; quam postea dominus multo studio & iustitiâ requisiuit. Quapropter tunc chorus

An-

Angelorum in maximo gaudio illuminatus est, cùm hominem Angeli in cœlo viderunt. Quid hoc? Cum innocens agnus in crucem suspensus est, elementa tremuerunt, quia nobilissimus virginis filius de manibus homicidarum corporaliter occisus est. In cuius morte perdita ouis ad pascua vitæ reportata est. Nam antiquus persecutor postquam vidit quòd ouem illam propter sanguinem innocentis agni quem agnus in remissionem peccatorum hominum effuderat, perdere debuit: tunc primùm cognouit quis agnus ille esset: quoniam prius scire non potuit, quomodo cœlestis agnus sine virili semine & sine vlla concupiscentia peccati de virgine in obumbratione Spiritus sancti incarnatus est: idem enim persecutor in initio creationis suæ in flatu superbiæ erexit se, in mortem seipsum præcipitans, & de gloria paradisi deiiciens, cui Deus in potestate sua resistere noluit, sed eum in humilitate per filium suum superauit. Et quia Lucifer iustitiam Dei contempsit, iusto iudicio Dei, incarnationem vnigeniti filij Dei scire non potuit. Nam in hoc abscondito consilio perdita ouis ad vitam reportata est. Vnde, ô rebelles homines, cur tantam duritiam vobis assumitis? Deus hominem deserere noluit, sed filium suum ad saluationem eius misit: quoniam sic Deus caput superbiæ in antiquo serpente contriuit. In ereptione enim hominis de morte, infernus claustrum suum aperuit, Sathana clamante: Væ, væ, quis me adiuuabit? Sed & omnis diabolica turba in fremitu magno seipsam decerpsit, admirans quæ tanta potestas esset, cui ipsa cum principe malitiæ resistere non posset, cùm sibi fideles animas auferri videret. Sic homo super cœlos eleuatus est, quia Deus in homine, & homo in Deo per filium Dei apparuit. Idem etiam Dominus, qui ouem perdiderat, sed eam tam gloriosè ad vitam reduxerat, pretiosam margaritam in eandem similitudinem habuit, quæ perdita in multas sordes incidit. Sed ipse eam ita in sorde iacere non permittens eam quæsiuit, & inuentam gaudenter extraxit, & de sorde in qua iacuerat, extractam ita expurgauit, vt aurum in fornace purgari solet, & eam in pristinum honorem maiori gloria reparauit. Nam Deus hominem creauit, sed ipse diabolica persuasione in mortem corruit, de qua eum filius Dei per sanguinem suum eripuit, & eum ad cœlestem honorem gloriosè perduxit. Quomodo? In humilitate & charitate.

34 Humilitas enim filium Dei de virgine nasci fecit; vbi ipsa humilitas nec in maris amplexibus, nec in curiositate carnis, nec in diuitiis terrenis, nec in aureis ornamentis, nec in sæcularibus honoribus inuenta est: sed filius Dei in præsepio iacuit, quia mater eius pauperecula fuit. Et humilitas semper gemit, plorat & omnia crimina interimit, quod opus ipsius est. Vnde quisquis diabolum vult expugnare, se muniat & armet humilitate: quoniam Lucifer tam valdè fugit, & velut coluber se coram ea in cauerna abscondit: quia vbi ipse illum apprehenderit: eum quasi fragillimum filum citius frangit. Charitas quoque vnigenitum Dei filium in sinu patris in cœlo continet, & eum in vterum matris in terram demisit: quoniam ipsa nec peccatores nec publicanos spernit, sed omnes saluare intendit. Quapropter & fontem lachrymarum ab oculis fidelium sæpius educens, duritiam cordis emollit. In hoc humilitas & charitas, clariores cæteris virtutibus sunt: quoniam humilitas & charitas, sunt velut anima & corpus, quæ fortiores vires cæteris viribus animæ & membris corporis habent. Quomodo? Humilitas est quasi corpus & charitas velut anima, nec ab inuicem separari possunt, sed simul operantur: sicut nec anima nec corpus disiungi valent, sed sibi cooperantur, quamdiu homo in corpore viuit. Et sicut animæ & corpori diuersa membra corporis secundùm vires suas subiecta sunt; ita etiam humilitati & charitati, cæteræ virtutes secundùm iustitiam suam cooperantur. Et ideo, ô homines, ad gloriam Dei & pro salute vestra humilitatem & charitatem sectamini, cum quibus armati diabolicas insidias non timebitis, sed indeficientem vitam possidebitis. Vnde quicunque scientiam in Spiritu sancto & pennas in fide habet, admonitionem meam non transgrediatur, sed eam in gustu animæ suæ amplectendo percipiat.

VISIO TERTIA.

POST hæc vidi maximum instrumentum, rotundum & vmbrosum secundùm similitudinem oui, superius arctum, & in medio amplum, ac inferius constrictum; in cuius exteriori parte per circuitum lucidus ignis fuit, quasi pellem vmbrosam sub se habens. Et in igne illo erat globus rutilantis ignis tantæ magnitudinis, vt instrumentum totum ab eo illustraretur, super se tres faculas sursum ordinatè positas habens, quæ suo igne eundem globum ne laberetur, continebant; & globus ille se aliquando sursum extulit, & plurimus ignis ei occurrit, ita quòd exinde flammas suas longius produxit; ac se aliquando deorsum inflexit, multumq; frigus ei obuiam venit, quapropter flammas suas citius subduxit. Sed & de igne illo qui instrumentum circumdederat, flatus quidam cum suis turbinibus exiebat, & de pelle illa quæ sub eo iacebat, alius flatus cum turbinibus suis ebulliebat, qui se in ipso instrumento hac & illac diffundebant. In eadem quoque pelle quidam tenebrosus ignis tanti horroris erat, quòd eum intueri non valebam, qui totam pellem illam sua fortitudine concutiebat plenus sonituum, tempestatum & acutissimorum lapidum maiorum & minorum. Qui dum sonitum suum eleuaret, ille lucidus ignis & venti & aër commouebantur, ita quòd fulgura sonitum ipsum præuenerunt: quia ignis ille, primùm commotionem eiusdem sonitus in se sentiebat. Sed sub eadem pelle purissimus æther erat sub se nullam pellem habens, in quo etiam globum quendam candentis ignis plurimæ magnitudinis cernebam, super se duas faculas sursum apparenter positas habentem, ipsumq; globum ne modum cursus sui excederet, con-

continentes: & in eodem æthere multæ & claræ sphæræ vbique positæ fuerant, in quas idem globus interdum se aliquantulum euacuans claritatem suam emisit, & ita sub præfatum rubeum igneumq; globum recurrens, & ab eo flammas suas restaurans, iterum illas in easdem sphæras efflauit. Sed & ab ipso æthere quidam flatus cum suis turbinibus erumpebat, qui se in præfatum instrumentum vbique dilatabat. Sub eodem autem æthere, aquosum aërem videbam, albam pellem sub se habentem, qui se hac & illac diffundens, omni instrumento illi humorem dedit. Qui dum se interdum repentè congregaret, repentinam pluuiam multo fragore emisit: & dum se leniter diffudit, blandam pluuiam leni motu effudit. Sed & ex eo quidam flatus cum turbinibus suis exiens, per prædictum instrumentum se vbique expandit. Et in medio istorum elementorum quidam arenosus globus plurimæ magnitudinis erat, quem eadem elementa ita circumdederant, quòd nec hac nec illac dilabi poterat. Sed dum interdum eadem elementa cum prædictis flatibus se inuicem concuterent, eundem globum sua fortitudine aliquantulum moueri compellebant. Et vidi inter Aquilonem & Orientem velut maximum montem, qui versus Aquilonem multas tenebras & versus Orientem multam lucem continebat; ita tamen quòd nec lux illa ad tenebras, nec tenebræ ad lucem pertingere poterant. Audiuique iterum vocem de cœlo mihi dicentem: Deus qui omnia suâ voluntate condidit, ea ad cognitionem & honorem nominis sui creauit, non solùm autem ea quæ visibilia & temporalia sunt, in ipsis ostendens; sed etiam illa quæ inuisibilia & æterna sunt, in eis manifestans.

Quid instrumẽtũ totũdum.

2 Quod & visio hæc quam cernis, demonstrat. Nam hoc maximum instrumentum quod vides rotundum & vmbrosum secundùm similitudinem oui superius arctum, & in medio amplum, ac inferius constrictum, declarat fideliter omnipotentem Deum in maiestate sua incomprehensibilem, & in mysteriis suis inæstimabilem, & spem omnium fidelium existentem, cùm primitùs homines rudes & simplices in actibus suis essent, postea in veteri ac noua lege instructiores se mutuò molestant & affligunt, & tandem circa finem mundi multas ærumnas in angustiis suis passuri sunt.

Quid lucidissimus ignis in circuitu.

3 In cuius exteriori parte per circuitum lucidus ignis est, quasi pellem vmbrosam sub se habens; designat quòd Deus illos qui extra veram fidem sunt, vbique per ignem vltionis suæ exurit: eos verò qui intra fidem Catholicam manent, vbique per ignem consolationis suæ purificat: ita diabolicæ peruersitatis tenebrositatem prosternens, vt & factum est cùm diabolus à Deo creatus se Deo opponere volens in perditionem deiectus corruit.

Quid globus rutilans.

4 Et in igne isto est globus rutilantis ignis tantæ magnitudinis, vt instrumentum totum ab eo illustretur, qui splendore claritatis suæ ostendit quòd in Deo patre est ineffabilis vnigenitus eius Sol Iustitiæ fulgorem ardentis charitatis habens, tantæq; gloriæ existens, vt omnis creatura à claritate lucis eius illuminetur, super se tres faculas sursum ordinatè positas habens, quæ suo igne globum ne labatur, continentem; videlicet sua administratione trinitatem omnia continentem, & demonstrantes quòd filius Dei de cœlo ad terras descendens, Angelis in cœlestibus relictis hominibus etiam qui in anima & corpore subsistunt, cœlestia manifestauit: qui claritatis eius beneficio ipsum glorificantes, omnem noxium errorem abiiciunt, cùm eum verum Dei filium de vera virgine incarnatum magnificauit, postquam ipsis eum Angelus prænunciauit, & postquam homo in anima & corpore viuens eum fideli gaudio susceperit.

Quid ignis de sursum occurrens.

5 Quapropter & idem globus se aliquando sursum eleuat, plurimusq; ignis ei occurrit, ita quòd exinde flammas suas longiùs producit: significans, quia vbi tempus illud venit, quòd vnigenitus Dei pro redemptione & subleuatione humani generis per voluntatem patris incarnari debuit, Spiritus sanctus in virtute patris superna mysteria in beata virgine mirabiliter operatus est, ita quòd eodem filio Dei in virginali pudicitia fœcunda virginitate mirificum fulgorem dante, virginitas gloriola effecta est. Quoniam in nobilissima virgine, summè desiderabilis incarnatio demonstrata est.

Quid frigus obuiãs deorsum.

6 Et ita etiam se aliquando deorsum inclinat, multumq; frigus ei obuiam venit, quam ob causam flammas suas citiùs subducit, declarans quoniam idem vnigenitus Dei ex virgine natus, & ita ad paupertatem hominum misericorditer inclinatus, plurimis miseriis ipsi occurrentibus multas corporales angustias sustinens, cùm se mundo corporaliter ostenderat, de mundo transiens ad patrem rediit, discipulis etiam ipsius astantibus, quemadmodum scriptum est: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes susceperit eum ab oculis eorum.*

7 Quòd dicitur. Filiis Ecclesiæ in interiori scientia cordis sui filium Dei susceptibus, sanctitas corporis eius eleuata est in potentia diuinitatis ipsius, & in mystico miraculo nubes secreti mysterij susceperit eum à mortalibus oculis abscondens ipsum, flabrisq; ventorum ipsi famulantibus.

Quid ignis, flatus & turbines.

8 Sed vt vides de igne illo, qui idem instrumentum circumdederat, flatus quidam cum suis turbinibus exibat, qui ostendit quoniam ab omnipotente Deo totum mundum sua potestate complente, vera disseminatio iustis sermonibus processit, quando ipse viuus & verus Deus hominibus in veritate demonstratus est.

Quid flatus & turbines pellis.

9 Et de pelle illa quæ sub eo est, alius flatus cum turbinibus suis ebullit: quia etiam de diabolica rabie, quæ Deum ignorans non timet, pessima fama cum nequissimis locutionibus exit: qui se in ipso instrumento hac & illac diffundunt, quoniam in sæculo diuersis modis vtiles & inutiles rumores inter populos se commiscent.

Quid tenebrosus ignis pellis.

10 In eadem quoque pelle quidam tenebrosus ignis tanti horroris est, quòd eum intueri non potes; qui declarat quòd in pessimis & nequissimis insidiis antiqui proditoris, teterrimum homicidium tanti feruoris erumpit, quòd insaniam illius

hu-

humanus intellectus discernere non valet: qui totam pellem illam sua fortitudine concutit: quoniam homicidium omnes diabolicas malignitates suo horrore complectitur, cùm in primogenitis ab ira odium ebulliens fratricidium perpetrauit: ignis ille plenus sonituum erat, tempestatum & acutissimorum lapidum maiorum & minorum; quia homicidium plenum auaritiâ est & ebrietatibus atque sæuissimis nequitiis, quæ sine misericordia bacchantur, tam in magnis homicidiis quàm in minoribus vitiis. Qui dum sonitum suum eleuat ille lucidus ignis, & venti & aër commouentur; quoniam dum homicidium in cupiditate effusionis sanguinis stridet, superna iudicia, celeres rumores, & vbique ad ruinam homicidæ extentæ præparationis in vltione recti iudicij suscitantur: ita quòd fulgura sonitum ipsum præueniunt, quia ignis ille primùm commotionem eiusdem sonitus in se sentit. Nam seueritas diuini examinis scelus illud superando opprimit, cùm diuina maiestas, antequam fremitus illius insaniæ publicè manifestetur, eo oculo cui omnia nuda sunt, apertè præuideat.

Quid cõmotio ignis, vento rũ & aeris

Quid fulgura sonitum præuenientia

11 Sed sub illa pelle purissimus æther est sub se nullam pellem habens, quoniam sub insidiis antiqui proditoris serenissima fides lucet, in qua nulla incertitudo infidelitatis latet, à seipsa non fundata, sed in Christo sustentata: in quo etiam quendam globum candentis ignis plurimæ magnitudinis vides, qui verè designat iunctam Ecclesiam, in fide candorem innocentis claritatis plurimiq; honoris vt tibi demonstretur prætendentem: & super se duas faculas sursum clarè positas habentem, ipsumq; globum ne modum cursus sui excedat, continentes: quæ sua significatione sunt ostendentes, quòd Ecclesiam de supernis edita duo testamenta videlicet veteris & nouæ authoritatis, ad diuina præcepta cęlestium secretorum trahunt: quia ipsa eandem, ne in varietatem morum se præcipitanter extendat, continent; & quia & vetus & noua testificatio beatitudinem supernæ hæreditatis ipsi ostendunt.

Quid æther purissimus sub pelle

Quid globus ignis candens maximus

12 Quapropter etiam in eodem æthere multæ & claræ sphæræ vbique positæ sunt, in quas idem globus interdum se aliquantulum euacuans claritatem suam emittit, quoniam in puritate fidei plurima & splendida opera pietatis vbique apparent, in quibus Ecclesia certo quodam tempore conculcationem aliquantulum sustinuit, & decor mirabilium suorum aliquantulum euanuit, cùm ipsa velut in mœrore iacens, claritatem tamen priorum operum in perfectis hominibus admirabatur: & ita sub præfatum rubeum, igneumq; globum recurrens, & ab eo flammas suas restaurans, iterum illas in easdem sphæras efflauit: quoniam ipsa in contritione posita sub protectionem vnigeniti Dei properans, & ab eo sufferentias diuinæ conuersationis accipit, amorem supernorum in beatis operibus declarans.

Quid sphæra in æthere.

13 Vnde & ab ipso æthere quidam flatus cum suis turbinibus erumpit, qui se in præfatum instrumentum vbique dilatat, quia ab vnitate fidei validissima fama cum veris & perfectis assertionibus in auxilium hominum emanans, fines totius orbis multa celeritate percusit.

Quid flatus æthereus & turbines.

14 Sub eodem autem æthere aquosum aërem vides, albam pellem sub se habentem, qui se hac & illac diffundens omni instrumento illi humorem præstat: quoniam sub fide, quæ tam in antiquis tam in nouis patribus erat, baptismus in Ecclesia ad salutem credentium (vt tibi verissimè manifestatur) in innocentia beatissimæ stabilitatis fundatus se diuina inspiratione vbique dilatans vniuerso orbi irrigationem salutis in credentibus attulit. Qui dum se interdum repentè congregat, repentinam pluuiam multo frigore emittit: & dum se leniter diffundit, blandam pluuiam leni motu dat: quia dum baptismus aliquando per assertores veritatis in velocitate prædicationis & in profunditate mentis ipsorum multiplicabatur, celeri copia verborum in inundatione prędicationis eorum, attonitis hominibus manifestabatur: interdum etiam baptismus suaui temperamento prædicatione dilatatus, suaui irrigatione cum discretionis adiutorio populis attractis propalabatur.

Quid aquosus?

15 Quapropter & ex eo quidam flatus cum turbinibus suis exiens, per prædictum instrumentum se vbique diffundit, quoniam ab inundatione baptismatis salutem credentibus afferentis verissima fama cum verbis fortissimorum sermonum egrediens omnem mundum manifestatione beatitudinis suæ perfudit: vt iam in populis infidelitatem deserentibus & fidem Catholicam appetentibus, apertè declaratur.

Quid alius flatus

16 Et in medio istorum elementorum, quidam arenosus globus plurimæ magnitudinis est, quem elementa ita circumdant, quòd nec hac nec illac dilabi potest, qui manifestè ostendit in fortitudine creaturarum Dei, hominem profundæ considerationis degentem de limo terræ mirabili modo multa gloria factum, & virtute creaturarum ita circumdatum, quòd ab eis nullo modo separari valet: quia elementa mundi ad seruitutem hominis creata ipsi famulatum exhibent, dum homo velut in medio eorum sedens ipsis diuina dispositione præsidet, vt etiam per me inspiratus Dauid dicit: *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Quid arenosus globus.

17 Quòd dicitur. O tu Deus, qui omnia mirabiliter fecisti, aurea & purpurea corona intellectus & dignissimo indumento visibilis speciei coronasti hominem; ita ponens eum quasi principem super altitudinem perfectorum operum tuorum, quæ in creaturis tuis iustè & benè disposuisti. Tu enim præ aliis creaturis tuis magnas & mirandas dignitates homini indidisti.

18 Sed vt vides, dum interdum elementa illa cum prædictis flatibus se inuicem concutiunt, ipsum globum sua fortitudine aliquantulum moueri compellunt; quia dum congruo tempore, creaturæ Dei cum fama miraculorum creatoris sibi inuicem congrediuntur, ita quòd miraculum miraculo magno tonitruo verborum inuoluitur, homo illorum miraculorum magnitudine perculsus concussionem mentis & corporis sui sentit, dum in

mirabilibus illis attonitus imbecillitatem fragilitatis suæ considerat.

Quid mõs inter Aquilonem & Orientem.

19 Et vides inter Aquilonem & Orientem velut maximum montem, qui versus Aquilonem multas tenebras & versus Orientem multam lucem habet: quoniam inter diabolicam impietatem & diuinam bonitatem magnus casus hominis apparet per pessimam maligni deceptionem in reprobis multas miserias damnationis & per optabilem salutem in electis plurimam fœlicitatem redemptionis tenens: ita tamen quòd nec lux illa ad tenebras, nec tenebræ illæ ad lucem pertingere possunt, quia opera lucis operibus tenebrarum se nõ interserunt, nec opera tenebrarum ad opera lucis ascendunt, quamuis diabolus ea frequenter per malos homines offuscare laboret: quemadmodũ euenit in paganis, in hæreticis, & in pseudoprophetis, & in iis quos isti sua fallaci deceptione post se trahere conantur. Quomodo? Quia volunt ea scire, quæ ipsis scienda non sunt; illum imitantes, qui se altissimo similem esse voluit. Et quoniam illum subsequuntur, ideò & ille mendacium quasi veritatem eis secundùm voluntatem ipsorum demonstrat: vnde mecum non sunt, nec ego cum illis: quia vias meas non ambulant, sed extraneas semitas amant, inquirentes quid eis stulta creatura de futuris causis fallaciter ostendat: & hoc ita volunt scire secundùm quod illud peruersè exquirunt me contemnentes, & Sanctos meos abiicientes, qui sincero corde me diligunt.

Secreta Dei non perquirenda.

20 Sed huiusmodi homines, qui peruersa arte tam pertinaciter me tentant, (ita quòd creaturam illam, quæ ad seruitutem ipsorum facta est, perscrutantur; scisitantes, vt rem illam, quam scire volunt, eis secundùm voluntatem ipsorum ostendat) nunquid possunt in scrutatione suæ artis elongare vel abbreuiare tempus vitæ, quod eis à creatore suo constitutum est? Certè hoc nec diem nec horam facere prævalent. Aut nunquid possunt prædestinationem Dei auertere? Nullo modo. O miseri, nonne permitto creaturas vobis passiones vestras interdum demonstrare, quæ signa tunc ideò habent, quia me Deum timent, velut seruus facultatem domini sui aliquando ostendit, & vt bos & asinus ac cætera animalia voluntatem dominorum suorum manifestant, cùm eam in seruitute sua fideliter adimplent. O stulti, cùm me obliuioni traditis, nec ad me respicientes nec me adorantes, sed aspicientes ad subiectam vobis creaturam, quid ipsa portentet & ostendat, tunc pertinaciter me abiicitis, infirmam creaturam pro creatore vestro colentes. Quapropter & ego tibi dico, ô homo, cur creaturam illam colis, quæ te nec consolari nec tibi auxiliari potest, & quæ tibi nullam prosperitatem in fœlicitate confert? velut mathematici mortis instructores & incredulitas gentilium sequaces temerè affirmare solent, stellas hominibus vitam tribuere, & omnes actus vestros disponere. O miseri, quis stellas fecit? Sed stellæ interdum ex permissione mea cum quibusdam signis hominibus declarantur, vt etiam filius meus in Euangelio ostendit, vbi ait: *Erunt signa in Sole & Luna & stellis.*

21 Quòd dicitur: In lumine horum luminum hominibus ministratur, & circuitu ipsorum tempora temporum ostenduntur. Vnde etiam in nouissimis temporibus lamentabilia & periculosa tempora permissione mea in ipsis demonstrabuntur, ita quòd radius Solis & splendor Lunæ & claritas stellarum aliquando subtrahetur, vt corda hominum ex eo concutiantur. Sic & per stellam ex voluntate mea incarnatio filij mei ostensa est. Homo autem propriam stellam, quæ vitam ipsius disponat, non habet; velut stultus & errans populus asserere conatur: sed omnes stellæ omni populo in seruitute communes sunt. Sed quòd stella illa cæteris stellis præclarior effulsit, hoc est, quia vnigenitus meus præ aliis hominibus virginali partu sine peccato natus est. Ipsa autem nullum aliud iuuamen filio meo attulit, nisi quòd solam incarnationem eius populo fideliter nunciauit: quoniam omnes stellæ & creaturæ me timentes, iussionem meam tantùm perficiunt, nec vllius rei in vlla creatura significationem vllam habent. Nam cùm mihi placuerit, creaturæ iussionem meam ostendunt: velut cùm faber nummum faciens: in eo sibi placentẽ formam celat, tunc nummus formam sibi impositam declarat, illius rei nullam de se potestatem habens: non enim nouit quando faber aliam formam illi imponere velit, quoniam nec longum nec breue tempus suæ formæ discernit. Quid est hoc? O homo, si lapis coram te iaceret, in quo aliqua signa passionum tuarum diligenter eum intuens coniectares, tunc secundùm fallacem æstimationem tuam aut de infœlicitate tua contristatus aut de prosperitate tua elatus in deceptione diceres: Ah moriar, vel Euah viuam, aut Heu quanta infœlicitas, seu Euah quanta prosperitas mea est? Et quid tunc lapis ille tibi conferret? Num quidquam tibi auferret aut daret? Sed nec tibi obesse vel prodesse valeret. Sic etiam nec stellæ, nec ignis, nec aues, nec alia huiusmodi creatura in signis scrutationis suæ quicquam te lædere vel iuuare possunt. Quòd si in creaturam hanc, quæ ad seruitutem tuam facta est, confidis, abiiciens me; tunc & ego iusto iudicio meo ex oculis meis te proiicio, fœlicitatem regni mei tibi auferens. Nam ego nolo, vt stellas aut ignem, aut volatilia, seu alias tales creaturas de futuris causis scruteris: quoniam si illas pertinaciter inspexeris, oculi tui mihi molesti sunt: & te velut perditum angelum deiicio, qui veritatem deseruit, & seipsum in damnationem præcipitauit. O homo, cùm stellæ & cæteræ creaturæ factæ sunt, vbi fuisti? Nunquid de institutione earum consilium dedisti? Sed præsumptio huiusmodi scisitationis orta est in primo schismate, videlicet cùm homines Deum ita obliuioni dedissent, quòd gens & gens diuersas creaturas superbè inspexit, & de futuris causis varia signa in eis quæsiuit. Et sic etiam error ille in Baal exortus est, quòd scilicet homines creaturam Dei pro Deo decepti colebant: ad quod eos etiam diabolica irrisio excitauit: quia post creaturam magis quàm post creatorem suum respexerunt, hoc scire cupientes quod scire non debuerunt.

Stella in seruitio cõmunes.

Vnde

Ars magica.

22 Vnde etiam peiora his apparuerunt, cum homines per diabolum magica arte insanire cœperunt, ita quod diabolum vident & audiunt: ipse eis fallaciter loquens & ostendens, quod velut creaturam vnam inspiciant, & alia existat. Tacendum autem, quomodo per diabolum primi seductores edocti sint; ita & eum vident & audiunt, qui eum hoc modo quærunt: sed ipsi de hac nequitia sua valde reprehensibiles sunt, cum me Deum suum hoc modo negant, & antiquum seductorem sequuntur. O homo, ego in sanguine filij mei te quæsiui, non cum malitia & iniquitate, sed cum magna æquitate: attamen tu me verum Deum deseris, & illum qui mendax est, sequeris. Ego sum iustitia & veritas, & ideo admoneo te in fide, & exhortor in amore, ac reduco te in pœnitentia: vt quamuis sanguinolentus sis in pollutionibus peccatorum, tamen exsurgas de casu ruinę tuæ. Quod si me contempseris, parabolam huius similitudinis in te senties.

23 Quidam dominus multos seruos sub se habens, vnicuiq; eorum, suorum plurima arma bellica dedit, dicens eis: Estote probi & fortes, tarditatem & secordiam abiicientes. Sed dum quoddam iter cum eo agerent serui illi, quendam illusorem & extraneæ artis pessimum adinuentorem secus viam viderunt: vnde & quidam ex eis decepti dixerunt: Hominis huius artes discere volumus. Et arma quę habebant abiicientes, ad illum cucurrerunt. Quibus alij dicebant: Quid facitis? hunc illusorem sequentes, & dominum vestrum ad iracundiam prouocantes? Et illi responderunt: Quid hoc domino nostro oberit? Et dominus eorum ait ilis: O serui nequam, cur arma quæ vobis dederam, abiecistis? Et cur carius est vobis hanc vanitatem amare, quam mihi domino vestro, cuius naturales serui estis, inseruire? Ite ergo post illusorem illum, vt cupitis, quia mihi amplius seruire non valebitis, & videte quid vobis fallacia eius proderit. Et abiecit eos abs se. Quod dicitur: Dominus ille est Deus omnipotens, omnes populos sub potestate sua regens, qui omnem hominem ratione & intellectu armauit; mandans ei, vt strenuus & vigilans in instrumentis virtutum sit, prauitatem & negligentiam à se excutiens. Sed dum homines viam veritatis arripiunt, in diuinis mandatis pergere disponentes, ipsis multæ tentationes occurrunt, ita quod diabolum totius orbis seductorem & multiplicium vitiorum nequissimum artificem, non in via veritatis, sed in deceptione in insidiis positum attendunt. Vnde & quidam eorum iniustitiæ magis quam rectitudinis amatores per diabolum seducti, plus student antiqui seductoris vitia imitari, quam virtutes Dei amplecti. Et intellectum quem ad diuina mandata conuertere deberent, ad vitia terrenæ iniquitatis retorquentes, diabolo se submittunt. Quibus directores eorum velut consodales & conserui per sacras scripturas sæpenumero occurrentes, facta eorum improperant, & cur diabolica figmenta sequentes, diuinam vltionem in se inducant, illis increpant. Sed illi admonitiones eorum sæpissime deridentes, se in paucis peccare & Deum suum minime offendere per superbiam suam affirmant. Vnde cum in obduratione illa perseuerant, diuinam sententiam accipiunt, quoniam ipsis seruis iniquitatis obiiciebatur, cur intellectum desuper sibi datum suffocauerint, & cur magis deceptiones antiqui seductoris susceperint, quam creatorem suum cui strenue famulari debuerant, contempserunt: ita ipsi à Deo contempti, diabolicis illusionibus secundum opera sua, quia Deo seruire noluerunt, deputantur: vbi considerare coguntur, quid nequissima seductio ipsis profuerit; quoniam hoc modo abiecti, damnationem incurrunt: quod diuina præcepta postponentes, plus diabolum, quam Deum sequi contenderunt. Nolo enim, vt me homines contemnant, qui me in fide scire debent: quoniam si me abiecerint, & creaturam sibi subiectam inspexerint, antiquum seductorem in hoc imitantes; tunc & ego permitto, vt eis & cum creatura & cum diabolo secundum concupiscentiam cordis sui fiat, quatenus ita experiantur, quid ipsis prosit creatura, quam adorauerunt, vel quid eis diabolus conferat, quem secuti sunt.

24 Et, ô stulti homines, cur creaturam de tempore vitæ vestræ inquiritis? Nullus enim vestrûm potest tempus vitę suę aut scire, aut illud deuitare, aut illud transilire, quod per me sibi constitutum est viuere: quia, ô homo, cum salus tua tam in sæcularibus quam in spiritualibus completa fuerit, præsens sæculum mutabis, & ad illud quod terminum non inueniet, transibis. Nam cum homo tantæ fortitudinis est, quod præ aliis ardentius in me ardet; ita quod in conscientia terrenæ fœcis fœtentium peccatorum non torpens insidias antiqui serpentis deuitet, huius spiritum à corpore suo non excutio, antequam dulces fructus suos in suauissimo odore ad bonum finem perducat: illum autem quem tantæ fragilitatis considero, quod tener debilis est in graui dolore sui corporis, & in attractione pestimi insidiatoris iugum meum ferre; de hoc sæculo subtraho, antequam in tempore marcescentis animi sui incipiat arescere: omnia enim scio. Volo autem humano generi omnem iustitiam ad suam cautelam dare; ita vt nullus hominum se possit excusare: cum homines moneo & hortor iustitiam facere, quando ipsis iudicium mortis incutio, velut iam iint morituri, cum adhuc diutius victuri sunt; hoc facio, quoniam nemo nisi secundum fructum quem in homine video, & secundum voluntatem meam qua ei viuere concedo, aliud tempus habere vel sibi disponere poterit; quemadmodum etiam Iob per me testatur, cum dicit: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt*

25 Quod dicitur: Tu qui super omnes es, & omnia antequam fiant, præuides; etiam in secreto maiestatis tuæ constituisti terminos humanæ vitę, ita quod nec scientia, nec prudentia, nec astutia vllius rei præteriri poterunt in vlla ætate seu in infantia, seu in iuuentute, seu in senectute hominum, nisi secundum prouidentiam secretorum tuorum, qui homines ad gloriam nominis tui fieri voluisti.

Præcognitio probationem nõ impedit.

26 Ego enim, ô homo, ante constitutionem mundi noui te; sed tamen dies tuos in operibus tuis volo considerare, & fructum eorum discernere, & quæque opera tua diligenter & acutissime examinare. Quemcunque autem subito de temporali vita subtraho, huius vitæ vtilitas completa est, ita vt si vita ipsius longius protraheretur, nullam vbertatem bonorum fructuum amplius afferret: sed velut teporem carneæ fidei habens, tantum quasi vacuo sono verborum fumum emitteret, nec intimo tactu cordis sui me tangeret. Vnde ipsi inducias huius vitæ non tribuo, sed antequam in teporem huiusmodi infertilitatis cadat, eum ab hoc sæculo subduco. Sed ad te sermo meus, ô homo: Cur me contemnis? Nonne Prophetas meos ad te misi, & filium meum pro salute tua in lignum crucis dedi, & Apostolos meos, vt tibi viam veritatis per Euangelium ostenderent, ad te destinaui? Vnde non potes te excusare, quin omnia bona habeas per me. Et cur nunc postponis me?

Error diuinandi intolerabilis Deo.

27 Sed errorem huius peruersitatis, scilicet quod signa actuum tuorum in stellis aut in igne, aut in auibus, seu in alia huiusmodi creatura quæris, amplius nolo tolerare: quoniam omnes, qui errorem hunc diabolica visione primum adinuenerunt, Deum contemnentes, præcepta illius omnino abiecerunt, quapropter & ipsi contempti sunt. Ego autem super omnem creaturam in claritate diuinitatis meæ fulgeo, ita quod miracula mea in sanctis meis tibi manifestata sunt: quare vlterius nolo, vt amplius hunc errorem auguriandi exerceas, sed vt in me aspicias.

28 O stulte, considera quis sum ego: considera quia ego sum summum bonum. Vnde omnia bona tibi tribuo, cum diligenter quæsieris me. Et quem credis me esse? Deus sum super omnia & in omnibus. Sed tu vis me haberi velut rusticum, qui dominum suum timet. Quomodo? Tu vis vt voluntatem tuam faciam, cum tu præcepta mea contemnas. Non autem sic Deus est. Quid hoc? Ipse enim nec opinionem initij, nec timorem finis habet. Cœli in laudibus meis sonant me inspicientes, & secundum iustitiam illam, qua per me positi sunt, mihi obedientes. Sol etiam, Luna & stellæ in nubibus cœli secundum tenorem suum apparent; necnon flabra ventorum & pluuiæ in aere, vt eis constitutum est, currunt: & hæc omnia creatori suo secundum iussionem ipsius obediunt. Tu autem, ô homo, præcepta mea non imples, sed voluntatem tuam sequeris; velut iustitia legis tibi nec posita nec offensa sit. In tanta enim contumacia es, quamuis cinis sis, quod tibi non sufficit iustitia legis meæ, quæ arata & culta est in sanguine filij mei, & bene trita in sanctis meis tam veteris quam noui testamenti.

29 Sed in magna stultitia vis me apprehendere, cum mihi hoc modo insultas, dicens: Si deo placet, vt iustus & bonus sim: quare non facit me rectum? tu ita me capere volens ac si petulans hœdus ceruum velit capere, qui fortissimis cornibus cerui valide retruditur & perforatur. Sic & ego, cum mecum petulanter in moribus tuis ludere vis, in præceptis legis meæ quasi cornibus meis iusto iudicio meo te comminuo. Hæc enim sunt tubæ in aures tuas resonantes, sed tu illas non sequeris, sed post lupum curris, quem te putas ita domasse, vt te lædere non possit. Sed famelicus lupus deuorat te, dicens: Quis ista secus viam errauit, nec pastorem suum sequi voluit, sed post me cucurrit: quare illam deglutire volo, quia me elegit, & pastorem suum deseruit. O homo, Deus iustus est; & ideo omnia, quæ in cœlo & in terra fecit, iusta ordinatione disposuit.

30 Ego enim sum magnus medicus omnium languorum, faciens velut medicus qui languidum videt, qui medelam ardenter desiderat. Quid hoc? Si languor paruus est, eum facile curat: si vero grauis est, languido dicit: Ego argentum & aurum à te exigo: Quod si illa mihi dederis, te iuuabo. Sic & ego, ô homo, facio. Minora peccata in gemitu & lachrymis ac in bona voluntate hominum abstergo; in grauioribus autem culpis mando, ô homo, age pœnitentiam & morum correctionem, & ostendam tibi misericordiam meam, & vitam æternam tibi dabo. Et stellas & alias creaturas de causis tibi occurrentibus ne inspicias, nec diabolum adores, nec eum inuoces, nec quicquam ab eo perquiras; quoniam si plus volueris scire, quam te oporteat nosse, ab antiquo seductore decipieris: quia cum primus homo plus quæsiuit, quam quærere deberet, ab illo deceptus est, & in perditionem iuit. Sed tamen diabolus nescivit hominis redemptionem; vbi filius Dei mortem occidit, & infernum confregit: diabolus enim in initio per mulierem deuicit hominem, sed Deus in fine temporum per mulierem contriuit diabolum, quæ filium Dei genuit, qui diabolica opera mirabiliter ad nihilum duxit; quemadmodum Ioannes dilectus meus testatur, dicens: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.*

31 Quid hoc? Propter salutem & saluationem hominum apparuit maxima claritas, scilicet filius Dei, paupertatem humani corporis induens; sed velut ardens stella in vmbrosis nubibus fulgens, ita positus in torculari, vbi vinum sine sorde fermenti, exprimendum erat: quoniam ipse lapis angularis super torcular cecidit, & tale vinum expressit, quod maximum odorem suauitatis dedit. Ipse enim absque inundatione polluti sanguinis in humano genere clarus homo effulgens, pede militiæ suæ os antiqui serpentis conculcauit, dissoluens à iecore iniquitatis illius omnia iacula, quæ & furore & libidine plena erant, eum omnino contemptibilem reddidit. Vnde quicunque scientiam in Spiritu sancto, & pennas in fide habet, iste admonitionem meam non transgrediatur, sed eam in gustu animæ suæ amplectendo percipiat.

* * *

VI-

VISIO QVARTA.

1 ET deinde vidi maximum ſerenisſimumque ſplendorem velut plurimis oculis flammantem, quatuorq; angulos ad quatuor partes mundi verſos habentem; qui ſecretum ſuperni creatoris deſignans, in maximo myſterio mihi manifeſtatus eſt: in quo etiam alius ſplendor ſimilis auroræ in ſe purpurei fulgoris claritatem tenens apparuit. Et ecce vidi in terra homines in fictilibus lac portantes, & inde caſeos conficientes; cuius quædam pars ſpiſſa fuit, vnde fortes caſei facti ſunt: pars quædam tenuis, de qua debiles caſei coagulati ſunt: & pars quædam tabe permixta, de qua amari caſei proceſſerunt: & ita vidi quaſi mulierem velut integram formam hominis in vtero ſuo habentem. Et ecce per ſecretam diſpoſitionem ſuperni conditoris eadem forma motum vitalis motionis dedit, & ignea ſphæra nulla lineamenta humani corporis habens, cor illius formæ poſſedit, & cerebrum eius tetigit, & ſe per omnia membra ipſius transfudit. Ac deinde forma illa hominis de vtero mulieris hoc modo viuificata egrediente, ſecundum motus quos ſphæra in illa forma hominis habuit, ſecundum etiam illos & colorem ſuum mutauit.

2 Et vidi quod quandam huiuſmodi ſphæram in humano corpore manentem multi turbines inuadentes, eam vſque ad terram incuruabant, ſed illa reſumptis viribus ſe viriliter erigens, eis viriliter reſtitit, & cum gemitu ſic queſta eſt: Ego peregrina vbi ſum? In vmbra mortis. Et qua via vado? In viam erroris: & quam conſolationem habeo? Quam peregrini habent. Ego enim debui habere tabernaculum lapidibus quadris Sole & ſtellis lucidioribus ornatum, quia occidens Sol occidentes ſtellæ non debebant in eo lucere, ſed in eo debuit eſſe angelica gloria, quoniam topaſius debuit eſſe fundamentum ipſius, & omnes gemmæ ſtructura eius, ſcalæ eius ex cryſtallo poſitæ & plateæ ipſius auro ſtratæ. Nam ego debui eſſe conſors Angelorum, quia ſum viuens ſpiraculum quod Deus miſit in aridum limum. Vnde deberem Deum ſcire, & ipſum ſentire. Sed heu cum tabernaculum meum intellexit ſe poſſe oculis ſuis in omnes vias videre, inſtrumentum ſuum ad Aquilonem poſuit. Ah, Ah, vbi capta ſum, & ſpoliata oculis & gaudio ſcientiæ, veſte mea tota ſciſſa, & ſic de hæreditate mea pulſa, ducta ſum in alienum locum, qui omni pulchritudine & honore caret, vbi peſſimo ſeruitio ſubiecta ſum. Sed & ij, qui me cœperunt colaphis percutientes, cum porcis me manducare fecerunt: & ita in deſertum locum mittentes, amariſſimas etiam herbas melle intinctas mihi ad eſum porrexerunt. Poſtea quoque ſuper torcular me extendentes, multis tormentis afflixerunt: deinde veſtibus meis me exuentes & multas plagas mihi inferentes, in venationem me dederunt, vbi peſſimi & venenoſi ſerpentes, vt ſcorpiones, & aſpides, & ſimiles, mei capturam fecerunt, & me totam ſuo veneno conſperſerunt, ita quod inde tota eneruis & debilitata facta ſum. Vnde illi me deridentes dixerunt: Vbi nunc eſt honor tuus? Ah ego tunc tota contremui, & magno gemitu mœroris mecum in ſilentio dixi: O vbi ſum? Ah vnde huc veni? Et quem conſolatorem huius captiuitatis quæram? Quomodo has catenas dirumpam? O quis oculus vulnera mea videre poterit? Et quæ nares fœtorem hunc tetrum ſufferre valebunt? Aut quæ manus ea oleo perunget? Ah quis dolori meo miſericordiam impendet? Cœlum ergo clamorem meum exaudiat, & terra mœrore meo tremiſcat, & omne quod viuit, ad captiuitatem meam ſe miſerando inclinet: quia amariſſimus dolor me premit, quoniam ſine conſolatione & ſine adiutorio peregrina ſum. O quis conſolabitur me, quoniam & mater mea dereliquit me, quia à via ſalutis erraui? Quis me adiuuabit niſi Deus? Cum autem recordor tui, ô mater Sion, in qua habitare debui; amariſſima feruitia, quibus ſubiecta ſum, inſpicio. Et cum omne genus muſicorum, quod in te eſt, ad memoriam duco, vulnera mea attendo. Sed cum & recordor gaudij & lætitiæ gloriæ tuæ, tunc venena illa, quibus infecta ſum, deteſtor. O quo me vertam? Et quo fugiam? Dolor enim meus innumerabilis eſt, quoniam ſi in malis iſtis perſeuerauero, ſocia illorum ero, cum quibus in terra Babylonia turpiter conuerſata ſum. Et vbi es, ô mater mea Sion? Hei mihi, quia à te infœliciter receſſi: quoniam ſi te neſcirem, leuius dolorem meum perferrem. Nunc autem peſſimos ſodales meos fugiam, quia infœlix Babylonia in plumbeam ſtateram me poſuit, ac maximis trabibus me oppreſſit, ita vt vix reſpirare poſſim. Sed cum lachrymas meas ad te, ô mater mea, cum gemitibus meis effundo; tantos ſtrepitus ſonantium aquarum infœlix Babylonia emittit, quod vocem meam non attendis. Ergo multa ſolicitudine arctas vias quæram, in quibus peſſimos ſodales meos & infœlicem captiuitatem meam effugere queam. Et cum hæc dixiſſem, elapſa ſum anguſtam ſemitam, vbi me in paruo foramine contra Septentrionem abſcondi amariſſime flens; quoniam matrem meam perdideram, ibi etiam omnem dolorem meum & omnia vulnera mea conſiderabam: tantasq; effuſiones lachrymarum flendo & flendo ibi emiſi, quod omnis dolor & omnis liuor vulnerum meorum lachrymis iſtis perfuſus maduit. Et ecce ſuauiſſimus odor velut leuis aura à matre mea emiſſus, nares meas imbuit. O quantos gemitus & quantas lachrymas tunc effudi, cum paruam conſolationem illam adeſſe ſenſi. Et tantos vlulatus cum copioſis fletibus præ gaudio dedi, vt etiam mons ille, in cuius foramine me abſconderam, inde commotus fuerit. Et dixi: O mater, ô mater Sion, quidnam tandem fiet de me? Et vbi nunc eſt nobilis filia tua? O quamdiu, quamdiu maternæ dulcedinis tuæ expers ſum, quæ in multis delitiis me blande enutrieras? Et in his lachrymis ita delectabar, quaſi matrem meam viderem. Sed inimici mei clamores meos audientes, dicebant: Vbi eſt illa,

Querela pœnitētis animæ.

quam hactenus in consortio nostro secundùm voluntatem nostram tenuimus, quæ & omnem voluntatem nostram hactenus perfecit? Ecce nunc cœlicolas inuocat. Omnes ergò artes nostras excitemus, eam tanto studio & tanta solicitudine custodientes; ne vsquam à nobis effugere possit: quia eam nobis priùs omninò subiecimus. Si hoc fecerimus, iterum nos sequetur. Sed ego foramen, in quo me absconderam, latenter egressa; in quandam altitudinem ire cupiebam, vbi me inimici mei inuenire non valerent. At ipsi quoddam mare tanti feruoris mihi oppositum fuerunt, vt illud nullo modo transuadare potuerim. Sed & ibi quidam pons tantæ paruitatis & angustiæ erat, vt nec per illum transire valuerim. In fine quoque maris illius quædam altitudo montium tantorum acuminum apparuit, quòd nec ibi iter haberi posse sensi. Et dixi: O quid ego misera nunc faciam? Suauitatem matris meę nunc parumper senseram, vnde putabam quòd me vellet ad se reducere: sed ah num iterum relinquet me? ah quo me vertam? Nam, si modò in priorem captiuitatem venero, inimicis meis magis nunc quàm priùs ero ludibrio, quia ad matrem meam fideliter eiulaui, & quoniam suauitatem dulcedinis eius parumper sensi, cùm iterum modò ab ea derelicta sim. Sed ego per suauitatem illam, quam prius per matrem meam venientem senseram, adhuc tantæ fortitudinis fui, quod me ad Orientem verti, & quod iterum in angustissimas semitas tentare cœpi. Illæ autem semitæ spinis & tribulis & aliis huiusmodi impedimentis ita septæ erant, quod vix vlla vestigia in eis figere valebam: sed tamen cum maximo labore & sudore eas tandem vix pertransiens, ex illo labore tantam fatigationem incurri, quod vix respirare valui. Sic tandem cum maxima fatigatione ad cacumen montis, in quo me prius absconderam, euadens, ad vallem eius me inclinaui, vbi descendere volenti, aspides, scorpiones, dracones & alij huiusmodi serpentes simul occurrantes, in me sibilos suos emiserunt. Vnde ego exterrita, maximos vlulatus emisi, dicens: O mater vbi es? Leuius enim dolerem, si suauitatem visitationis tuæ prius non sensissem, quia nunc iterum in captiuitatem illam incidam, in qua dudum iacueram. Vbi ergo nunc est auxilium tuum? Tunc vocem matris meæ audiui, mihi dicentem: O filia curre: pennæ enim ad volandum tibi datæ sunt à fortissimo datore, cui nullus valet resistere. Ergo velociter transuola omnes has contrarietates. Et ego multa consolatione confortata, pennas illas suscepi, & omnia venenosa ac mortifera illa velociter transilij.

3 Et veni ad quoddam tabernaculum, quod interius totum erat ex fortissima calybe fabricatum. Et subiens illud, opera claritatis feci, cùm prius opera tenebrarum fecissem. In illo autem tabernaculo ad Septentrionem columnam impoliti ferri posui, in qua flabella diuersarum pennarum se hac & illac mouentium suspendi: & manna inueniens, illud comedi. Ad Orientem vero propugnaculum ex quadris lapidibus constituxi, & in eo ignem accendens, ibi myrrhatum vinum cum musto bibi. Sed ad Meridiem turrim ex quadris lapidibus struxi, in qua clypeos rubri coloris suspendi, & in cuius fenestras tubas ex ebore factas collocaui. In medio autem illius turris mel effudi, ex quo pretiosum vnguentum cum aliis aromatibus confeci: ita vt eo maximus odor per totum ambitum funderetur tabernaculi. Ad Occidentem vero nullum opus posui, quia pars illa ad sæculum versa erat. Sed interim dum in hoc labore occupata versarer, inimici mei pharetras suas arripientes, sagittis suis tabernaculum meum aggressi sunt: sed ego præ studio operis quod faciebam, tamdiu insaniam eorum non attendi, vsque dum fores tabernaculi sagittis complerentur: nulla tamen sagittarum nec ianuam læsit, nec calybem tabernaculi penetrare valuit, vnde nec ego ab eis lædi potui. Quod illi percipientes, maximam inundationem aquarum emiserunt, vt me & tabernaculum meum deiicerent: attamen in hac malitia sua nihil profecerunt. Quapropter eos audacter derisi, dicens: Faber qui hoc tabernaculum struxit, vobis sapientior & fortior fuit. Vnde sagittas vestras colligentes eas deponite, quoniam nullam amodo victoriam voluntatis vestræ in me valebunt proficere. Ecce, quæ vulnera ostendunt? Ego multo dolore & labore plurima bella aduersum vos egi, cum me morti tradere velletis, sed tamen non potuistis: quia fortissimis armis munita, acutos gladios contra vos vibraui, per quos me à vobis strenue defendi. Recedite ergo, recidite: quoniam me vlterius habere non poteritis.

4 Sed ego fragilis & indocta vidi etiam quod in aliam sphæram plurimi turbines irruentes eam deiicere voluerunt, sed non valuerunt; quoniam illa fortiter repugnans, locum eis insaniendi non dedit: attamen sic cum querela dixit: Quamuis pauperc̃ula sim, magnum tamen officium nacta sum. O quid sum ego? Et quæ est querimonia clamoris mei? Spiraculum enim viuens in homine sum posita, in tabernaculum medullarum, venarum, ossium & carnis, ita quod eidem tabernaculo vegetationem tribuo, & illud vbique in motibus suis circumfero. Sed heu sensibilitas illius profert spurcitiam, lasciuiam & petulantiam morum ac omnia genera vitiorum. Ah, ô quam magno gemitu hoc conqueror. Nam cum prosperitatem vitæ in operibus tabernaculi mei habeo, occurrit mihi diabolica persuasio in omnibus me irretiens, ac in flatum elationis ita me erigens, quod sæpenumero dico: Ego secundum appetitum virium terræ meæ operari volo: in tabernaculo enim meo omnia opera intelligo, sed concupiscentia eius ita impedior, quod opera mea non discerno, antequam dira in me vulnera sentio. O quantum planctum tunc emitto. Et dico: O Deus nonne creasti me? Ecce vilis terra opprimit me. Et sic fugam ineo? Quomodo? Cum tabernaculum meum carnalem concupiscentiam habet, tunc quia voluptatem in opere habeo, cum ipsa opus illud perficio. Sed ratio, quæ in me cum scientia viget, ostendit mihi quoniam à Deo

Militia fidelis animæ.

crea-

creata sum: in qua ratione etiam sentio, quia Adam, cùm diuinum præceptum transgressus esset, timens abscondit se. Sic & ego timens, à facie Dei me abscondo, cùm opera mea in tabernaculo meo contraria Deo sentio. Cùm autem plumbeam stateram peccati superpondero, omnia opera illa quæ in carnalibus concupiscentiis ardent, contemno.

5 Heu me errabundam, quomodo in his periculis subsistere valebo? Et cum diabolica persuasio me inuadit, sic dicens: Est ne hoc bonum quod nescis, nec quod vides, nec quod facere potes; quid tunc erit? Et cùm iterum dicit: Quod nosti, & quod intelligis, & quod facere vales, cur hoc deseris? quid tunc faciam? At plena dolore respondebo: Ah me miseram, quia per Adam noxia venena mihi afflata sunt, cùm ipse diuinum præceptum transgressus & in terram eiectus carnalia tabernacula coadunauit. Nam in gustu, quem ipse in pomo per inobedientiam gustauit, noxia dulcedo sanguini & carni se ingerit, & ita pollutionem vitiorum producit. Vnde peccatum carnis in me sentio, purissimum autem Deum, quia per culpam inebrietata sum, negligo. Sed hoc, quod gustus tabernaculi mei in se habet, sequi non debeo. Nam ex hoc, quod Adam in prima apparitione purus & simplex à Deo creatus erat, timeo Deum, sciens quoniam per ipsum pura & simplex creata sum. Sed modo per malam consuetudinem vitiorum, in inquietudinem vertor. O in his omnibus peregrina & errabunda sum. Quapropter turbines diuersorum sonituum multa mendacia proferunt, quæ in me surgunt, sic dicentia: Quæ es? Et quid ais? Et qualia sunt certamina, quæ exerces? Infelix enim es. Nam ignoras, vtrum bonum an malum opus tuum sit. Quo tandem ibis, & quis te conseruabit? Et qui sunt errores illi, qui te ad insaniam ducunt? An perficies quod te delectat, an fugies quod te angustat? O quid facies, quia istud scis, & illud ignoras? Quod enim te delectat, hoc tibi licitum non est: & quod te angustat, ad hoc præcepto Dei compelleris. Et vnde scis, si hæc ita sint? Melius tibi esset, si non fuisses. Et postquam isti turbines ita in me surrexerunt, incipio alteram viam ambulare, quę carni meæ grauis est, quia incipio iustitiam facere. Sed iterum intra me dubito, vtrum hoc ex dono Spiritus sancti sit, an non, & dico: Hoc inutile est. Et deinde super nubes volare volo. Quo modo? super intellectum meum volo ascendere, & ea incipere, quæ perficere non possum. Sed cùm hæc facere tento, maximam tristitiam in me excito, ita quòd nec in altitudine sanctitatis, nec in planitie bonæ voluntatis vllum opus perficio, sed inquietudinem dubietatis, desperationis, mœroris & oppressionis omnium rerum in me sentio. Et cùm diabolica persuasio me sic inquietat, ô quanta calamitas me tunc obruit; quia omnia mala, quæ sunt, aut esse possunt in vituperatione, in maledictione, in mortificatione corporis & animæ; in turpibus verbis contra munditiam, salutem & altitudinem, quæ in Deo sunt: hæc omnia mihi infœlici occurrunt. Vnde etiam hæc iniquitas mihi insurgit, scilicet quòd omnis fœlicitas & omne bonum, quod tam in homine quàm in Deo est, mihi molestum & graue erit, magis mortem quàm vitam mihi proponens. Ah quàm infœlix certamen, sic de labore in laborem, de dolore in dolorem, de schismate in schisma se mihi ingerit, omnem fœlicitatem mihi auferens!

6 Sed vnde excitatur malum istorum errorum? ex hoc videlicet: Antiquus enim serpens in se habet astutiam & deceptricem versutiam, atque mortiferum iniquitatis venenum. Nam in astutia sua ingerit mihi contumaciam peccatorum, à timore Domini intellectum meum auferens; ita quòd peccare non timeo, sic dicens: Quis est Deus? Nescio quis Deus sit. In deceptrice autem versutia sua obturationem mihi inducit; ita quòd in malo obturor. Sed in mortifero iniquitatis veneno spirituale gaudium mihi aufert; ita quòd nec in homine nec in Deo lætari valeo: sic dubietatem desperationis mihi inducens, scilicet quòd dubito vtrum saluari possim an non? O quæ sunt ista tabernacula, quæ tanta pericula sustinent in diabolica deceptione? Sed cùm per donum Dei recordor quòd à Deo creata sum, tunc inter has oppressiones, his diabolicis persuasionibus hoc modo respondeo: Ego fragile terræ non cedam, sed fortissima bella exercebo. Quomodo? Cùm tabernaculum meum opera iniustitiæ exercere vult, medullam, sanguinem & carnem in sapientia patientiæ conterendo me defendam, quemadmodum fortis leo se defendit, & vt serpens in antro suo ictum mortis fugiens se abscondit. Nam nec sagittas diaboli debeo suscipere, nec voluntatem carnis exercere. *Error vnde.*

7 Quomodo? Cùm enim ira circa tabernaculum meum intendere voluerit, in bonitatem Dei respicio, quem ira nunquam tetigit, & ita aëre qui sua lenitate ariditatem terræ rigat, suauior euado spirituale gaudium habens: cùm virtutes in me vigorem suum ostendere incipiunt. Et sic bonitatem Dei sentio. Cùm autem odium me denigrare tentauerit, in misericordiam & in martyrium filij Dei aspicio, & ita carnem meam constringo, suauem odorem rosarum quæ de spinis oriuntur, fideli recordatione suscipiens, & ita redemptorem meum agnosco. Sed cùm superbia turrim vanitatis suæ sine fundamento petræ in me contenderit ponere, & hanc altitudinem in me erigere, quæ nullum sibi similem vult habere, sed semper altior cæteris videri. O quis mihi tunc succurret, quoniam antiquus serpens, qui super omnes esse volens in mortem cecidit, me deiicere conatur? Tunc cum mœrore dico: Vbi est Rex meus & Deus meus? Quid possum boni absque Deo? Nihil. Et sic ad Deum, qui mihi vitam dedit, respicio; & ad beatissimam virginem illam, quæ superbiam antiquæ speluncæ contriuit, curro: sic fortissimus lapis ædificij Dei effecta, rapacissimus lupus, qui hamo diuinitatis strangulatus est, me amodo superare non poterit. Et ita suauissimum bonum, id est, humilitatem in altitudine Dei & recordatione inter omnes humilitatem beatissimę

virginis cognosco, suauitatem indeficientis balsami sentiens: & ita in dulcedine Dei gaudens velut sim in odore omnium pigmentorum, cętera etiam vitia fortissimo humilitatis deiicio.

8 Et deinde ego paupercula vidi quòd alia quędam sphæra ex lineamentis formæ suæ se contrahens, nodos eius resoluit, & se ab eis cum gemitu extraxit, sedemq; suam mœrens dirupit. Et dixit: De tabernaculo meo exibo. Sed ego misera plenaq; mœroris quo vadam? Per horrendas & per metuendas semitas ad iudicium vbi iudicabor. Opera enim quę in tabernaculo meo operata sum, ostendam; & ibi remunerationem secundùm merita mea recipiam. O quantus timor? O quanta angustia illic mihi erit? Cumq; se hoc modo resolueret, quidam spiritus & lucidi & vmbrosi venerunt, qui socij conuersationis eius secundùm quam in sede sua se mouerat, fuerunt; resolutionem eius expectantes: vt postquam se soluisset, eam secum abducerent. Et audiui viuentem vocem illis dicentem: Secundùm opera sua, de loco ad locum ducatur. Et iterum audiui de cœlo vocem mihi dicentem: Beata & ineffabilis Trinitas se mundo manifestauit, cùm Pater Vnigenitum suum de Spiritu sancto conceptum & de virgine natum misit in mundum, quatenus homines multa diuersitate nati multisq; peccatis obligati per eum ad viam veritatis reducerentur, ita vt ipsi à nexibus corporeæ molis absoluti bona & sancta opera secum portantes, gaudia supernæ hæreditatis adipiscerentur.

Quid splẽdor oculis flammãs.

9 Quod vt profundiùs, ô homo, capias, & apertiùs diiudices; vides maximum serenissimumq; splendorem velut plurimis oculis flammantem, quatuorq; angulos ad quatuor partes mundi versos habentem, qui magnam in mysteriis puramq; in manifestationibus scientiam Dei significat, maxima profunditate perspicuitatis radiante, & acutissimas acies quadrifidæ stabilitatis ad quatuor plagas orbis extendentem, vbi ipsa tam illos qui abiiciuntur quàm illos qui colliguntur venientes acutissimè præuidet, mysterium supernæ maiestatis ostendens; quod in typo summæ altitudinis & profunditatis tibi, vt vides, demonstratur.

Quid splẽdor similis aurorę.

10 In quo etiam alius splendor similis auroræ in se purpurei fulgoris claritatem tenens apparet, quia scientia Dei etiam hoc ostendit, quòd vnigenitus patris de virgine carnem sumens, sanguinem suum in candore fidei pro salute hominum fundere dignatus est: in qua scientia Dei, boni & mali ostenduntur: quoniam ipsa nulla obscuritate vllius rei obnubilatur. Sed tu, ô homo, dicis: Quid faciet homo, cùm Deus prænouit omnia quæ ipse facturus est? Ad quæ ego: O stulte in nequitia cordis tui, illum imitaris qui viam veritatis primùm recusans mendacium veritati opposuit, cùm te summæ bonitati similem facere voluit. Quis poterit initium & finem omnium quicquam latere qui est, fuit & permanebit? Sed tu quis es? Fauilla cineris es. Et quid nosti, cùm non esses? Sed tu lamentabile initium & miserabilem finem habens, contradicis quod nec scis, nec scire debes; videlicet incomprehensibilem pulchritudinem iustitiæ Dei, in qua nulla suspicio iniustitiæ inuenitur, nec inuenta est vnquam, nec inuenietur. O stulte, vbi putas esse patrem iniquitatis, quem imitaris? Quid hoc? Cùm superbia te inflat, super sydera & super alias creaturas & super Angelos vis eleuari, qui præcepta Dei per omnia & super omnia adimplent. Sed tu cades, sicut & ille cecidit, qui mendacium veritati opposuit. Mendacium enim ipse dilexit, & ideò morte inuolutus in abyssum corruit. Ergo, ô homo, attende. Cùm nec inspicis charitatem illam qua te Deus liberauit, nec attendis quanta bona tibi Deus semper impendit, nec tu consideras quomodo ipse te à morte reuocat; frequenter in peccata corruis, vbi magis mortem quam vitam diligis: si tunc tandem ad mentem tuam reuocas scripturas & doctrinas illas, quas tibi antiqui & fideles patres tui proposuerũt, scilicet quòd malum debes deuitare & bonũ operari; si tunc ex intimo cordis dixeris: Grauiter peccaui, quare oportet me cum digna pœnitentia ad patrem meum, qui me creauit, redire: tunc pater tuus benignè suscipit te, & in sinum suum te reponens dulcibus vlnis amplectitur te. Nunc autem beatitudinem illam, quæ tibi à Deo proposita est, scire contemnis, ac iustitiam Dei audire vel operari recusas. Nunquid si fieri posset, magis iudicium Dei iniustum quàm iustum vocares? Quapropter si sanguine filij Dei redemptus non esses, in perditione perditus iaceres. Sed iudicium Dei verum & iustum est. Vnde, ô homo, quam vtilitatem inde consequeris, quòd te in iudicio meo decerpis? In choro Angelorum & in electa vinea mea est laus laudantium & dicentium: Gloria tibi Domine, qui iustus es & verax: nec iudicio meo per eos contradicitur, quoniam iusti sunt. Sed quid diabolo profuit, quòd se mihi opposuit? Qui cùm vidit se multam claritatem habere, super omnes se voluit exaltare, ita quòd ei innumerabilis turba superborum spirituum consensit, quos omnes diuina virtus in zelo iustitiæ suæ simul cum illo deiecit: sic etiam omnes deiiciuntur, qui in perseuerantia mali iustitiam Dei postponere conantur; quoniam ipsi summum bonum in peruersitatem nequitiæ peruertere laborant. Vnde nequaquam Deus quòd iniustum est, constituit; sed omne quod rectum est, in æquitate bonitatis suæ ordinauit.

11 Sed & illi homines, qui in infidelitate sua Deum abiecerunt sculptilia sibi facientes, in quibus diabolus ingressus illos illusit; in insania huiusmodi vanitatis surrexerunt, postquam genus hominum pertransiit, quibus Adam & Eua dixerant quomodo à Deo facti essent, & quomodo de paradiso expulsi fuissent. Quos alij in eadem peruersitate insequentes, creaturam Dei magis quàm ipsum creatorem suum coluerunt, & ea quæ non viuunt, vitam suam disponere putauerunt. Vnde & ij qui adhuc in ipsa infidelitate sordent, stultitiam suam deserant; & ad eum qui diabolo laqueos contriuit, fideliter conuertantur, vetustatem ignorantiæ deponentes & nouitatem vitæ amplectentes; vt seruus meus Ezechiel hortatur, dicens: *Proiicite à vobis omnes preuaricationes vestras, in quibus*

bus

bus prauaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.

12 Quòd dicitur: O vos qui in rectitudine perseuerare vultis in Sole Iustitiæ, cuius itinera beatę oues currunt, proiicite à conscientia cordis vestri scisitationem illorum occultorum quæ in necessaria & salutari doctrina vobis inutilia sunt, in quibus vanam celsitudinem volare voluistis, cùm in præcipitem lacum demersi estis, in quo nullus ordo habitat, sed illa horribilis confusio, quæ Deum igorant. Et cùm hoc feceritis, viam veritatis pergite pro salute vestra; vbi rutilantis cœli nouitatem in corde vestro inuenietis, & vt viuificę spirationis in spiritu vestro possidebitis.

Quid lac in fictilib.

13 Vides etiam in terra homines in fictilibus lac portantes & inde caseos conficientes: hi sunt in mundo homines tam viri quàm mulieres in corporibus suis humanum semen habentes, de quo genus diuersorum populorum procreatur: cuius quædam pars spissa est, vnde formantes casei fiunt, quia semen illud in fortitudine sua vtiliter & benè coctum & temperatum strenuos homines producit: quibus etiam magna claritas tam spiritualium quàm carnalium donorum in magnis patribus & in altis personis tribuitur, ita quòd in assecutione prudentiæ, discretionis & vtilitatis vitæ in operibus suis & coram Deo & coram hominibus perspicuè florent, quoniam diabolus in eis locum suum non inuenit: & pars quędam tenuis de qua debiles casei coagulantur; quoniam hoc semen in teneritudine sua imperfectè coctum & temperatum, teneros homines educit, qui vt plurimum stulti, tepidi & inutiles tam apud Deum quàm apud sæculum in operibus suis inueniuntur, & qui Deum strenuè non quærunt. Sed & pars quædam tabe permixta est, de qua amari casei efficiuntur, quia semen illud in debilitate permixtionis nequiter eductum & inutiliter commixtum informes homines efficit, qui sæpè amaritudinem, difficultatem & oppressionem cordis habent, vnde mentem suam ad superiora leuare non valent. Multi tamen ex his vtiles fiunt, attamen multas tempestates & inquietudines, & in cordibus & in moribus suis patiuntur, sed victores euadunt; quoniam si inquietudini suæ acquiescerent, tepidos & inutiles se redderent. Vnde Deus illos coërcens adiuuat, & ad viam salutis ducit, quemadmodum scriptum est: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.*

14 Quòd dicitur: Ego qui sum, nec initium nec finem habens, flagitiosos homines in actibus suis interimo, qui per spurcitias diaboli in vitiis macerantur, & qui in partibus infœlicis seminarij per diabolicas speluncas decipiuntur. O quàm versuta est viperea maxilla, quæ eos ita inflat, vt mors in ipsos subintret: vnde ab eis prosperitatem huius sæculi tollo: vbi ita per plurimas ærumnas occiduntur, quas superare non possunt, sed quæ eis iusto iudicio semper assunt. Sed ego qui nulla malitia deiicior, istos etiam in alia parte viuere mirabiliter sæpè facio, vbi in ipsis viuens spiraculum eorum sursum de terrenis trahò, ne in ipsis pereat: illos etiam percussionibus per multam infirmitatem laboris vitę suę interdum affligo, qui per superbiam mentem suam sibi nociuam altitudinem ascendere cupiunt, putantes quòd à nullo deiici valeant: eos etiam qui vbique præsens sum, ita interdum sursum ad veram sanitatem erigens, ne in fallacibus periculis per fallaces vanitates cõsumantur. Sed in his omnibus, non est homo nec alia creatura, quæ huiusmodi opera mea suo astu aut proterua potestate possit auertere, quia nullus est qui voluntati & iustitiæ meæ valeat resistere.

15 Sæpè quoque vt vides vbi in obliuione mea & in irrisione diaboli commixtio maris & fœminæ perpetratur, ibi & contractio nascentium hominum inuenitur, vt quoniam parentes illorum præcepta mea transgressi sunt, in ipsis filiis suis cruciati ad me in pœnitentia reuertantur: sæpè etiam hanc mirabilem creationem pro gloria mea & Sanctorum meorum in hominibus fieri permitto, vt dum illi qui hoc modo distorti sunt, per subuentionem electorum meorum sanitati restituuntur, nomen meum ex hoc tanto ardentius ab hominibus glorificetur. Qui autem hac lege se constringunt, ita quòd virginitatis decus appetunt, velut aurora ad cœlestia secreta ascendunt, quia propter amorem filij mei delectationes corporis sui à se abscindunt.

Quid quà si integra forma hominis in vtero.

16 Sed quòd vides quasi mulierem velut integram formam hominis in vtero suo habẽtem, hoc est, quia postquam fœmina humanum semen concepit, infans in integritate membrorum suorum in abdito cubiculo ventris ipsius formatur. Et ecce per secretam dispositionem superni conditoris, eadem forma motum viuidæ motionis dat, quoniam tum in secreta & occulta iussione & voluntate Dei infans in materno vtero congruo & rectè diuinitùs dispoſito tempore spiritum acceperit, motu corporis sui se viuere ostendit: velut terra se aperit, & flores fructûs sui profert, cùm ros super eam ceciderit: ita quòd velut ignea sphęra nulla lineamenta humani corporis habens, cor formæ illius possidet, quia anima in igne profundæ scientiæ ardens, diuersas res in circuitu suæ comprehensionis discernit: nec formam humanorum membrorum habens, quoniam ipsa nec corporea, nec caduca quemadmodum corpus hominis est, cor hominis confortat, quod quasi fundamentum corporis existens totum corpus regit, & velut firmamentum cœli inferiora continet, & superiora tegit: & etiam cerebrum hominis tangit, quia in viribus non solùm terrena, sed etiam cœlestia sapit, cùm Deum sapienter cognoscit, ac se per omnia membra hominis transfundit: quoniam vigore medullarum ac venarum & omnium membrorum toti corpori tribuit, veluti arbor ex sua radice succum & viriditatem omnibus ramis impartit. Sed deinde forma illa hominis de vtero mulieris hoc modo viuificata egrediens secundùm motus quos ipsa sphæra in eadem forma hominis habet, secundùm illos etiam & colorem suum mutat; quia postquam homo in materno vtero vitalem spiritum acceperit, & ita natus fuerit, & motus operationis suæ dederit secundùm opera illa

Quid ignea sphæra.

Quid mutatio colorũ formæ de vtero egredientis

quæ anima cum corpore operatur, secundùm hæc etiam & merita ipsius existunt, quoniam de bonis claritatem & de malis tenebrositatem sibi induit.

17 Ipsa quoque secundùm vires corporis, vires suas ostendit, ita quòd in infantia hominis simplicitatem profert, & in iuuentute fortitudinem; at in plena ætate cum omnes venæ hominis plenæ sunt, fortissimas vires suas in sapientia declarat: sicut etiam arbor in primo germine tenera existēs ac deinde fructum in se ostendens, tandem cum plenitudine vtilitatis educit: sed & postea in senectute hominis cum medulla & venæ ipsius iam ad debilitatem se incuruare cœperint, anima leuiores vires velut in tædio scientiæ hominis ostendit, quemadmodum & succus arboris, cum iam hyemale tempus instat, se in ramis & foliis suis contrahit, & vt eadem arbor in senectute sua iam incuruari incipit.

Semita 3. 18 Homo autem tres semitas in se habet. Quid hoc? Animam, corpus & sensus: in his vita hominis exercetur. Quomodo? Anima corpus viuificat, & sensus spirat: corpus autem animam sibi attrahit, & sensus aperit: sensus verò animam tangunt, & corpus alliciunt. Anima enim corpori vitam præbet, velut ignis lumen tenebris infundit, duas principales vires scilicet intellectum & voluntatem velut duo brachia habens: non quòd anima brachia ad se mouendum habeat, sed quòd in his viribus se manifestat, velut Sol per splendorem suum se declarat. Vnde, ô homo, quem non grauat sarcina medullarum, in scientia scripturarum attende.

Intellect⁹. 19 Intellectus ita fixus est animę, velut brachium corpori. Nam vt brachium, cui manus cum digitis adiuncta est, à corpore extenditur; ita etiam intellectus cum operatione cæterarum virium animæ, cum quibus quæque opera hominis intelligit, ex anima certissimè prodiens: ipse enim præ aliis viribus animæ, quicquid in operibus hominum est siue bonum, siue malum sit, intelligit: ita quòd per eum velut per magistrum omnia intelligun tur: quoniam ipsa anima hoc modo omnia discutit, sicut & triticum ab omni contrarietate expurgatur, perquirens vtrum vtilia an inutilia, vtrum amabilia an odibilia sint, vel vtrum ad vitam an ad mortem pertineant. Vnde sicut esca sine sale insulsa est, sicut etiam cæteræ vires animæ sine intellectu insipidæ & non discernentes sunt. Sed & ipse in anima vt scapula in corpore, medulla in cerebro cæterarum virium animæ existens, & velut humerus corporis fortis, diuinitatem etiam & humanitatem in Deo intelligens quædam inflexio brachij est: ita quoque rectam fidem in opere suo habens, quod etiam inflexio manus est, cum qua tunc diuersa opera in discretione quasi cum digitis discernit: ipse autem non operatur vt cęteræ vires animæ.

Voluntas. 20 Quid hoc? Voluntas enim opus calefacit, & animus illud suscipit, & ratio producit, intellectus autem opus intelligit bonum & malum ostendens: velut Angeli intellectum habent bonum diligentes & malum odientes. Et vt corpus habet cor, ita & anima intellectum: qui etiam in illa parte animæ vim suam exercet, sic & voluntas in altera. Quomodo? Voluntas enim magnam vim animæ habet. Quomodo? Anima stat in angulo domus, id est, in firmamento cordis, velut aliquis homo in aliquo angulo domus suæ, vt totam domum perspiciens, omnia instrumenta domus regat, dextrum brachium leuans signando & ostendendo quæque vtilia domus suæ, & se ad Orientem vertens. Sic & anima facit per plateas totius corporis, ad ortum Solis respiciens: ipsa enim voluntatem quasi dextrum brachium ponit in firmamentum venarum & medullarum ac in commotionem totius corporis: quoniam voluntas quodcunque opus siue bonum siue malum sit, operatur.

21 Nam voluntas est velut ignis, vnumquodque opus quasi in fornace coquens. Panis enim ad hoc coquitur, vt homines exinde pasti confortentur, quatenus viuere possint. Sic & voluntas totius operis fortitudo est, quia ipsa in deceptione molit, & in robore fermentum imponit, ac in duritia tundit; & ita opus suum velut panem in consideratione parans, illud pleno opere ardoris sui in perfectione coquit, atque hoc modo maiorem cibum hominibus in opere quàm in pane facit: nam esca hominis interdum in eo cessat, opus autem voluntatis in eo vsque ad separationem animæ ipsius à corpore perdurat: & in qua magna diuersitate opus sit, scilicet ab infantia, à iuuentute, à plena ętate, à decrepita incuruatione; in voluntate tamen incedit, & in ea perfectionem suam demonstrat. *Voluntas vt ignis.*

22 Sed voluntas habet in præcordio hominis quoddam tabernaculum, videlicet animum; quem & intellectus & ipsa voluntas ac quæque vis animæ sua fortitudine afflant: & hæ omnes in eodem tabernaculo calefiunt, & se inuicem coniungunt. Quomodo? Si ira surrexerit, fel inflatur, & ita fumum in tabernaculum emittens, iram perficit. Quòd si turpis delectatio se erexerit, incendium libidinis in materia sua suscitatur, & petulantia illa, quæ ad peccatum pertinet, attollitur; ac in eodem tabernaculo coadunatur. Sed aliud amabile gaudium est, quod in isto tabernaculo de Spiritu sancto incenditur; cui anima congaudens illud fideliter suscipit, & opus bonum in cœlestibus desideriis perficit. Est etiam quædam tristitia, de qua in eodem tabernaculo ex humoribus illis, qui circa fel sunt, torpor nascitur, indignationem, obdurationem & contumaciam in hominibus pariens, animamq; deprimens, nisi gratia Dei succurrente, citiùs eripiatur. Sed & cùm illi tabernaculo contrariæ causæ occurrerint, frequenter in odio & reliquis mortiferis rebus commouetur, quę animam occidunt, & magnas ruinas in perditione parant. Cùm autem voluntas voluerit, instrumenta tabernaculi sui mouet, & ea in feruente calore siue bona siue mala sint, deponit. Quòd si voluntati illa instrumenta placuerint, ibi escam suam coquit, & eam homini ad gustandum proponit. Vnde & in ipso tabernaculo plurima turba boni & mali exurgit, quemadmodum cùm aliquis exercitus in aliquo loco coadunatur. Sed cùm princeps exercitûs superuenerit, si exercitus ille ipsi *Animus.*

placue-

placuerit, eum suscipit, si verò ipsi displicuerit, illum abire iubet: sic & voluntas facit. Quomodo? Si bonum vel si malum in præcordio cordis surrexerit, voluntas illud aut perficit aut negligit.

Ratio. 23 Sed & in intellectu & in voluntate ratio velut sonitus animæ ostenditur, quæ quodque opus siue Dei siue hominis sit, perficit. Sonitus enim verbum in altum tollit, sicut ventus qui aquilam subleuat vt volare possit: ita & anima sonitum rationis & in auditu & in intellectu hominum emittit, quatenus vires ipsius intelligantur, & vt quodque opus ad perfectum ducatur. Corpus autem, omnium virium animæ tabernaculum & subleuamen est: quoniam anima in corpore manens, cum corpore operatur, & corpus cum illa siue bonum siue malum sit.

Sensus. 24 Sensus verò est, cui opus interiorum virium animæ adhæret, ita quòd ipsę in fructibus cuiusq; operis per eum intelliguntur: & ille eis subiectus est, quia eum ad opus perducunt: non autem ipse eis opus imponit, quoniam vmbra earum est, facies secundùm quod ipsis placuerit: sed & exterior homo imprimis cum sensu in ventre matris antequam nascatur, euigilat; cęteris viribus animæ adhuc in abscondito manentibus. Quid hoc? Aurora lucem diei denunciat, sic & sensus hominis omnes vires animæ cum ratione declarat. Et vt lex & Prophetæ in duobus præceptis Dei pendent, ita & sensus hominis in anima & in viribus eius vigent. Quid hoc? Lex ad salutem hominis posita est, & Prophetæ occulta Dei manifestant: sic & sensus hominis quæque nociua ab homine depellit & interiora animæ denudat. Nam anima sensum spirat. Quomodo? Ipsa hominem viuente facie viuificat, & visu, auditu, gustu, odoratu & tactu dotat: ita quòd homo sensu tactus, peruigil in omnibus rebus fit: sensus enim signum omnium virium animæ est, sicut & corpus vas animæ est. Quomodo? Sensus omnes vires animæ claudit. Quid hoc? Homo in facie cognoscitur, oculis videt, auribus audit, os ad loquendum aperit, manibus palpat, pedibus ambulat: & ideò sensus in homine est velut lapides pretiosi, & vt pretiosus thesaurus in vase signatus. Sed vt vas videtur, & thesaurus in eo scitur; ita etiam in sensu cæteræ vires animæ intelliguntur.

Anima regens. 25 Anima autem est magistra, caro verò ancilla. Quomodo? Anima totum corpus in viuificatione regit, corpus autem regimen viuificationis illius suscipit: quoniam si anima corpus non viuificaret, corpus in solutione diffluere t. Sed cùm homo malum opus sciente anima operatur, hoc tam amarum animæ est velut venenum corpori, cùm illud corpus scienter accipit. De bono autem opere anima gaudet, sicut & corpus suaui cibo delectatur. Et anima corpus ita illabitur, velut succus arborem. Quid hoc? Per succum arbor viret, & flores producit, ac deinde fructum facit; sic & per animam corpus. Et quomodo tunc fructus arboris ad maturitatem perducitur? Temperie aëris. Quomodo? Sol eum calefacit, pluuia eum irrigat; & ita in temperie aëris perficitur. Quid hoc? Misericordia gratiæ Dei velut Sol hominem illustrat, spiratio Spiritus sancti velut pluuia ipsum irrigat: & sic eum discretio velut bona temperies aëris ad perfectionem bonorum fructuum ducit.

26 Sed & anima in corpore est velut succus in arbore, & vires ipsius quasi arboris forma. Quomodo? Intellectus in anima est velut viriditas ramorum & foliorum in arbore, voluntas autem quasi flores in ea, anima verò velut primus erumpens fructus ipsius, ratio autem quasi fructus in maturitate perfectus: sensus verò quasi extensio latitudinis ipsius. Et secundùm hunc modum corpus hominis, ab anima solidatur & sustentatur. Vnde, ô homo, intellige, quid in anima tua sis; qui bonum intellectum tuum deponis, & te pecoribus comparari vis.

Quid turbines sphæram ad terram deprimentes. 27 Quod autem tu, ô homo, hæc videns, considera etiam quia quandam huiusmodi sphæram in humano corpore manentem multi turbines inuadentes, eam vsque ad terram incuruant; hoc est, quòd animam hominis, quamdiu homo in anima & in corpore viuit, multæ inuisibiles tentationes perturbant, quæ ipsam per delectationem carnis crebro ad peccata terrenarum concupiscentiarum inclinant: sed illa resumptis viribus se viriliter erigens, eis fortiter resistit; quia fidelis & solicitus homo cum peccauerit, sæpe per donum Dei compunctus peccata deserit, & spem suam in Deum ponens diabolica figmẽta abiicit, creatorem suum fideliter quærens, velut etiam fidelis anima miserias suas conquerens superius veraciter ostendit.

Quid turbines aliæ sphæram inuadentes. 28 Sed quod vides quia in aliam sphæram plurimi turbines irruentes eam deiicere volunt, sed tamen non valent; id est, quia animam istam pluri-mæ diabolicæ insidiæ inuadentes ad peccata multorum scelerum protrahere conantur, sed tamen ei suis illusionibus prævalere non possunt, quoniam illa fortiter repugnans locum eis insaniendi non dat: quoniam superna inspiratione se muniens, à se iacula fallacium deceptionum expellit, & ad saluatorem suum recurrit, quemadmodum etiam superius in verbis querelæ suæ declarat, vt præmonstratum est.

Quid sphæra nodos suos exsoluens. 29 Quod vero vt vides alia quædam sphæra ex lineamentis formæ suæ se contrahens nodos eius resoluit, hoc est, quod anima illa membra corporalis habitaculi sui deserens, iuncturam eorum reliquit, cum tempus resolutionis habitaculi sui institerit, & se ab eis cum gemitu extrahit, sedemq; suam mœrens dirumpit: quoniam à corpore suo cum anguſtia se tollens, locum habitationis suæ multo tremore cadere permittit, imminens iudicium superni iudicis metuens: quia tunc merita operum suorum iusto iudicio Dei sentiet, velut etiam in querela sua superius manifestat. Quapropter cum se hoc modo resoluit, quidam spiritus & lucidi & vmbrosi veniunt, qui socij conuersationis ipsius secundum quod in sede sua se mouet, sunt; quia in resolutione illa cum anima hominis habitaculum suum deserit, angelici spiritus & boni & mali secundum iustam & veram Dei ordinationem assunt, qui inspectores operum illius secundum quod in corpore suo cum corpore operata est, fuerunt, resolutionem eius expectantes,

Quid spiritus lucidi & tenebrosi.

vt

vt postquam se exsoluerit, eam secum abducant: quoniam ipsi sententiam iusti iudicis de anima illa in separatione eius à corpore præstolantur, vt ipsa à corpore soluta, eam ducant, quo supernus iudex iudicauerit secundum merita operum illius, vt ibi etiam, ô homo, fideliter præmonstratum est.

Adhortatio.

30 Idcirco vos, ô charissimi filij mei, oculos vestros & aures vestras aperite, & præceptis meis obedite. Et cur patrem vestrum contemnitis, qui vos de morte liberauit? Chori Angelorum canunt: Iustus es Domine: quoniam iustitia Dei non habet vllam maculam, qui etiam hominem non liberauit sua potestate, sed compassione, quando filium suum ad redemptionem hominis misit in mundũ. Solem enim nulla inquinatio fœcis polluit, sic etiam nec Deum vlla peruersitas iniustitiæ tangere poterit. Sed tu, ô homo, in contemplatiua scientia bonum & malum inspicis. Et quid es, cum in multitudine carnalium desideriorum sordes? Et quid es, cum clarissimæ gemmæ virtutum in te fulgent? Primus Angelus bonum contempsit, & malum concupiuit: quare malum in morte æternæ perditionis accepit, & in morte sepultus est; quia quod bonum est, abiecit. Boni vero Angeli malum contempserunt, & bonum amauerunt, casum diaboli videntes, qui veritatem volebat opprimere, & mendacium erigere; quapropter ipsi in amore Dei exarserunt, firmum fundamentum totius boni habentes: ita quod aliud nolunt, quam quod Deo placet, nunquam in laude eius cessantes. Sed & primus homo Deum cognouit, & eum in simplicitate dilexit, ac præceptum eius suscipiens se obedientiæ subdidit: postmodum ad malum se incuruauit, inobedientiam operatus. Nam cum ei diabolus malum suggereret, bonum deseruit & malum perpetrauit, & de paradiso eiectus est. Vnde malum in perditione mortis abiiciendum est, & bonum in amore vitæ amplectendum. Sed tu, ô homo, cum habes recordationem boni & mali, velut in biuio positus es; quia si tunc tenebras mali contempseris, volens in illum aspicere cuius creatura es, & quem in sancto baptismo confessus es; vbi vetus noxa Adæ deiecta est, & si dixerit diabolum & malitiam eius fugere velis, & Deum verum ac eius præcepta sequi: tunc considera, quomodo doctus es à malo declinare & bonum facere, & quia cœlestis pater vnigenito suo non pepercit, sed eum ad liberationem tuam misit, & ora Deum, vt tibi succurrat, & ipse te exaudiens dicet: Isti oculi mihi placent. Et si tunc tædium abieceris, in mandatis Dei fortiter currens, clamorem precum tuarum vbique exaudit. Carnem enim tuam debes domare, & imperio animæ subiugare. Sed tu dicis: Tanta & tam magna pondera in carne mea sentio, quod me superare non valeo. Sed quoniam Deus bonus est, ipse me bonum faciat. Quomodo possem carnem meam domare, cum homo sim? Deus bonus est, ipse bona omnia in me perficiat. Nam cum sibi placuerit, me bonum facere poterit. Sed tibi respondeo: Cum Deus bonus sit, cur bonitatem eius scire contemnis? quia ipse filium suum pro te tradidit, qui te in multis ærumnis & in magnis laboribus de morte liberauit. Sed cum dicis, quoniam bona opera operari non possis, hoc in iniustitia iniquitatis dicis. Oculos enim habes ad videndum, aures ad audiendum, cor ad cogitandum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum; ita quod toto corpore te potes erigere vel incuruare, dormire vel vigilare, manducare & ieiunare: sic te Deus creauit. Vnde & concupiscentiis carnis tuæ resiste, & Deus adiuuabit te. Nam cum te opponis diabolo velut fortis bellator inimico suo, tunc Deus delectatur in certamine tuo, volens vt eum omnibus horis & in omnibus angustiis tuis constanter inuoces. Sed cum carnem tuam non vis domare, tunc facis eam vitiis & peccatis epulari: quoniam ei frænum timoris Domini abstrahis, cum quo eam coërcere deberes, ne in perditionem iret. Quapropter ita ad diabolum respicis, sicut & ipse ad iniquitatem respexit, cum in mortem cecidit. Et ipse de perditione tua gaudens dicit: Ecce homo qui nobis similis est. Et tunc super te cadit, atque vias suas in vmbra mortis, secundum quod sibi placet, in te reponit. Sed Deus nouit, quid facere possis; ideo tibi lex posita est, secundum quod laborare potes. Deus ab initio sæculi vsque ad consummationem eius in electis suis complacere vult, vt ipsi in claritate virtutum fidelissime ornati coronentur. Quomodo? Homo voluptati carnis suæ hoc modo resistat, ne delitiis huius mũdi diffluat, nec etiam tam secure viuat, quasi in propria domo sua maneat, quoniam peregrinus est: quia pater ipsius eum exspectat, si ad ipsum in cœlum redire vult, vbi eum esse nouit. Vnde, ô homo, si oculos tuos ad duas semitas, id est, ad bonum & ad malum verteris, tunc edoceris, & magna & parua intelligis. Quomodo? Per fidem vnum Deum in diuinitate & in humanitate intelligis, & etiam diabolica opera in malo esse vides. Et cum ita iustas & iniustas vias cognoueris, tunc per me interrogaris: Quam viam ire desideras? Si tunc in bonas vias ire volueris, & si verba mea fideliter audieris, assidua & syncera prece Deum ora, vt tibi succurrat, & ne te deserat, quoniam fragilis in carne tua es: atque ad humilitatem caput tuum inclina, & ea quæ in operibus tuis mala sunt, excute, & à te illa festinanter proiice: hæc à te Deus requirit. Et vt si quis tibi aurum & plumbum proponeret, ac diceret: Ad quod volueris, manum tuam extende: aurum auidissime caperes, & plumbum dimitteres, quia aurum magis quam plumbum diligeres. Sic & cœlestem patriam magis quam depressionem peccatorum attendere debes. Quod si in peccatis cecideris, mox in confessione & pura pœnitentia surge, antequam mors oriatur in te. Pater enim tuus vult vt clames, plores & auxilium petas, ne in sordibus peccatorum permaneas. Sed si vulnera acceperis, medicum quære, ne moriaris. Nonne sæpe Deus tempestates hominibus immittit, vt tanto attentius ab eis inuocetur? Sed tu, ô homo, dicis: Bona opera operari non possum. Ego vero dico: potes. Et tu quæris, quomodo? Respondeo, intellectu & ratione. Dices: desiderium in me non habeo. Respondeo,

disce

discę pugnare contra te. Et dicis: Contra me pugnare non valeo, nisi Deus adiuuerit me. Audi ergo quomodo pugnes aduersum te. Cum malum in te surgit nescientem quomodo illud abiicias, tunc tactu gratiæ meæ adiutus (nam in viis interiorum oculorum tuorum gratia mea tangit te) clama, ora, confitere & plora, vt tibi Deus succurrat, & vt malum à te auferat, & vt tibi vires in bono tribuat; istud enim habes ex scientia qua Deum per inspirationem Spiritus sancti intelligis: nam si alicuius hominis operarius esses, quoties oporteret te id facere quod corpori tuo difficile esset, nonne multa laboriosè sustineres propter terrenam mercedem tuam? Et cur Deo propter supernam mercedem non seruis, qui tibi & animam & corpus dedit? Si enim aliquam temporalem rem habere velles, ô quantum laborares, vt illam saltem vel paruo tempore habere posses. Nunc autem fastidit te illud quærere quod finem non habet. Nam vt bos stimulo agitur, sic & tu corpus tuum timore Domini exercere debes: quia si hoc feceris, Deus non abiiciet te. Si enim aliquis tyrannus te captiuaret, protinus ad illum te conuerteres qui tibi auxilio esse posset, & ei supplicares, eumq; orares, & substantiam tuam illi promitteres, vt tibi succurreret. Sic & tu, ô homo, fac, cum iniquitas te cœperit; ad Deum te conuertens supplica, ora, & correctionem tuam promitte, & Deus te adiuuabit. Sed tu, ô homo, cæcus es ad videndum, surdus ad audiendum, vecors ad te defendendum: quoniam intellectum quem tibi Deus infudit & quinque sensus corporis tui quos tibi dedit, quasi pro nihilo & pro vanitate habes. Nonne intellectum & scientiam habes? Regnum Dei potest emi, non autem ioco acquiri. Audite ergo, ô homines, & nolite despicere introitum cœlestis Hierusalem: nolite tangere mortem, & Deum negare & diabolum confiteri: nolite in peccatis crescere, & in bonis deficere. Deum enim audire non vultis, cum in præceptis ipsius ambulare recusatis; & ad diabolum curritis, cum desiderium carnis vestræ perficere contenditis. Resipiscite ergo & confortamini; quia hoc vobis necessarium est. Fidelis autem homo dolorem suum consideret, & medicum quærat antequam in mortem ruat. Quod si dolorem suum inspexerit, & medicum quæsierit, inuentus ostendet ei amarum succum pigmenti, per quem sanari poterit: quæ sunt amara verba, per quæ probandus est, vtrum pœnitentia eius de radice cordis ipsius, an de vento instabilitatis eius procedat. Cumq; hoc probauerit, dat ei vinum compunctionis & pœnitentiæ, vt fœtorem vulnerum suorum abluat; & etiam offert ei oleum misericordiæ, quatenus eadem vulnera ad sanitatem liniat. Tunc etiam iniungit ei vt circa sanitatem suam solicitus sit, dicens: Vide vt in hac medicina studiosus & stabilis permaneas, nec tædium inde capias, quia vulnera tua grauia sunt. Sed multi sunt, qui vix pœnitentiam suorum peccatorum suscipiunt: & quamuis multo labore, tamen eam propter metum mortis peragunt. At ego eis manum porrigo, & amaritudinem illam eis in dulcedinem verto; ita quod pœnitentiam illam propter amorem meum magna cum tranquillitate perficiunt, quam cum magna difficultate inceperunt. Qui autem pœnitentiam peccatorum suorum neglexerit, quoniam corpus suum castigare sibi difficile esse dicit, miser est, quia non vult in seipsum respicere, nec vllum medicum quærere, nec vulnera sua sanari, sed pessimum liuorem in se celat, & mortem in simulationem tegit, ne videri possit. Vnde piger ad gustum pœnitentiæ est, nolens respicere in oleum misericordiæ, nec consolationem redemptionis quærere: & ideo in mortem properat, quoniam mortem dilexit, nec regnum Dei quæsiuit.

31 Ergo, ô fideles, in præcepta Dei currite, ne vos damnatio mortis apprehendat: Nouum Adam imitamini, & veterem hominem abiicite: Nam currenti, regnum Dei apertum est: in terra autem iacenti, clausum est: sed miseri sunt illi, qui diabolum venerantur, Deum ignorantes. Quomodo? Qui Deum vnum in trinitate non colunt, nec trinitatem in vnitate scire volunt. Vnde qui saluari vult, in recta & Catholica fide non dubitet. Quid hoc? Quoniam Patrem non colit, qui Filium abnegat: nec Filium diligit, qui Patrem ignorat: nec Filium habet, qui Spiritum sanctum abiicit: nec Spiritum sanctum accipit, qui Patrem & Filium non veneratur. Ergo vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate intelligenda est. O homo, nunquid es sine corde & sine sanguine viuens? Sic nec Pater sine Filio, nec sine Spiritu sancto: nec Filius sine Patre, nec sine Spiritu sancto: nec Spiritus sanctus sine ipsis esse credendus est. Sed Pater Filium suum pro redemptione hominis misit in mundum, & iterum ad se retraxit eum; sicut homo cogitationes cordis sui emittit, & iterum ipsas ad se recolligit. Vnde de hac salutifera vnigeniti Dei missione Esaias in supernæ maiestatis voluntate loquitur, dicens: *Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël.* Quod dicitur: Verbum, per quod omnia facta sunt, scilicet Vnigenitum Dei, qui in corde Patris secundum diuinitatem semper sine initio temporis fuit, ipsum misit Dominus videlicet supernus Pater per ora Prophetarum in Iacob, cum ipsi eundem Filium Dei in mundum pro salute hominum venturum fideliter prænunciarent; vt homines per eos præmoniti & præmuniti, diabolum prudenter supplantarent, & versutias deceptionum eius sapienter declinarent. Et ita idem verbum cecidit in Israël, cum idem Vnigenitus Dei venit in altam puritatem virginis, in quam nullus vir gressum suum imposuit: sed quæ florem suum inuiolabiliter tenuit; vt ipse natus ex virgine, eos qui lumen veritatis per fallacem cæcitatem ignorabant, ad verum iter reduceret, & indeficienti saluti restitueret. Vnde quicunque scientiam in Spiritu sancto & pennas in fide habet, iste admonitionem meam non transgrediatur, sed eam in gustu animæ suæ amplectendo percipiat.

* * *

VI-

VISIO QVINTA.

1 POst hæc vidi velut quandam muliebrem imaginem à vertice vsque ad vmbilicum pallidam, & ab vmbilico vsque ad pedes nigram, & in pedibus sanguinolentam, circa autem pedes suos candidissimam & purissimam nubem habentem, at oculis orbatam: manus vero sub axillis suis tenebat, stans iuxta altare, quod est ante oculos Dei, sed ipsum non tangebat. Et in corde ipsius stabat Abraham, & in pectore eius Moses, in ventre vero reliqui Prophetæ, singuli signa sua demonstrantes, & pulchritudinem nouæ sponsæ admirantes. Hæc vero tantæ magnitudinis apparuit velut alicuius ciuitatis ingentissima turris, habens in capite suo quasi circulum similem auroræ. Audiuiq; iterum vocem de cœlo dicentem mihi: Antiquo populo austeritatem legis Deus imposuit, cum Abrahæ circumcisionem indixit, quam postea in gratiam suauitatis conuertit, cum filium suum veritatem Euangelij credentibus dedit, in qua iugo legis sanciatos, oleo misericordiæ deliniuit.

Quid muliebris imago.

2 Quapropter vides velut quandam muliebrem imaginem à vertice vsque ad vmbilicum pallidam, quæ est Synagoga, mater incarnationis filij Dei & ab initio surgentium filiorum suorum vsque ad fortitudinem eorum, secreta Dei in vmbratione præuidens, sed ea non pleniter aperiens; illa enim non est rutilans aurora, quæ aperte loquitur, sed eam in multa admiratione à longe intuens, vt in Canticis de ipsa dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum delitiis affluens, & innixa super dilectum suum?* Quod dicitur: Quæ est hæc noua nupta, quæ in plurimis bonis operibus se eleuat per deserta gentium legalia præcepta sapientiæ deserentium & idola adorantium, ascendens ad superna desideria delitiis donorum Spiritus sancti abundantius, & sic multo studio anhelans & se innitens super sponsum suum scilicet Dei filium. Hæc enim est, quæ à filio Dei dotata in præclaris virtutibus fulget in riuulis scripturarum abundans. Sed & eadem Synagoga de filiis illius nouæ sponsæ in multa admiratione seruum meum Esaiam sic interrogat: *Qui sunt ij qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Quod dicitur: Qui sunt ij qui in mentibus suis se abstrahentes à terrenis ac carnalibus concupiscentiis, pleno desiderio & plena deuotione ad superna volant, & columbina simplicitate absque amaritudine fellis, sensus corporis sui muniunt & munimentum firmissimæ petræ, qui vnigenitus Dei est, multo ardore bonarum virtutum appetunt. Hi enim sunt, qui propter supernum amorem terrena regna conculcant, & cœlestia quærunt. Synagoga itaque admirabatur de noua sponsa, quæ Ecclesia est; quoniam se similibus virtutibus ita ornatam non agnouit, vt illam vidit: quia Ecclesia angelicis præsidiis circumdata est, ne eam diabolus dilaceret & deiiciat, cum Synagoga à Deo deserta in vitiis iaceat.

3 Quapropter vides etiam ipsam ab vmbilico vsque ad pedes nigram, quod est à fortitudine suę dilatationis vsque ad consummationem suæ durationis, in præuaricatione legis, & in transgressione testamenti Patrum suorum fuisse sordidam: quia multis modis diuina præcepta neglexit, voluptatem carnis suæ secuta. *Quid nigredo ab vmbilico.*

4 Et in pedibus sanguinolenta, circa autem pedes suos candidissimam & purissimam nubem habet; quoniam in consumatione sua Prophetam Prophetarum occidit, vbi & ipsa lapsa corruit: in eadem tamen consumatione in mentibus credentium lucidissima & perspicacissima fide surgente: quia vbi Synagoga finem accepit, Ecclesia surrexit, cum apostolica doctrina post mortem filij Dei se per totum orbem terrarum diffudit.

5 Sed & imago illa oculis orbata est, manus suas sub axillis tenens: quia Synagoga in veram lucem non aspexit, cum vnigenitum Dei in despectu habuit. Vnde & opera iustitiæ in tædio boni operis & torpore à se non proiiciens tegit, & ea velut non sint, negligenter abscondit.

6 Stat iuxta altare, quod est ante oculos Dei, sed ipsum non tangit; quoniam legem Dei quam diuino præcepto & diuina inspectione accepit, in cortice quidem nouit, sed eam interius non tetigit: quia eam potius abhorruit quam dilexerit, sacrificia & incensum deuotarum orationum Deo offerre negligens. *Cur stat iuxta altare, sed nō tangit.*

7 Sed in corde ipsius stat Abraham: quoniam initium circumcisionis in Synagoga ipse fuit. Et in pectore eius Moses: quia in præcordia hominum diuinam legem ille attulit: ac in ventre reliqui Prophetæ; id est, in institutione illa quæ ipsi diuinitus tradita fuerat, inspectores diuinorum præceptorum: Singuli signa sua demonstrantes, & pulchritudinem nouæ sponsæ admirantes; quoniam ipsi magnalia Prophetiæ suæ in mirabilibus signis ostenderunt, & speciositatem generositatis Ecclesiæ in multa admiratione attenderunt. *Cur Abraham in corde, Moses in pectore.*

8 Ipsa vero tantæ magnitudinis apparet velut alicuius ciuitatis altissima turris: quia magnitudinem diuinorum præceptorum suscipiens, munitionem & defensionem nobilis & electæ ciuitatis pronunciauit: habens in capite suo quasi circulum similem auroræ; quia Ecclesia in ortu suo miraculum incarnationis vnigeniti Dei demonstrauit, & claras virtutes ac mysteria, quæ sequuntur, ostendit: nam ipsa velut primo mane coronata fuit, cum diuina præcepta accepit: designans Adam, qui primum iussionem Dei percepit, sed postea in transgressione sua in mortem cecidit. Sic & Iudæi fecerunt, qui diuinam legem primitus susceperunt, sed deinde filium Dei in incredulitate sua abiecerunt. Sed & sicut homo per mortem vnigeniti Dei circa nouissimum tempus de perditione mortis ereptus est, ita & Synagoga ante nouissimum diem per diuinam clementiam excitata incredulitatem deseret, & ad cognitionem Dei veraciter perueniet. Quid hoc? Nonne aurora ante solem ascendit? Sed aurora recedit & claritas solis permanet. Quid hoc? Vetus testa- *Cur Ecclesia vt magna turris*

men-

mentum recesſit, & veritas Euangelij permanet: quia quę antiqui in legalibus obſeruationibus carnaliter obſeruabant, hæc nouus populus in nouo teſtamento ſpiritualiter exercet: quoniam quod illi in carne oſtenderunt, hoc iſti in ſpiritu perficiunt: nam circumciſio non periit, quia in baptiſmum translata eſt: vt enim illi in vno membro ſignati ſunt, ſic & iſti in omnibus membris ſuis. Vnde antiqua præcepta non perierunt, quia in meliorem ſtatum translata ſunt.

9 Etiam in nouiſſimo tempore Synagoga ad Eccleſiam ſe fideliter transferet. Nam, ô Synagoga, cum in multis iniquitatibus errares, ita quod cum Baal & cum cæteris his ſimilibus te pollueres, conſuetudinem legis turpiſſimis moribus ſcindens, & nuda in peccatis tuis iacens, feci quod Ezechiel ſeruus meus loquitur, dicens: *Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam: & iuraui tibi, & inij pactum tecum.* Quod dicitur: Ego filius altiſſimi in voluntate patris mei extendi incarnationem meam, ô Synagoga, ſuper te, id eſt, pro ſalute tua, auferens peccata tua, quæ in multis obliuionibus operata es, & firmaui tibi remedium ſaluationis, ita quod itinera fœderis mei ad ſalutem tuam manifeſtaui, cum veram fidem per apoſtolicam doctrinam tibi aperui, quatenus præcepta mea obſeruares, veluti mulier poteſtati mariti ſui ſubiacere debet. Nam aſperitatem exterioris legis à te abſtuli, & ſuauitatem ſpiritualis doctrinæ tibi dedi, ac omnia myſteria mea in ſpiritualibus doctrinis per memetipſum tibi oſtendi: ſed tu me iuſtum deſeruiſti, & diabolo te coniunxiſti.

Sampſon. Synagoga. 10 Sed tu, ô homo intellige, vt Sampſonem vxor ipſius deſeruit, ita quod lumine ſuo priuatus eſt, ſic & Synagoga filium Dei deſeruit, cum eum obdurata ſpreuit, & cum doctrinam illius abiecit. Sed poſtquam capilli eius iam renati ſunt, ita quod Eccleſia Dei confortata eſt, filius Dei in fortitudine ſua Synagogam deiecit, & natos illius exhæreditauit, cum etiam per gentiles Deum ignorantes zelo Dei contriti ſunt: ipſa enim multis erroribus totius confuſionis & ſchiſmatis ſe ſubiecerat, & in præuaricationibus totius iniquitatis ſe polluerat. Sed etiam quemadmodum Dauid vxorem ſuam, quam ſibi primitus deſponſauerat, & quę cum alio viro ſe polluerat, tandem reuocauit; ita etiam & Filius Dei Synagogam (quæ ſibi primum in incarnatione ſua coniuncta fuit, ſed gratiam baptiſmi deſerens diabolum ſecuta eſt) tandem circa nouiſſimum tempus recipiet, vbi ipſa errores infidelitatis ſuæ deſerens ad lumen veritatis redibit. Nam diabolus Synagogam in cæcitate illius rapuit, & eam infidelitati in multis erroribus tradidit: nec hoc vſque ad filium perditionis facere ceſſabit. Qui dum in exaltatione ſuperbiæ ſuæ ceciderit, ſicut Saül in monte Gelboë interfectus periit, qui Dauid de terra ſua fugauerat, vt filius iniquitatis filium meum in electis ſuis expellere tentabit, tunc filius meus Antichriſto deiecto Synagogam ad veram fidem reuocabit, quę admodum & Dauid primam vxorem ſuam poſt mortem Saülis recepit: cum enim nouiſſimo tempore homines illum, per quem decepti fuerant, victum viderint, ad viam ſalutis cum multa feſtinatione recurrent. Non autem decuit, vt veritas Euangelij vmbram legis prænunciaret; quoniam decet, vt carnalia præcurrant & ſpiritualia ſubſequantur: quia etiam ſeruus dominum ſuum venturum prædicit, & non dominus ſeruum in ſeruitio præcurrit: ita & Synagoga in vmbra ſignificationis præcurrit: & Eccleſia in lumine veritatis ſubſecuta eſt. Vnde quicunque ſcientiam in Spiritu ſancto, & pennas in fide habet, iſte admonitionem meam non tranſgrediatur, ſed eam in guſtu animæ ſuæ amplectendo percipiat.

VISIO SEXTA.

1 DEINDE vidi in altitudine cœleſtium ſecretorum duas acies ſupernorum ſpirituum multa claritate fulgentes: & qui in prima acie erant, velut pennas in pectoribus ſuis habebant, & facies vt facies hominum præ ſe ferebant; in quibus & vultus hominum quaſi in pura aqua apparebant: & qui in altera acie fuerunt, etiam in pectoribus ſuis quaſi pennas habuerunt, & facies vt facies hominum in ſe oſtenderunt, in quibus etiam imago filij hominis quaſi in ſpeculo fulgebat. Sed neque in his nec in illis aliam formam diſcernere potui. Hæ autem acies alias quinque acies ſecundum modum coronæ circumcinxerant. Et qui in harum quinque prima acie fuerunt, quaſi facies hominum habebant, ab humero & deorſum magno ſplendore fulgentes. Qui in ſecunda erant, tantæ claritatis extiterunt, quod eos intueri non poteram. Qui in tertia, vt album marmor apparuerunt, & capita vt capita hominum habuerunt; ſuper quæ ardentes faculæ viſæ ſunt, & ab humero & deorſum velut ferrea nube circumdati fuerunt. Qui in quarta, facies vt facies hominum, & pedes vt pedes hominum habentes, in capitibus ſuis galeas geſtabant, marmoreis tunicis induti. Qui denique in quinta erant, nullam formam hominum in ſe oſtendentes, velut aurora rubebant. Nullam autem aliam formam in eis conſpiciebam. Sed & acies iſtæ alias duas etiam in modum coronæ circundederant. Qui autem in prima acie illarum erant, oculis & pennis pleni videbantur, & in vnoquoque oculo ſpeculum, & in ipſo ſpeculo facies hominis apparuit, & pennas ſuas ad ſupernam altitudinem eleuarant. Et qui in ſecunda fuerunt, quaſi ignis ardebant, plurimasq; pennas habentes, in quibus quaſi in ſpeculo omnes ordines Eccleſiaſticæ inſtitutionis inſignitos demonſtrabant. Sed aliam formam nec in his nec in illis vidi. Et hæ acies omnes in omni genere muſicalium organorum mirificis vocibus mirabilia illa reſonabant, quæ Deus in beatis animabus operatur, per quæ Deum magnifice glorificabant. Et audiui de cœlo vocem mihi dicentem: Omnipotens & ineffabilis Deus, qui ante ſæcula fuit, nec initium habuit, nec poſt finem ſæculorum eſſe deſinet, omnem creaturam mirabili modo ſua voluntate condidit, eamq; mirabili modo ſua voluntate

tate disposuit. Quomodo? Quasdam creaturas terrenis hærere, quasdam vero in cœlestibus esse deputauit. Ipse quoque beatos angelicos spiritus tam ad salutem hominum, quam ad honorem nominis sui disposuit. Quomodo? Nam quosdam ita constituit, vt necessitatibus hominum subueniant: quosdam vero, vt iudicia secretorum suorum per eos hominibus manifestentur.

Quid duæ acies.

2 Quapropter vides in altitudine cœlestium secretorum duas acies supernorum spirituum multa claritate fulgentes; quia, vt tibi monstratur in altitudine illorum occultorum quæ carnalis obtutus non penetrat, sed quæ visus interioris hominis attendit: hæc duo agmina corpus & animam hominis, Deo famulari debere designant, vbi ipsa cum supernis ciuibus claritatem æternæ beatitudinis habent.

Quid penna in pectoribus & facies hominum.

3 Et qui in prima acie sunt, velut pennas in pectoribus suis habẽt, & facies vt facies hominum in se prætendunt, in quibus & vultus hominum quasi in pura aqua apparent; isti Angeli sunt desideria profunditatis intellectus sui quasi pennas expandentes: non quod pennas vt aues habeant, sed quod voluntatem Dei in desideriis suis velociter perficiant, velut homo in cogitationibus suis celeriter volat; ita quod & per facies suas pulchritudinem rationalitatis in se manifestant, vbi etiam Deus opera hominum perspicae perscrutatur: quia, vt seruus verba domini sui audiens, ea secundum voluntatem illius perficit; ita & ipsi voluntatem Dei in hominibus attendunt, & actus eorum illi in semetipso ostendunt

Quid secũda acies.

4 Vnde & qui in acie alia sunt, etiam in pectoribus suis quasi pennas habent; & facies vt facies hominum in se ostendunt, in quibus etiam imago filij hominis velut in speculo fulget: Archangeli sunt etiam in desideriis intellectus sui voluntatem Dei contemplantes, & decorem rationalitatis in se manifestantes, incarnatum verbum Dei purissime magnificant: quia ipsi arcana Dei cognoscentes, mysteria incarnationis filij Dei signis suis frequenter præinsinuabant. Sed nec in his, nec in illis aliam formam discernere potes; quoniam & in Angelis & in Archangelis multa secreta mysteriorum sunt, quæ humanus intellectus mortali corpore grauatus capere non valet.

5 Quod autem hæ acies alias quinque acies secundum modum coronæ cingunt, hoc est quod corpus & anima hominis quinque sensus hominis virtute fortitudinis suæ comprehendentes, per quinque vulnera filij mei emundatos, ad rectitudinem interiorum mandatorum dirigere debent.

Virtutes.

6 Vnde qui in prima acie harum sunt, quasi facies hominum habent, ab humero & deorsum magno splendore fulgentes; quæ Virtutes sunt in corda credentium ascendentes, & in ardente charitate excelsam turrim in eis ædificantes, quæ opera ipsorum sunt; ita quod in rationalitate sua opera electorum hominum ostendunt, & in fortitudine sua ad bonum finem multo fulgore beatitudinis ipsos perducunt. Quomodo? Scilicet cum electi claritatem interioris sensus habentes, omnes nequitias malorum suorum abiiciunt propter illuminationem illam qua in istis virtutibus in mea voluntate illuminati sunt, & fortiter aduersus diabolicas insidias pugnant, & certamina illa quæ illi hoc modo contra diabolicam turbam exercent, Virtutes istæ mihi creatori suo incessanter ostendunt. Nam homines certamina confessionis & abnegationis in se habent. Quomodo? Quia iste me confitetur, & ille me abnegat. Sed in hoc certamine talis interrogatio est: Est Deus an non? Tunc interrogatio ista tale responsum Spiritus sancti in homine habet: Deus est qui te creauit, sed & qui te redemit. Et quamdiu interrogationis responsum hoc in homine est, virtus Dei illi non deerit; quia huic interrogationi & responso pœnitentia adhæret. Vbi autem interrogatio hæc in homine non est, ibi nec hoc responsum Spiritus sancti est; quoniam homo iste donum Dei à se expellit, & sine interrogatione pœnitentiæ semetipsum in mortem præcipitat. Certamina vero istorum bellorum Virtutes Deo offerunt; quia ipsi tale sigillum coram Deo sunt, per quod demonstratur, qua intentione Deus colatur vel abnegetur.

7 Qui autem secunda acie sunt, tantæ claritatis existunt, quod eos intueri non potes; qui Potestates sunt, designantes quoniam serenitatem & pulchritudinem potestatis Dei, nulla imbecillitas mortalitatis apprehendere poterit, nec se ipsi similem facere, quia potestas Dei indeficiens est. *Potestates.*

8 Sed qui in tertia acie sunt, vt album marmor apparent, & capita vt capita hominum habent, super quæ faculæ ardentes videntur, & ab humero & deorsum velut ferrea nube circundati sunt; qui Principatus sunt, præfigurantes quod ij qui ex dono Dei in sæculo principes hominum existunt, synceram iustitiæ fortitudinem induere debent, ne in diuersitatem instabilitatis incidant, & caput suum, qui Christus filius Dei est, inspicere, ac regimina sua secundum voluntatem ipsius in necessitatem hominum dirigere, super se gratiam sancti Spiritus in ardore veritatis attendentes, ita quod in fortitudine æquitatis vsque ad consumationem suam firmi & stabiles perseuerent. *Principatus.*

9 Vnde etiam qui in quarta acie sunt, facies vt facies hominum, & pedes vt pedes hominum habentes, in capitibus suis galeas gestant marmoreis tunicis induti; qui Dominationes sunt, ostendentes quia ille qui Dominus omnium est, rationalitatem hominum quæ in humano puluere polluta iacuerat, à terris ad cœlos subleuauit, cum filium suum ad terras transmisit: qui antiquum seductorem sua rectitudine conculcauit, ita vt fideles ipsum qui caput eorum est, fideliter imitentur, spem suam ad cœlestia ponentes, ac forti desiderio bonorum operum se munientes. *Dominationes.*

10 Sed qui in quinta acie sunt, nullam formam hominum in se ostendentes, velut aurora rubent; qui Throni sunt, demonstrantes quod diuinitas ad humanitatem se inclinauit, cum vnigenitus Dei humanum corpus pro salute hominum induit: qui nulla contagia humanorum peccatorum in se habuit, quoniam ipse de Spiritu sancto conceptus, in aurora videlicet in beata virgine carnem absque omni macula totius sordis accepit. Sed nullam *Throni.*

lam aliam formam in eis conſpicis; quia plurima myſteria ſupernorum ſecretorum ſunt, quæ fragilitas humana non valet apprehendere.

11 Quod autem & acies iſtæ alias duas in modum coronæ circumdant, hoc eſt, quod fideles illi qui quinque ſenſus corporis ſui ad ſuperna dirigunt, ſcientes quia per quinque vulnera filij Dei redempti ſunt, ad dilectionem Dei & proximi ſui omni niſu & circuitione mentis ſuæ perueniunt, cum voluptatem cordis ſui negligunt, & ſpem ſuam in ſola æterna ponunt.

12 Quapropter & qui in prima acie illarum ſunt, oculis & pennis pleni videntur, & in vnoquoque oculo ſpeculum & in ipſo ſpeculo facies hominis apparet, & pennas ſuas ad ſupernam altitudinem eleuant; qui Cherubin ſunt, ſcientiam Dei ſignificantes, in qua ipſi myſteria ſupernorum ſecretorum videntes, deſideria ſua ſecundum voluntatem Dei explent; ita quod ipſi in profunditate ſcientiæ ſuæ puriſsimam perſpicuitatem habentes, in ipſa illos mirabiliter præuident, qui verum Deum cognoſcentes, intentionem deſideriorum cordis ſui ad ipſum qui ſuper omnes eſt, velut pennas bonæ & iuſtæ ſubleuationis dirigunt, magis æterna diligentes quam caduca appetentes, ſecundum quod & ipſi in eleuatione deſideriorum ſuorum oſtendunt.

Cherubin

13 Sed qui in altera acie ſunt, quaſi ignis ardent, plurimasq; pennas habentes, in eiſdem pennis quaſi in ſpeculo omnes ordines Eccleſiaſticæ inſtitutionis inſignitos demonſtrant; Seraphin ſunt, ſignificantes quod vt ipſi in amore Dei ardent, maxima deſideria viſionis eius habentes, ita etiam in deſideriis ſuis tam ſæculares quam ſpirituales dignitates, quæ in Eccleſiaſticis myſteriis multa cum puritate vigent, oſtendunt; quia ſecreta Dei in ipſis mirabiliter apparent: ſic etiam omnes qui ſyncerítate puri cordis amantes ſupernam vitam quærunt, ardenter Deum diligant, eumq; toto deſiderio amplectantur, vt ad gaudia illorum perueniant, quos tam fideliter imitantur. Quod vero aliam formam nec in his nec in illis vides, hoc eſt quod multa ſecreta in beatis ſpiritibus ſunt, quæ homini manifeſtanda non ſunt: quoniam quam diu ipſe mortalis exiſtit, ea quæ cœleſtia ſunt, perfecte diſcernere non poterit.

Seraphin.

14 Sed hæ acies omnes, vt audis, in omni genere muſicalium ſonorum mirificis modulationibus mirabilia reſonant, quæ Deus in beatis animabus operatur, per quæ Deum magnifice glorificant: quia beati ſpiritus in virtute Dei maxima gaudia inenarrabilibus ſonis per opera mirabilium illorum in cœleſtibus proferunt, quæ Deus in Sanctis ſuis perficit, per quæ ipſi Deum glorioſiſſime magnificant, vbi eam in profunditate ſanctitatis exquirunt lætantes in gaudio ſalutis, quemadmodum & Dauid ſeruus meus inſpector ſupernorum ſecretorum teſtatur, dicens: *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.* Quod dicitur. Sonus lætitiæ & proſperitatis illius quod caro conculcatur, & ſpiritus erigitur cum indeficiente ſalute cognoſcitur in habitationibus illorum qui iniuſtitiam abiiciunt, & iuſtitiam operantur: cum ſuggerente diabolo id quod malum eſt, facere poſſent; ſed diuina inſpiratione id quod bonum eſt, perficiunt. Quid hoc? Homo frequenter indecentem exultationem in ſe oſtendit, cum peccatum perfecerit, quod perficere inconuenienter concupiuit: ſed ſalutem ibi non habet, quia hoc fecit, quod diuino præcepto contrarium fuit. Ille autem tripudium exultationis cum proſperitate veræ ſalutis habebit, qui bonum quod ardenter deſiderauit, ſtrenue complet, manſionem illorum dum in corpore habitat amans, qui viam veritatis currentes errorem mendacij declinauerunt. Vnde quicunque ſcientiam in Spiritu ſancto, & pennas in fide habet, iſte admonitionem meam non paruipendet, ſed eam in guſtu animæ ſuæ amplectendo percipiat.

Primi Libri Viſionum Sanctæ Hildegardis

FINIS.

LIBER II.
SANCTAE HILDEGARDIS VIRGINIS.

VISIO PRIMA.

ET ego homo literas non callens more fortium leonum, nec docta ex infusione illorum, sed manens in mollitie, fragilis costa, imbuta mystico spiramine, vidi quasi lucidissimum ignem incomprehensibilem, inextinguibilem, totum viuentem, totumq; viuum existentem, in se autem flammam aërei coloris habentem, quæ leni flatu ardenter flagrabat; & quæ eidem lucido igni ita inseparabiliter hærebat, vt in homine hærent viscera. Et vidi quod illa flamma fulminans incanduit: & ecce obscurus aër & rotundus, multæq; magnitudinis repente exortus est, super quem ipsa flamma quosdam ictus dedit, toties ab eo scintillam educens, donec aër ad perfectum deductus est, & ita cœlum & terra resplenduerunt plena institutione. Deinde etiam eadem flamma in igne & ardore illo extendit se ad paruam glebam limosæ terræ iacentem in fundo aëris eam calefaciens, ita quod carnem & sanguinem effecit, eamque aspirauit, ita quod in animam viuentem effecta est. Quo facto ille lucidus ignis præbuit per eandem flammam leni flatu ardenter flagrantem ipsi homini candidissimum florem in flamma pendentem, vt ros pendet in gramine, cuius quidem odorem homo naribus sensit, sed gustu oris non libauit, nec manibus attrectauit, hoc modo se auertens atque cadens in densissimas tenebras, ex quibus se erigere non valuit. Tenebræ autem illæ in illo aëre magis ac magis se dilatando creuerunt. Tunc tres magnæ stellæ in fulgore suo sibi cohærentes in tenebris illis apparuerunt: post quas & aliæ multæ tam paruæ quam magnæ plurimo splendore fulgentes, ac deinde quædam maxima stella mira claritate radians, & fulgorem suum ad prædictam flammam dirigens. Sed & in terra quidam fulgor velut aurora apparuit, cui superior flamma mirabiliter infusa est, non tamen à supradicto lucido igne separata: & in illo fulgore auroræ maxima voluntas accensa est. Cumque accensionem voluntatis huius diligentius considerare vellem, in hac visione secretum sigillum mihi appositum est; audiuiq; vocem ex alto mihi dicentem: De hoc mysterio non poteris quicquam amplius videre, nisi vt tibi propter miraculum credendi conceditur. Vidiq; de eodem fulgore auroræ splendissimum hominem egredientem, qui claritatem suam ad prædictas tenebras effudit, & ab eis reuerberatus est, & in ruborem sanguinis & in pallorem albedinis conuersus tanta fortitudine tenebras percussit, vt homo ille qui in eis iacebat, attactu illo apparens fulgeret, atque ita erectus exiret. Et sic splendidus ille homo qui de aurora egressus est, in tanta claritate apparens vltra quam humana lingua effari possit, in eminentissimam altitudinem innumerabilis gloriæ tetendit: vbi in plenitudine omnimodæ vbertatis & odoris magnifice radiabat. Et audiui ex præfato viuente igne vocem mihi dicentem: Tu quæ es fragilis terra & in nomine fœmineo indocta in omni doctrina carnalium magistrorum, scilicet legere literas secundum intelligentiam literatorum, sed tantum tacta lumine meo, quod tangit te interius cum incendio vt sol ardens, clama & enarra ac scribe hæc mysteria mea quæ vides & audis in mystica visione. Noli ergo esse timida: sed dic ea quæ intelligis in spiritu, quemadmodum ea loquor per te; quatenus illi verecundia teneantur, qui populo meo deberent viam rectitudinis ostendere, sed ex peruersitate morum suorum recusant aperte iustitiam quam nouerunt dicere, nolentes abstinere à malis desideriis suis, quæ illis ita adhærent, quasi ipsis dominentur, facientia eos fugere à facie Domini erubescere loqui veritatem. Vnde, ô pusilla animo, quæ interius es docta mystica inspiratione, quamuis suppressa sis per virilem formam propter præuaricationem Euæ; dic tamen igneum opus quod tibi demonstratur certissima visione. Viuens enim Deus qui cuncta per Verbum suum creauit, per idem Verbum incarnatum miseram humanam creaturam, quæ se demerserat in tenebras, ad fidelem saluationem reduxit.

Quid

Quid lucidissimus ignis.

2 Quid hoc? Nam ille lucidisſimus ignis quem vides, deſignat omnipotentem & viuentem Deum, qui in clariſima ſerenitate ſua nunquam vlla iniquitate obfuſcatur, incomprehenſibilis manens; quia nulla diuiſione diuidi poteſt, aut initio aut fine, aut vlla ſcintilla ſcientiæ creatura ſuæ cõprehendi ſicuti eſt, & inextinguibilis exiſtẽs: quoniam ipſe eſt illa plenitudo quam nunquam vllus finis tetigit: ac totus viuens; quia nulla omnino res ipſi abſconſa eſt, quam neſciat: totusq; vita exiſtens; quoniam omne quod viuit, ab ipſo viuere ſumit, ſecundum quod Iob per me inſpiratus oſtendit, dicens: *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu eſt anima omnis viuentis & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.*

3 Quid hoc? Nulla creatura tam hebes eſt in natura ſua, quæ vicisſitudinem plenitudinis ſuæ in illis cauſis ignoret, in quibus fructuoſa conſiſtit. Quomodo? Cœlum habet lucem, lux aëren, aër volatilia, & terra nutrit virentia, virentia fructum, fructus animalia; quę omnia teſtantur quod ea poſuit fortisſima manus, id eſt, maxima potentia Dominatoris cunctorum, qui omnia in poſſibilitate virtutis ſuæ ita operatus eſt, quod eis nihil deeſt in vſibus ſuis: & in omnipotentia eiuſdem fabricatoris eſt motio cunctorum viuentium & terreſtrium, vt pecorum terram in terrenis quærentium, nec rationalitatem ſpiraculi Dei in ſe habentium, & excitatio ſpirituum qui humanam carnem inhabitant, in quibus eſt rationalitas, diſcretio & ſapientia. Quomodo? Anima circuit in terrenis cauſis laborans in multis varietatibus, ſecundum quod carnales mores expoſtulant. Spiritus vero erigit ſe in duobus modis, videlicet ſuſpirium, gemitum & deſiderium ad Deum habens, aut dominium & regimen & optionem in diuerſis rebus quaſi in præcepto quærens, quia diſcretionem in rationalitate habet. Vnde etiam homo ſimilitudinem cœli & terræ in ſe continet. Quomodo? Ipſe habet circulum in quo apparet perſpicuitas, ſpiraculum & rationalitas, velut in cœlo notantur luminaria; habet ſpiritum per omnem ſenſum & motum celeriter meantem: vt aër volatilia etiam humoris receptaculum in quo notatur humiditas, apparet germinatio ac parturitio; ſicut in terra virentia, fructificantia & animalia. Quid hoc? O homo, tu totum es in omni creatura, & obliuiſceris creatoris tui; & ſubiecta tibi creatura obedit ei, ſicut illi conſtitutum eſt, & tu præcepta illius tranſgrederis.

Quid flãma in igne

4 Sed vides quod idem ignis in ſe flammam aërei coloris habet, quæ leni flatu ardenter flagrat, & quæ eidem lucido igni ita inſeparabiliter ineſt, vt in homine ſunt viſcera; quod eſt in æternitate ante tempora conſtitutæ creaturæ infinitum Verbum, quod in ardore charitatis ſub decurſum labentium temporum mirabiliter ſine ſorde & grauamine peccati per virtutem ſuauitatis Spiritus ſancti in aurora beatæ virginitatis erat incarnandum: ita tamen, vt ſicut ante ſuſceptam carnem indiuiſibiliter fuit in Patre, ſic etiam poſt aſſumptam humanitatem inſeparabiliter in eo maneret: quoniam vt homo non eſt abſque vitali tactu in via præcordiorum, ſic à Patre non erat omnino ſeparandum eius vitale Verbum.

5 Et quare dicitur verbum? Quia vt per locale verbum quod in terreno puluere hominis tranſitorium eſt, prudenter intelliguntur iuſſa præceptoris ab iis qui ſciunt & prę̃uident iuſſionem prę̃cipientis; ita etiam per illocale verbum quod per inextinguibilem vitam, quæ viuit in æternitatem, intranſitorium eſt, vere cognoſcitur vis patris à diuerſis creaturis mundi ipſum ſentientibus & intelligentibus in ortu quo creatæ ſunt: atque vt per officiale verbum poteſtas & honor ſcitur hominis, ſic etiam per diuinum verbum ſanctitas & bonitas reſplendet patris.

Quid flãma fulminans.

6 Quod autem vides quomodo flamma illa fulminans incandet: hoc eſt, quod verbum Dei virtutem ſuam quaſi exardeſcens oſtendit, cum per ipſum omnis creatura condita eſt: & quaſi incanduit, cum in aurora & candore virginitatis incarnatum eſt: & ex eo ſtillauerunt omnes virtutes in agnitione Dei, cum homo reuixit in animarum ſaluatione.

Quid obſcurum aër

7 Sed & obſcurus aër & rotundus multæq; magnitudinis repente exortus eſt, qui eſt inſtrumentum eorum in obſcuritate imperfectionis ſcilicet nondum illuſtratum plenitudine creaturarum: & rotundum eſt; quia ſub incomprehenſibili potentia Dei eſt, diuinitate nuſquam abſente: ipſum tamen in maxima poteſtate Dei ſurgens quaſi in ictu oculi in ſuperna voluntate eleuatum, ſuper quod ipſa flamma velut faber quoſdam ictus dedit toties ab eo ſcintillam educens, donec idem aër ad perfectum deductus eſt; quia cœlum & terra reſplenduerunt plena inſtitutione, quando ille qui excellit vniuerſam creaturam, ſupernum verbum in creatione creaturarum ſeruitutem tenentium virtutem fortitudinis ſuæ oſtendit ab inſtrumento ſuo diuerſas ſpecies creaturarum lucentes in mirabili ortu conditionis eorum educens vt faber formas ſuas ex ære competẽter excudit, vſque dum eædem creaturæ in pulchritudine plenitudinis ſuæ effulſerunt; ſurſum & deorſum decorem & ſtabilimentum perfectę creationis ſuæ habentes: quia ſuperiora reſplenduerunt ab inferioribus, & inferiora à ſuperioribus.

Cur flamma ſe extendit ad glebam.

8 Quod autem deinde eadem flamma in igne & ardore illo ſe extendit ad paruam glebam limoſæ terræ, iacentem in fundo aëris: hoc eſt, quod creatis aliis creaturis Verbum Dei in forti voluntate Patris & in amore ſupernæ ſuauitatis Spiritus ſancti inſpexit fragilem materiam mollis & teneræ fragilitatis humanitatis omnium tam malorum quam bonorum procreandorum hominum, in imo inſenſibilitatis & ponderoſitatis ſuæ detentam, & necdum efficaci & vitali flatu excitatam, eam fouens & calefaciens carnem & ſanguinem efficit in virtute calorem ei infundens; quoniam terra eſt carnalis materia hominis nutriens eum fructu ſuo, ſicut mater lacte filios ſuos: eamq; aſpirauit Deus ita quod homo in animam viuentem effecta eſt: quia ipſam per ſupernam virtutem excitauit, atque in anima & corpore diſcernentem hominem mirabiliter ex ea eduxit.

9 Quo facto ille lucidus ignis præbuit per illam flammam leni flatu ardenter flagrantem, ipsi homini candidissimum florem in flamma illa pendentem, vt ros pendet in gramine: quoniam creato Adam, Pater, qui lucidissima lux est, dedit per Verbum suum in Spiritu sancto ipsi Adæ dulce præceptum clarissimæ obedientiæ adhærentis ipsi Verbo in multo imbre fructuosæ virtutis: quia per ipsum Verbum suauissimus humor sanctitatis à Patre in Spiritu sancto stillauit faciens maximum & plurimum fructum, sicut purus humor super gramen descendens, illud ad multum germen fœcundat. Cuius quidem odorem homo naribus sensit, sed gustu oris non libauit, nec moribus attrectauit; quoniam ipse præceptum legis cum intelligentia sapientiæ quasi naribus attraxit, sed vim illius intimæ perfectionis in os perfectè non intromisit, nec opere manuum in plenitudine beatitudinis adimpleuit, hoc modo se auertens atque cadens in densissimas tenebras, ex quibus se erigere non valuit: quia diuino præcepto suggerente diabolo terga dedit, in barathrum mortis corruens, quia Deum non in fide nec in opere exquisiuit. Vnde ad veram cognitionem eius peccatis grauatus surgere non potuit, donec ille venit qui patri suo pleniter sine peccato obediuit. Sed tenebræ illæ in illo aëre magis ac magis se dilatando creuerunt: potestas mortis in mundo semper in latitudine vitiorum sumpsit incrementum, scientia hominis se mouente in diuersitatem multiplicium vitiorum & fœtentium peccatorum per errorem emergentium.

10 Quod autem tres magnæ stellæ in fulgore suo sibi cohærentes in illis tenebris apparuerunt, post quas aliæ multæ tam paruæ quam magnæ plurimo splendore fulgentes: hæc sunt in figuratione supernæ trinitatis magna luminaria, videlicet Abraham, Isaac & Iacob tam fideli opere quam carnis coniunctione se mutuo cõplectentes, mundiq; tenebras annunciationibus suis repercutientes, & eos subsequentes alij quamplurimi Prophetæ maiores & minores in magnis & admirandis miraculis radiantes.

11 Deinde vero apparens quædam maxima stella mira claritate micans & fulgorem suum ad prędictam flammam dirigens, illa est præcipuus Propheta Ioannes, scilicet Baptipsta, fidelissimo & clarissimo opere in magnalibus coruscas, & in eis verum Verbum, id est, Dei filium demonstrans: quia iniquitati non cessit, sed eam in operibus iustitiæ strenuè & fortiter calcauit.

12 Sed quod in terra illa fulgor velut aurora apparet, cui superior flamma mirabiliter infusa est; non tamen à supradicto lucido igne separata: hoc est, quod Deus in loco generabilium rerum magnum splendorem rutilantis luminis plantauit, in illum Verbum suum perfecta voluntate mittens non tamen ab eo separatum: sed dedit ipsum, copiosum fructum atque eduxit ipsum, magnum fontem ex quo omne fidele guttur bibens vltra siti non arescit. Vnde & in illo fulgore auroræ maxima voluntas accensa est, quia in claritate rubentis serenitatis virtus magni & antiqui consilij cognita est; ita quod omnes præmissæ legiones & cœlestium spirituum acies hoc in lucidissima fœlicitate admiratæ sunt.

13 Sed tu, ô homo, dum eminentiam consilij huius humano more plenius scire desideras, claustrum occultationis tibi opponitur, quoniam secreta Dei non debes plus scrutari, quam propter amorem fideliter credentium diuinæ maiestati placet manifestari.

14 Quod autem vides de fulgore auroræ splendidissimum hominem egredientem, qui claritatem suam ad tenebras effundit, & ab eis reuerberatur, qui in ruborem sanguinis & in pallorem albedinis conuersus tanta fortitudine tenebras illas repercussit, vt homo ille qui in eis iacebat, ipso attactu apparens fulgeret, atque ita erectus exiret: hoc designat Dei Verbum in candore intemeratæ virginitatis inuiolabiliter incarnatum, & sine dolore natum, nec tamen à Patre separatum. Quomodo? Cum Filius Dei natus est in mundo ex matre, apparuit in cœlo in Patre: vnde & Angeli mox contremuerunt, & exultantes mellifluas laudes concinuerunt. Qui Filius Dei sine macula peccati in sæculo conuersatus lucidissimam beatitudinis & saluationis doctrinam in tenebras infidelitatis emisit: sed ab incredulo populo abiectus, atque ad passionem ductus, roseum sanguinem suum fudit, & caliginem mortis corporaliter gustauit Ex quo diabolum superans ex inferno electos suos, qui in eo detenti & prostrati fuerant, liberauit; atque eos tactu redemptionis suæ ad hæreditatem ipsorum, quam in Adam perdiderant, misericorditer reduxit. Qui dum in hæreditatem suam peruenerunt, excitata sunt tympana & cytharæ, omnisq; musicorum concentus innumerabili decore: quia homo qui in perditione iacuerat, iam in beatitudine erectus mortem superna virtute liberatus euaserat, vt per seruum meum Osee locutus sum: *Colligata est iniquitas Effraim, absconditum peccatum eius; dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens. Nunc enim non stabit in contritione filiorum. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors: ero morsus tuus inferne.* Quid hoc? In efficacia ligaturæ alligata est peruersitas nequitiæ diaboli, vt à zelo furoris Dei non mereatur solui: quia nunquam illum recta cogitantem vidit, sic neque eum aspiciunt, qui Deum fideliter timent. Nam se semper eleuat contra Deum, se Deum esse dicens, semper errans contra Deum, & propter ipsum nomini Christiano contradicens. Et ideo malitia ipsius ita profundata est, vt nulla medicina reparationis peccatum eius, quod in cõtemptibilissima superbia impie commisit, in saluatione dignum sit: vnde & ipse erit in perdurationis dolore sicut parturiens in afflictione desperationis, quæ diffidit quod in apertione vteri sui viuere non possit. Nam hæc infœlicitas semper super eum manebit, quod à beatitudine eiectus est: quia filiorum sapientia fugit ab eo, qui ad se non reuertitur, sicut filius prodigus ad se reuersus de iniquitate sua ad patrem suum rediit. Quapropter nunquam confidet in contritione illa, qua filij saluationis in superni filij morte, mortem fœ-

Quid, de aurora egrediens homo.

uissimæ

uisſimæ iniquitatis conterunt, quam ipſe callidus ſerpens ebullire fecit, cum primo homini doloſitatem, quam homo neſciebat, ſuggeſit. Sed quia filij ſaluatoris venenum funeſtiſsimum ſuggeſtionis contemnunt, & ad ſalutem ſuam reſpiciunt, de ſeruitute idolorum liberabo eos: de ſeruitute, inquam, idolorum, quę fallaciam in poteſtate perditionis habent, & in quibus infideles honorem creatoris ſui commutant ſe in laqueum diaboli inuoluentes, & opera ſua ſecundum voluntatem illius perficientes. Et ideo animas illorum qui me diligunt & qui me colunt, animas ſcilicet Sanctorum & iuſtorum ab infernali pœna redimam: quoniam nullus hominum poterit erui à vinculis diaboli, in quibus duriſsima morte propter præuaricationem præceptorum Dei vinctus eſt, niſi in redemptione illius qui electos ſuos proprio ſanguine redempturus eſt. Vbi ad internecionem te, ô mors, interficiam: quia in quo te viuere putas, hoc tibi extraham, ita quod inutile cadauer vocaberis: quoniam in fortiſsimis viribus tuis proſtrata iacebis, ſicut & corpus quod ab anima deſeritur, omnino ad interitum proſternitur. Nam fons aquę viuæ te ſuffocabit: cum fœlices animæ per nouum hominem, qui venenoſæ deceptionis inſons erit, miſericorditer in ſuperna beatitudine rapientur. Vnde etiam ad confuſionem tuam ero morſus tuus inferne, cum poteſtas mea in magna virtute tibi ſpolia illa detrahet quæ fraudulenter rapuiſti: ita vt & tu, ô mors, iuſte deſpoliata, nunquam deinceps plena in diuitiis tuis appareas, ſed vulneribus confoſſa & in fœditate proſtrata iacens, confuſionem tuam in perpetuum reportes.

15 Sed vt vides illo lucente homine qui de aurora egreſſus eſt, in tanta claritate apparente vltra quam humana lingua effari poſſit; demonſtratur quod auguſtiſsimum corpus filij Dei ex ſpecioſiſſima virgine natum, & per triduum in ſepulchro reconditum, ad inſinuandum quod tres perſonæ ſunt in vna diuinitate, paterna claritas infulſit, atque ita ſpiritum recepit, & in fulgentiſsima immortalitate reſurrexit, quam nullus hominum cogitatione aut verbo explicare poterit. Quem & pater nudatis vulneribus, cœleſtibus choris oſtendit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, quem miſi vt moreretur pro populo. Ob quam rem ſupra humanum intellectum innumerabile gaudium in ipſis innouatum eſt, quia cæca obliuio, qua Deus neſciebatur, ſic depreſſa eſt, vt rationalitas hominis, quæ ſuadente diabolo proſtrata iacebat, ad agnitionem Dei eleuata ſit: quoniam per ſummam beatitudinem homini via veritatis oſtenſa eſt, in qua de morte ad vitam reductus eſt.

16 Sed ſecundum hoc vt filij Iſraël ex Aegypto liberati per quadraginta annos deſertum tranſeuntes, in terram lac & mel fluentem peruenerũt, ita filius Dei à morte reſurgens per quadraginta dies diſcipulis ſuis cum beatis fœminis, quæ poſt ipſum ſuſpirabant, & magno deſiderio videre deſiderabant, ſe benigne oſtendit, ad eas in fide confirmandas, ne dubitarent dicentes: Nos non vidimus Dominum, ideo credere non poſſumus quod ipſe ſit noſtra ſalus: ſed frequenter manifeſtauit ſe illis, ad corroborandos ipſos ne caderent.

17 Quod vero in eminentiſsimam altitudinem innumerabilis gloriæ tetendit, vbi in plenitudine omnimodæ vbertatis & odoris mirifice radiat: hoc eſt quod idem filius Dei aſcendit ad Patrem, cui vna cum Filio & Spiritu ſancto eminentiſsima & præcellentiſsima altitudo inenarrabilis gaudij & lætitiæ eſt, vbi idem filius in abundantia prefulgentiſsimæ ſanctitatis & beatudinis fidelibus ſuis glorioſe apparet, qui ipſum puro & ſimplici corde verum Deum & hominem eſſe credunt. Nam etiam tunc noua ſponſa eiuſdem agni illi præſentata eſt in diuerſis ornamentis, quibus ornanda eſt in omni genere virtutum fortiſsimi certaminis totius fiddelis populi, qui contra callidum ſerpentem pugnaturi ſunt. Sed qui vigilantibus oculis videt, & attentis auribus audit; hic myſticis verbis meis, quæ de me viuente emanant, oſculum præbeat amplexionis.

VISIO SECVNDA.

1 DEINDE vidi ſplendidiſsimam lucem, & in ipſa ſaphirini coloris ſpeciem hominis, quæ tota ſuauiſsimo rutilante igne flagrabat: & illa ſplendida lux perfudit vniuerſum illum rutilantem ignem, & ille rutilans ignis totam illam ſplendentem lucem, & illa ſplendidiſsima lux & rutilans ignis totam hominis ſpeciem, vnum lumen vna virtute & potentia exiſtentes. Et iterum audiui viuentem illam lucem mihi dicentem: Hic eſt ſenſus myſteriorum Dei, vt diſcrete cernatur & intelligatur, quæ ſit plenitudo illa, quæ ſine ortu eſt, & cui nihil deeſt: quæ potentiſsima virtute plantauit omnes riuulos fortium. Nam ſi Dominus vacuus eſſet propria virtute, quid tunc eſſet opus eius? Certe vanum: ideoq; in perfecto opere, cernitur quis artifex eius ſit.

2 Quapropter vides ſplendidiſsimam lucem, quę ſine ortu eſt, & cui nihil deeſſe poteſt; quæ deſignat Patrem: & in ipſa ſaphirini coloris ſpecie hominis ſine omni macula imperfectionis inuidiæ & iniquitatis, declarat Filium, ante tempora ſecundum diuinitatem à Patre genitum, ſed poſt in tempore ſecundum humanitatem in mundo incarnatum. Quæ tota ſuauiſsimo rutilante igne flagrat; qui ignis ſine tactu vllius aridæ & tenebroſæ mortalitatis demonſtrat Spritum ſanctum, de quo idem Vnigenitus Dei ſecundum carnem conceptus, & de virgine temporaliter natus, lumen veræ claritatis mundo infudit. *Quid lux ſine ortu.*

3 Sed quod illa ſplendida lux perfudit vniuerſum illum rutilantem ignem, & ille rutilans ignis totam illam ſplendentem lucem, ac ſplendida lux rutilans ignis totam ſpeciem hominis, lumen vnum in vna virtute & poteſtate exiſtentes: hoc eſt, quia Pater, qui ſumma æquitas, ſed non ſine Filio, nec Spiritu ſancto eſt; & Spirtus ſanctus, qui accenſor cordium fidelium, ſed non ſine Patre & Filio; & Filius, qui eſt plenitudo virtutis, ſed non ſine Patre & Spiritu ſancto, in maieſtate diuinita- *Quid ſplẽdida lux, ignem per fundens.*

tis inseparabiles sunt: quoniam Pater non est sine Filio, nec Filius sine Patre, nec Pater & Filius sine Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus sine ipsis: & hæ tres personæ Deus vnus in vna integra diuinitate maiestatis existunt, & vnitas diuinitatis in eisdem tribus personis inseparabilis vigens, quia diuinitas scindi non potest, sed ipsa absque vlla mutabilitate inuiolabilis semper manet: sed & Pater declaratur per Filium, Filius per ortum creaturarum, & Spiritus sanctus per eundem Filium incarnatum. Quomodo? Pater est, qui ante sæcula genuit Filium: Filius, per quem omnia à Patre facta sunt in initio creaturarum: & Spiritus sanctus, qui in specie columbæ apparuit in baptismate Filij Dei in fine temporum.

4 Vnde nunquam obliuiscatur homo me solum Deum in his tribus personis inuocare, quia eas propterea ostendi homini, vt homo tanto strictius in amore meo ardeat, cum propter amorem eius misi proprium filium in mundum, quemadmodum Ioannes dilectus meus protestatur, dicens: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Quid hoc? Quia in hoc quod Deus dilexit nos, alia salus exorta est, quam illa quam in proximo ortu habuimus, cum hæredes innocentiæ & sanctitatis fuimus: quoniam supernus Pater ostendit charitatem suam in periculis nostris, quando constituti eramus in pœnis, Verbum suum solum inter filios hominum in perfecta sanctitate, mittens per supernam virtutem in tenebras sæculorum, vbi ipsum Verbum omnia bona operatum illos ad vitam per mansuetudinem suam reduxit, qui per munditiam præuaricationis deiecti erant, nec in sanctitatem quam perdiderant, redire valebant. Quid hoc? Nam per ipsum fontem vitæ paterna dilectio amplexionis Dei venit, quæ nos ad vitam reuocauit, & quæ in periculis auxiliatrix nostra fuit, quæ est profundissima & suauissima charitas, nos ad pœnitentiam instruens. Quomodo? Deus magni operis sui atque pretiosissimæ margaritæ, hominis inquam, quem de limo terræ formauit, & cui spiraculum vitæ inspirauit, misericorditer recordatus est. Quomodo? Ipse instruxit vitam in pœnitentiam, cuius efficacia nunquam peribit; quia callidus serpens decepit hominem per superbam inuasionem, sed Deus deiecit illum in pœnitentia quæ humilitatem ostendit, quam diabolus nesciuit nec fecit: quoniam ad rectam viam assurgere ignorauit.

5 Vnde ista saluatio charitatis non est orta à nobis, quia nec nouimus nec valuimus diligere Deum in saluatione: sed quia ipse Creator & Dominus omnium ita dilexit mundum, quod propter saluationem eius misit filium suum, principem & saluatorem fidelium, qui vulnera nostra lauit & tersit: vnde etiam de illo dulcissima medicina sudauit, ex qua omnia bona saluationis fluunt.

6 Quapropter & tu, ô homo, intellige, quia Deum nulla instabilitas mutabilitatis tangit. Nam Pater est Pater, Filius est Filius, Spiritus sanctus est Spiritus sanctus, tres personæ in vnitate diuinitatis indiuisibiliter vigentes. Quomodo? Tres vires in lapide, & tres in flamma, & tres in verbo sunt. Quomodo? In lapide est virtus humoris, virtus palpabilitatis, & ignea vis: sed virtutem humoris habet, ne dissoluatur & comminuatur: palpabilem vero comprehensionem, vt habitationem & defensionem exhibeat: igneam autem virtutem, vt confoueatur & consolidetur ad duritiam suam. Ipsa autem humida virtus significat Patrem, qui nunquam aresci aut finitur in sua virtute: & palpabilis comprehensio designat Filium, qui natus ex virgine tangi & comprehendi potuit: & vis rutilantis ignis significat Spiritum sanctum, qui est accensor & illuminator cordium fidelium hominum. Quid hoc? Sicut homo qui corpore suo frequenter humidam virtutem lapidis attrahit, inde infirmando debilitatur; sic & homo qui per instabilitatem cogitationum suarum temere vult Patrem intueri, perit in fide: & vt in palpabili comprehensione lapidis faciunt homines habitationem suam se per eam ab hostibus defendentes; ita & Filius Dei qui est verus lapis angularis, habitatio est fidelis populi, eum à malignis spiritibus protegens: Sed & sicut rutilans ignis illuminat tenebrosa, comburens ea super quę incubuerit; sic & Spiritus sanctus fugat infidelitatem, auferens omnem rubiginem iniquitatis. Et quomodo hæ tres vires sunt in vno lapide, ita & vera Trinitas est in vna Deitate. *Tres vires in lapide.*

7 Item sicut flamma in vno igne tres vires habet, sic & vnus Deus in tribus personis est. Quomodo? Flamma enim in splendida claritate & insito vigore ac igneo ardore consistit: sed splendidam claritatem habet vt luceat, & insitum vigorem vt vigeat, atque igneum ardorem vt comburat. Vnde in splendida claritate Patrem considera, qui paterna pietate claritatem suam fidelibus suis expandit: & in insito vigore, qui splendidæ flammæ in qua ista flamma virtutem suam ostendit, Filium intellige, qui ex virgine corpus assumpsit, in quo diuinitas mirabilia sua declarauit: ac in igneo ardore Spiritum sanctum perspice, qui mentes credentium suauiter vrit. Sed vbi nec splendida claritas, nec insitus vigor, nec igneus ardor est, ibi nec flamma cernitur: sic vbi nec Pater nec Filius nec Spiritus sanctus colitur, ibi nec digne veneratur. Ergo sicut in vna flamma hæ tres vires cernuntur, sic in vnitate diuinitatis tres personæ intelligantur. *Tres vires in flamma.*

8 Ita etiam vt tres vires in verbo notandæ sunt, sic & trinitas in vnitate diuinitatis considerandæ est. Quomodo? In verbo, sonus, virtus & flatus est. Sed sonum habet vt audiatur, virtutem vt intelligatur, flatum vt compleatur. In sono autem nota Patrem, qui inenarrabili potestate omnia propalat: in virtute Filium, qui mirabiliter ex Patre genitus est. In flatu vero Spiritum sanctum, qui vbi vult spirat, & omnia consumantur. Vbi vero sonus non auditur, ibi nec virtus operatur, nec flatus eleuatur; vnde nec ibi verbum intelligitur: sic etiam Pater, Filius & Spiritus sanctus *Tres vires in verbo.*

non

non sunt à se diuisi, sed suum opus vnanimiter operãtur. Vnde sicut hętres res in verbo vno sunt, ita etiã superna trinitas in superna vnitate est: itaq; sicut in lapide nec est nec operatur humida virtus sine palpabili comprehẽsione & sine ignea virtute, nec palpabilis comprehensio sine humida virtute & igneo rutilantis ignis vigore, nec rutilantis ignis vigor sine humida virtute & palpabili comprehensione, & vt in flamma non est nec operatur splendida claritas sine insito vigore & igneo ardore, nec insitus vigor sine splendida claritate & igneo ardore, nec igneus ardor sine splendida claritate & insito vigore, & sicut in verbo non est nec operatur sonus sine virtute & flatu, nec virtus sine sono & flatu nec flatus sine sono & virtute, sed indiuisibiliter in opere suo sibi hærentia sunt, ita etiam hæ tres personæ supernæ trinitatis in maiestate diuinitatis inseparabiliter vigent neque à se diuiduntur. Sic Deum vnum in tribus personis ô homo intellige. Sed tu in stultitia mentis tuæ putas Deum tam impotentem esse vt non sit ei possibile in tribus personis vere subsistere, sed tantum in vna posse consistere, cum neque vocem videas sine tribus consistere. Quid hoc? Deus certe est in tribus personis verus & vnus Deus primus & nouissimus.

9 Sed pater non est sine filio, nec filius sine patre, nec pater nec filius sine spiritu sancto, nec spiritus sanctus sine ipsis: quoniam hæ tres personæ inseparabiles in vnitate diuinitatis sunt. Quomodo verbum resonat ex ore hominis, sed nõ os sine verbo, nec verbum sine vita. Et vbi manet verbũ? In homine. Vnde exit? De homine. Quomodo? Viuente homine. Sic est filius in patre, quẽ pater pro salute hominũ in terrã sedentiũ in tenebris misit, de spiritu sancto in virgine cõceptũ. Qui filius vt est vnigenitus in diuinitate, ita est vnigenitus in virginitate: & sicut est vnicus patris, ita est & vnicus matris: quia vt pater illum vnum ante tempora genuit, sic & virgo mater illum vnum solum genuit in tempore, quoniam virgo mansit post partum.

10 Vnde ô homo intellige in his tribus personis Deum tuum qui te creauit in fortitudine diuinitatis suæ, & qui te redemit à perditione. Noli ergo obliuiscì creatoris tui, sicut & Salomon tibi suadet, cum dicit: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas, non mihi placent.* Quid hoc? Intellectuali sensu tuo recordare illius qui te condidit, velut cum in diebus stultæ cõfidẽtiæ tuæ putas tibi possibile esse vt secundũ desideriũ tuũ ascendas in altũ, te præcipitans in profundum, at in prosperitate stans in extremas ærumnas cadens. Nam vita quæ in te est semper nititur vt perficiatur vsque ad tempus illud dum perfecta appareat. Quomodo? Infans à primo ortu suo vsque ad perfectam staturam ascendit, & deindè in perfecta ætate manet, relinquens petulantiam morum stultæ adolescentiæ tantum cum magnis curis solicite prouidẽs quid sibi in rebus suis agendum sit, quod tunc nequaquam fecit cum stulta adolescentia inconstantia feruebat. Sic fidelis homo faciat, infantiam morum relinquat, & ad culmen virtutum conscendat in fortitudine earum perseuerans, extollentiam cupiditatis suæ deserens quæ in amentia vitiorum pullulat & in augustia solicitudinum meditetur quid sibi vtile sit postquã infantiam morum puerilium declinauit. Vnde ô homo sic amplectere Deum tuum in fortitudine vigoris tui priusquam veniat homo purgationis operum tuorum, cum omnia manifestabũtur, neque quidquam occultum relinquetur, vbi veniunt tempora quæ in duratione sua non deficient. De quibus humano sensu tuo, ne murmurans dicas, non mihi placent, neque intelligo vtrum in prosperitate aut in ærumna illa sint: quia humana mens semper in hoc dubia est: nam & dum bona operatur, anxietatem habet vtrum Deo placeãt an non. Et dum mala perpetrat, de salute remissionis formidat. Sed qui vigilantibus oculis videt & attentis auribus audit, hic mysticis verbis meis quæ de me viuente emanant osculum amplexionis præbeat.

VISIO TERTIA.

1 POST hęc vidi quasi muliebrem imaginem procera magnitudine instar magnæ ciuitatis habentem caput miro ornatu coronatum, & brachia de quibus splendor velut manicæ propendebant à cœlo ad terram vsque radians. Venter autem eius in modum retis multa foramina habentis, per quæ plurima hominum multitudo subit: crura vero & pedes non habebat, sed tantum super ventrem suum ante altare quod est ante oculos Dei stabat, ipsum expansis manibus circumplexa: oculis autẽ suis per omne cœlũ acutissime intendebat. At nulla vestimẽta eius considerare poterã, nisi quod tota lucidissima claritate fulgens, multo splendore circũfusa fuerat: in pectore eius velut aurora rubeo fulgore micante vbi etiam multimodo genere musicorum audiui de ipsa hoc canticum quasi aurora valde rutilans decantari. Et imago illa expandit splendorem suum velut vestimentũ dicens: Me oportet concipere & parere. Et mox occurrit ei vt fulgur multitudo Angelorum gradus & sedes in ea hominibus facientium, per quos ipsa imago absoluenda erat. Deinde vidi nigros infantes iuxta terram in aẽre quasi pisces in aqua repentes & ventrem imaginis in foraminibus (quibus ingredi volentibus aperta patebat) intrantes. At illa ingemuit sursum eos attrahens qui & ore eius exierunt, ipsa tamen integra permanente. Et ecce illa serena lux & in ipsa species hominis tota, rutilante igne flagrans, secundum visionem quam prius videram, iterum mihi apparuit & singulis eorum nigerrimam cutem abstrahens & extra viam cutes illas proijciens singulos illorum candidissima veste induit, ac eis clarissimam lucem aperuit singulis eorum dicens: Exue vetustatem iniustitiæ, & indue nouitatem sanctitatis: reserata est enim tibi ianua hæreditatis tuæ: considera ergo quomodo doctus sis, vt cognoscas patrem tuum quem confessus es. Ego suscepi te, &

tu confessus es me. Nunc ergo respice duas semitas: vnã ad orientem & alteram ad aquilonem. Si igitur interioribus oculis tuis diligenter inspexeris me vt in fide doctus es: suscipiam te in regno meo. Etsi me perfecte dilexeris, faciam quodcũq; petieris: Si autem me despexeris, te à me auertens & retro respiciẽs, nec me scire aut intelligere volens, te sordidum in peccatis ad puram pœnitentiam reuocantem si tu ad diabolum recurris quasi pater tuus ille sit, tunc suscipiet te perditio, quia secundum opera tua iudicaberis: quoniam cum bonum dederim tibi, cognoscere me noluisti. Infantes autem qui ventrem imaginis subierant, in splendore qui eam circumfuderat ambulabant. Et illa benignissime eos intuens, tristi voce dicebat, isti filij mei rursum reuertẽtur in puluerem: multos tamen concipio & pario qui me matrem suam diuersis concussionibus fatigant & opprimunt me impugnantes hæreticis & schismaticis ac sibi inutilibus prælijs, in rapinis & homicidijs, in adulterijs & fornicationibus, atq; in multis alijs huiusmodi similibus erroribus. Sed plurimi ex istis resurgunt in veram pœnitentiam ad vitam æternam: & plurimi eadunt in fallaci obdurationead mortem secundam. Et iterum audiui vocem de cœlo dicentem mihi: Plena constructio viuentium animarum quæ construitur in cœlis viuis ex lapidibus ornata immenso decore virtutum in filijs suis quos complectitur tanquã capacissima ciuitas, plurimã turbã populorũ & vt latissimũ rete maximam multitudinem piscium in supernis virtutibus decentissime floret secundum quod in nomine Christiano viget opus fidelium hominum.

Quid muliebris imago.

2 Vnde quod nunc vides quasi muliebrem imaginem procera magnitudine instar magnæ ciuitatis: designat sponsam filij mei quæ semper gignit filios in regeneratione spiritus & aquæ, cum eam fortissimus præliator posuerit in latitudinem virtutum comprehendere perficere plurimam turbam in electis suis & est instar turris magnæ: quoniam nullus hostis eam prævalet expugnare, contraria impugnatione à se infidelitatem expellentem & se fideliter expandentem, quod in mortali sæculo secũdùm hoc intelligitur quod vnusquisque fidelium prębet exemplum proximo suo, per quod ipsi plurimas virtutes operantur in cœlestibus. Sed cum vnusquisq; iustorum peruenerit ad filios lucis, tunc in ipsis apparebit opus bonum quod operati sunt: quod in mortalitate terreni pulueris cognosci non potest, quoniam hic in vmbra inquietudinis obscuratum est.

Caput.

3 Et habet caput miro ornatu coronatum, quia ipsa in ortu suo cum in sanguine agni suscitata est, decenter in Apostolis & Martyribus decorata est vera desponsatione desponsata filio meo: quoniam in cruore eius se fideliter extruxit in fidelem ædificationem sanctarum animarum.

Brachia.

4 Quapropter & brachia habet de quibus splẽdor velut manicæ descendit à cœlo ad terram vsq; radians: quæ est operatio fortitudinis in sacerdotibus qui in puritate cordis & manuum in sacramento corporis & sanguinis Saluatoris sui, sacrosanctum sacrificium super sanctum altare in virtute bonorum operum offerunt, quod est clarissimum opus misericordiam facientibus qui in largitate semper omni dolori adiutorium impendunt, mitissimo corde eleemosynam in pauperes distribuentes, & sic in perfecto animo suo dicentes: Hæc non est substantia mea, sed eius qui creauit me: quia hoc opus à Deo inspiratum: ante oculos eius repræsentatur in cœlo cum in cultura Ecclesiæ, per fideles homines perficitur in terra.

Venter.

5 Quod autem venter eius est in modum retis multa foramina habentis per quæ plurima hominum multitudo subit, hoc est materna benignitas ipsius quæ ad capturam fidelium animarum aperta est in multiplici celsitudine virtutum in quibus credentes populi per fidem veræ credulitatis deuote conuersantur. Sed is qui rete suum proiecit in capturam piscium est filius meus sponsos dilectæ Ecclesiæ suæ quam in sanguine suo sibi ad reparandum casum perditi hominis desponsauit.

Nõ crura nonpedes.

6 Quæ nondum crura aut pedes habet, quia ad fortitudinem constitutionis iuæ neq; ad summũ nitorem completionis suæ deducta est: quoniam circa tempus filij perditionis qui mundo errorem inducet, ignitam & sanguinolentam crudelissimæ peruersitatis angustiam copiosissime in membris suis patietur, per quam calamitatem sanguineis vulneribus ad perfectum deducta, propere curret in cœlestem Hierusalem: & cum in sanguine filij mei noua nupta suauiter orta sit: ipsa hoc ardore vitam in plenitudine gaudij sobolis suæ intrabit.

Stans super ventrem ante altare.

7 Sed tantũ super ventrem suũ ante altare quod est ante oculos Dei stabat ipsum expansis manibus circumplectens: quoniam ipsa semper prægnans atq; filios suos in vera ablutione procreans est eos deuotissime per purissimas orationes sanctorum Deo offerens: & per suauissimum odorem discretionis occultarum & manifestarum virtutum quæ proferuntur in intentione oculorum mentis, abiecta omni fictione simulationis & appetitu humanæ laudis, vt thus purgatur ab omni iniuria contrarij fœtoris quæ quidem bona operatio, conspectui Dei suauissimum sacrificium est, in quo noua sponsa frequenter laborat toto desiderio in opere fructuosarum virtutum ad cœlestia anhelans, atq; tricesimo & sexagesimo & centesimo fructu excelsam turrim supernorum murorum ædificans.

Cœlo intẽdens.

8 Vnde & oculis suis per omne cœlum acutissime intendit, quia intentionem suam quam in cœlestibus deuotissimè habet, nulla peruersitas obscurare potest, nec vlla persuasio diabolicæ fraudis, nec error præuaricantis populi, nec diffusæ in diuersis terris conclusiones vbi insani homines in incredulitate furoris sui crudeliter se discerpunt.

Nõ vestimenta.

9 Sed quod nulla vestimenta eius considerare potes, hoc est quod secreta illius humanus intellectus in infirmitate fragilitatis suæ grauatus, ad perfectum intueri non valet, nisi quod tota lucidissima claritate fulgens, multo splendore circũfusa est, quoniam verus sol clarissima inspiratione Spiritus sancti & decentissimo ornatu virtutum eam vndique perfudit.

10 In

Aurora in pectore.

10 In pectore eius velut aurora rubeo fulgore micãte: quia in cordibus fideliũ integritas beatissimæ virginis filium Dei generantis ardentissima deuotione fulget, vbi etiam multimodo genere musicorum audis de ipsa hoc canticum quasi aurora valde rutilans decantari, quoniam omnis vox credentium vt intellectui tuo infunditur virginitatem illius illibatę virginis tota intentione in Ecclesia amplecti debet.

Splẽdoris expansio.

11 Quod vero eadem imago expandit splendorem suum velut vestimentum dicens quod oporteat ipsam concipere & parere, hoc est quod in Ecclesia dilatatur sacramentum confessionis veræ trinitatis, quia amictus ipsius est in protectione fidelium populorum, per quos ipsa consurget in ædificationem viuentium lapidum in fonte purissimi lauacri dealbatorum, sicut & ipsa confitetur necesse ad saluationem vt concipiat filios in benedictione, & vt pariat eos in ablutione per regenerationem spiritus & aquæ.

12 Quapropter & mox accurrit ei vt fulgur multitudo Angelorũ gradus & sedes in ea hominibus facientiũ per quos eadẽ imago perficiẽda est: quia cuiq; credẽti homini adest metuendũ & diligendũ ministeriũ beatorum spirituũ ascensus per fidem & repositiones per summã quietem illis fidelibus præparantium in quibus ipsa fœlix mater Ecclesia ad decorem sui perducenda cognoscitur.

Quid nigri infãtes

13 Sed & deinde vides nigros infantes iuxta terram in aẽre quasi pisces in aqua repentes & vengrem imaginis in foraminibus (quibus ingredi volentibus aperta patet) intrantes, quæ est nigredo stultorum hominum qui nondũ abluti sunt in lauacro saluationis: sed ipsi terrena diligentes, & in eis vbique discurrentes atq; habitationem suam in eorum instabilitate ponentes, ad matrem sanctitatis tandem perueniunt, & dignitatem secretorũ eius intuentes benedictionem ipsius suscipiunt, per quam diabolo abstrahuntur ac Deo reddũtur sacram constitutionem Ecclesiastici ordinis in qua fidelis homo ad saluationem beatificari debet subeũtes, cum in semetipsis dicunt credo in Deũ, & reliqua ad beatam fidẽ spectãtia. Vnde & illa ingemuit sursum eos attrahens, qui & ore eius exeunt, ipsa tamen integra permanente, quoniam hæc beata mater intima suspiria trahit quando baptisma cũ chrismate in sanctificatione Spiritus sancti consecratur, vt homo in vera circumcisione spiritus & aquæ iñouetur, hunc in modum sursum summæ beatitudini quæ caput omnium est offerendus: quo membro Christi facto, cum per inuocationẽ sanctæ Trinitatis quasi per os beatæ Mariæ ad saluationem regeneratur, nullam læsionem eadem mater patitur, quia ipsa in æternum permanebit in integritate virginitatis suæ, quæ fides Catholica est: quoniam ipsa nata est in sanguine veri agni sponsi sui, qui sine vlla corruptione integritatis ex integerrima virgine natus est. Sic & ipsa sponsa integra permanebit: ita quod nullum schisma eam corrumpere poterit. Sæpe tamen à peruersis hominibus fatiganda, sed per adiutorium sponsi sui semper fortissime se tuetur vt virgo quæ sæpe in concupiscentijs carnis per diabolicam artem & persuasiones multorum hominum oppugnatur, sed tamen ipsa per orationes suas quas fundit ad Dominum, à tentationibus illorum, strenue liberatur conseruans virginitatem suam. Ita etiam Ecclesia repugnabat nequissimis corruptoribus qui sunt errores hæreticorum scilicet tam malorum Christianorum quã Iudæorum & aliorum infidelium qui eam infestant, virginitatẽ eius quæ fides Catholica est, corrumpere volentes, ipsa tamen eis viriliter resistente, ne corrumpatur: quia semper virgo fuit & est & permanebit, vera fide id est materia virginitatis eius contra omnẽ errorem integra permanente, vt & honor castæ virginis in materia pudoris corporis eius contra omnem tactum libidinis incorruptus perseuerat. Vnde & Ecclesia omnium Christianorum virginea mater est, quoniam in secreto Spiritus sancti eos concipit & parit, illos Deo offerens, ita quod & filij Dei vocantur. Et vt beatissimam matrem Spiritus sanctus obumbrauit, ita quod sine dolore mirabiliter filium Dei concepit & peperit, & tamen virgo permansit, sic & Ecclesiam fœlicem matre credentium Spiritus sanctus illustrat, & sine vlla corruptione simpliciter filios concipit & parit, & virgo perdurat.

14 Quid hoc? Vt balsamum ex arbore sudat, & vt fortissimæ medicinæ ex onycino vase quæ in eo latẽt emanãt, & vt clarissimus splẽdor ex carbunculo absq; omni impedimẽto se diffũdit, sic filius Dei sine omni obstaculo corruptionis ex virgine natus est, & sic etiam Ecclesia sponsa eius absq; omni inquinatione erroris filios suos generat: virgo tamen in integritate fidei permanens.

Quid species hominis in luce flagrans.

15 Quod autem vides, quomodo illa splendida lux, & in ipsa species hominis tota rutilante igne flagrans, secundum visionem quam prius videras iterum tibi apparet, hoc est quod vera trinitas in vera vnitate, scilicet lucidissimus pater, & in patre dulcissimus filius eius qui ante tempora secundum diuinitatem in patre manens, sed in tempore secundum carnem de spiritu sancto conceptus & de virgine natus vt in verissima visione tibi præmonstratum, est nunc etiam ad confirmationem fidei tibi ostenditur: quoniam eadem beata trinitas in sancto baptismo baptizatis aperto cœlo apparet, vt fidelis homo hanc fidem suscipiat: quomodo vnum Deum in vera trinitate colat, quæ etiam in primo sacramento baptismatis veraciter apparuit. Et singulis eorum integerrimam cutem abstrahens ac extra viam cutes proijciens, singulos illorum candidissima veste induit ac eis splendidissimam lucem aperit singulis eorum verba beatæ admonitionis proferens, quia diuina potestas corda hominum aspiciens, in lauacro baptismi infidelitatem scelerum suorum misericorditer aufert, atque scelera illa extra viam qui CHRISTVS est abiicit: quoniam non mors in CHRISTO sed vita per puram confessionem & per ablutionem peccatorum in ipso est, cum per ipsum quisq; fidelis candore salutis induitur, & cum illi per eum claritas beatæ hæreditatis de qua primus homo expulsus est aperitur: ipse scilicet admonetur per verba veritatis, vt deponat veterẽ consuetudinem iniquitatis,

tatis,& vt assumat nouum donũ gratiæ ad salua-
tionem. Sed quod infantes qui ventrem imagi-
nis subierant in splendore qui eam circumfude-
rat ambulant: hoc est quod ij quorum mater fœ-
lix Ecclesia per fontem sacri baptismatis existit:
in lege diuina qua eadem mater illustrata & or-
nata eos instruxit permanere atq; eam conserua-
re debent: ne si eam infideliter abiecerit, rursum
peccatis à quibus mundati erant inquinentur.
Vnde etiam illa benignissime eos intuens tristi
voce dicit, quod illi filij sui rursum reuertentur
in puluerem: quia eadem beata mater illos inte-
riori dilectione diligens ac eis ex intimis viscer-
ibus condolens, conqueritur quod ipsi quos in la-
uacro regenerationis genuit, mundos videlicet
in cœlestibus effectos, iterum terrenis inhian-
tes in peccatis sordescant.

16 Quomodo? Quia multi fidem exterius per-
cipientes, interius eam diuersis vitijs impugnant,
magis viam erroris quam viam veritatis gradi-
entes: ex quibus tamen plurimi à falsitate resipis-
cunt, plurimi etiam in iniquitate permanent, vt
& illa mater verbis suis quæ supra adducta sunt,
demonstrat.

17 Nam duo signa legis signatorum tradita nos-
cuntur hominibus scilicet circumcisio in antiquis
patribus, & baptismus in nouis doctoribus: per
quæ ingrati sunt homines vt bos iugo suo, quo-
niam quamuis ille stimulo corriperetur, curuum
tamen sulcum induceret si iugo non esset alliga-
tus. Simili modo non incederent homines per
vias meas, si non essent ligati iugo signorum suo-
rum.

18 Hoc tale est velut si iuuenis aliquis incede-
ret via aliqua, & pater eius ei diceret, ambula re-
cto tinere, & tamen non daret illi gladium nec
alia bellicosa arma, quibus si occurreret pericu-
lum se defenderet. Quid tunc? Nudus fugeret, nec
auderet nec posset se defendere à periculo sibi
occurrente, & eum à via sua impedire volente,
sed absconderet se: quia munitus non esset terri-
bili armatura, per quam se defendere deberet. Sic
esset populus meus nudus si non esset baptizatus:
vnde terribilis apparet inimicis suis qui eum cũ
chrismate baptismatis signatum vident, per quod
signum etiam fortiter illis repugnat: qui eum de-
struere volunt siue humana turba siue acies, sit
diabolica.

19 Sed Adæ non erat danda duplex lex. Quo-
modo? Ego dedi ei legem in arbore, cum me vi-
deret in innocentia cordis: ipse autem contemp-
sit me callido serpenti consentiens, quod ita no-
xium fuit vt nunquam mortalis oculis me vi-
dere possit quamdiu in hoc transitorio sæcu-
lo manet. Sed quia Adam præceptum meum trãs-
gressus est, sine lege cum genere suo fuit, vsque ad
tempus illud quod nobilitatem filij mei prænun-
ciauit.

20 Admonitio autem Spiritus sancti in Noe
apparuit cum genus humanum perire propera-
uit, vbi super diluuium arcam erexit: quoniam
ante sæcula præuidi, quod post illud iniquum
genus quod se teterrima iniquitate polluerat, no-
ua soboles exurgere debuit. Nam post transitum
Adæ, genus ipsius ignorans quod ego Deus sum,
errabat dicens: Quis est Deus? Quis est Deus? Et
tunc oriebatur in illis omne malum, ita quod in-
ter eos antiquus serpens soluta potestate cucurrit,
suadens illis vt omnem voluntatem eius exple-
rent. Ipse enim tunc à vinculo ligaturæ solutus e-
rat, ita quod ei ante diluuiũ non minans aduer-
sabatur admonitio Spiritus sancti, vt illi aduer-
satus sum in Noe, in quo noua soboles exorta est,
cum populum meum taliter erudiui quod erudi-
tionis illius non poterit obliuisci. Nam admo-
nitio Spiritus sancti, primum illi in Noe minata est:
postea autem circumcisio in maxillam percussit
eum, in Abraham: deinde vero Ecclesia ligauit
in nouissimo tempore vsq; dum pertranseat mũ-
dus in vltimo die. Sed ego permisi diabolum po-
testatem suam ante diluuium exercere in mun-
do, propter antiquum certamen quo deuicit A-
dam donec ventrem suum cadauere omnis ini-
quitatis impleuit: & hoc ideo permisi, quia iu-
stum est iudicium meum. Vnde etiam ego susci-
taui aquas diluuij & peccatores occidi, reseruans
in mysterio meo Noe, quem idem sathanas expo-
liare non potuit: quoniam in voluntate mea su-
per diluuiũ erat. Et ego designaui in diluuio re-
ctissimum germen videlicet filiũ meum nouo sæ-
culo prænuncians eum, qui silenter veniens in
mundum, sanctam Trinitatem manifestauit ve-
racissimè colendam.

21 Quomodo? Tres alas ostendit quæ sanctam *Quid tres ala.*
Trinitatem significant, vbi tu Synanoga me ne-
gabis, & vbi alienus populus me suscipiet: vbi &
tu ô Abraham magnificaberis. ô Abraham tu es
circumdatus circũcisione, tu es vt murus septus
veteri testamento, tu es ornatus aurora solis Ec-
clesiæ. Ego tibi & generi tuo dedi circumcisio-
nem vsque ad filium meum, qui aperte peccata
hominum remisit: & vbi carnalis circumcisio ve-
teris præpucij cecidit, cum fons baptismi in san-
ctificatione lauacri filij mei veraciter ebul-
liuit.

22 Sed qui in tempore circumcisionis ex ge-
nere tuo circumcisi non sunt secundum tempus
quod eis ostensum est, siue minoris siue maioris
ætatis essent, pactum fœderis mei transgressi
sunt, præter mulieres quibus circumcisio non est
iniuncta: nam mulier non est circumcidenda,
quia maternum tabernaculum latet in corpore e-
ius, nec tangi potest tactu exteriori, & quoniam
ipsa est sub potestate viri, vt seruus sub domino
suo.

23 Nam vir tres causas habet in opere suo, id
est concupiscentiam, fortitudinem & studium.
Concupiscentia autem incendit fortitudinem:
vnde in vtroq; est studium laboris & ardentis vo-
luntatis ipsorum. Hoc tale est vt in creatione A-
dæ tres causæ designatæ sunt, quia volũtas Dei
in potestate formauit hominem, & hoc in magna
pietate complebat, cum ipse hominem ad imagi-
nem & similitudinem suam fecit. In volũtate au-
tem Dei, nota viri concupiscentiam; & in pote-
state Dei, viri fortitudinem: atq; in pietate vo-
luntatis ac potestatis Dei, studium concupiscen-
tiæ & fortitudinis viri. Hoc modo per virum

pro-

procreatùr genus humanum ex muliere, quia & Deus fecit hominem de limo terræ, quoniam vt terra in virtute germinis fructuum agrorum est, ita & mulier in humore partus ad pariendum filios posita est. Quid hoc? Mulier habet tempus reuelationis humoris qui in ipsa est, & qui se humida virtute cum calore in ea diffundit, alioqui voluntarie virum non susciperet, sed dedignando eum voluntati illius non consentiret, nec filios procrearet. Nam si virtutem humoris in calore non haberet, infructuosa maneret, sicut arida terra quæ se non flectit ad vllum vsum fructuositatis. Sed & illa virtus humoris non semper in calore incendium ardoris concupiscentiæ in muliere habet, nisi ipsa prius tacta à viro, agnoscat ardentem concupiscentiæ feruorem: quia in illa non est tam fortis & tam feruens concupiscentia sicut in viro, qui fortis est tanquã leo ad concupiscentiam operis filiorum: ita quod ipse habent fortitudinem concupiscentiæ ac operis, muliere tantũ hoc negotiũ habente quod subiacet imperio voluntatis illius, quoniam ipsa occupata est in procreatione natorum, vsq; dum eos producat in mundum.

24 Quæ dum desiderat filium meum, in amore eius cupiens obseruare virginitatem suam, valde ornatur in thalamo ipsius, quoniam contemnit ardorem quem pro charitate illius sustinet, nolens dissolui incendio ardentis libidinis, perseuerans in pudicitia: quia carnalem virum in spirituali desponsatione despicit, toto desiderio anhelans post filium meum, recordationem viri carnalis abijciens. O charissima germina, & ô dulciores & suauiores flores super omnia aromata, vbi mollis & fragalis natura quasi aurora ad desponsationem filij mei consurgit, casta dilectione valde eum amans: illa ei sponsa, & ipse illi sponsus: cum hoc genus virginum valde diligit eum in superno regno insignibus ornamentis adornandum. Sed quid nunc?

25 Cum etiam fortitudo viri recusat ducere consortium matrimonij ita quod vir propter amorẽ filij mei se coërcet in viuida natura sua, cum floret in germine filiorum, ipse tamen constringens membra sua ne exerceant concupiscentiam carnis suæ, hoc mihi valde amabile est quod sciliicet vir hoc modo vicit seipsum. Vnde & ego faciam eum consortem filij mei, & ponam eum sereniſſimum speculum ante faciem eius: quia fortiter restitit diabolo, qui sibi humanũ genus per infidelitatem nequissimæ sordis attraxerat. De cuius laqueo vt eriperetur, filium meum misi in mundum, natum ex dulcissima virgine sine omni macula peccati, afferentem fontem saluationis, quem ipse innocens agnus sacrauit, vt prępucium veteris criminis in eo aboleretur. Quid hoc? Amarissimum præpucium est crimen transgressionis Adæ quod filius meus abstulit, cum ipse fontem salutis ingressus Christianam cohortem nobilissime dedicauit, vt serpens antiquus qui hominem deceperat, in illo lauacro mergeretur. Quomodo? Filius conditioni patris sui respondet, necnon & hæreditatem eius retinet. Quid hoc? Genus Adæ transgressione illius de loco amœnitatis expulsum est, & in baptismo saluationis per filium meum ad vitam reuocatum est. Quomodo? Ipse super incredulos qui præceptis meis repugnauerunt, vocem benedictionis dedit, ita quod exterriti veniam in spiritu contritionis peterent: vt Esaias seruus meus secundum hoc quod à me accepit, protestatur dicens: *Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorũ omnes qui detrahebant tibi.*

26 Quid hoc? O tu qui es superna pax & purissimus sol, per te ebulliet viuens radix quæ est regeneratio spiritus & aquæ: cum illi solerter venient ad agnitionem tuam qui in spurcicia nefandæ immunditiæ sub grauissima maledictione prostrati erant: quoniam ipsi hoc modo quasi curui vix tandem ad veritatem & ad iustitiam surgent. Quomodo? Ipsi maternam dulcedinem veræ fidei sugent: eam visibiliter videndo, nescientes, sed tantum illam fideliter credendo rapientes. Et qui sunt illi? Videlicet qui in materia peccati de his orti, te in ardenti charitate nunquam viderunt, sed qui te crudeliter opprimendo pertinaciter afflixerunt, quasi tu illorum non dominareris, te in bono sensu dulcissime amauerunt. Et adeo cum veram fidem secuti fuerint, velut regem apprehendent te, & tanquam dominum adorabunt te, atque festinanter current sequentes sanctissima itinera tua quæ eis præcepisti ita vt semper eleuatis manibus in te aspiciant atque in bonis operibus ad te semper vigilent, in fide scilicet te videre tædium non capientes: & hoc omnes illi facient, qui prius impudice & irreuerenter te dilaniauerunt, & qui in odio ac in inuidia se à te diuiserunt, cum tunc in speculo fidei, ardenter te amplexentur. Quid hoc?

27 Nam casus Adæ clausit cœlum in indignatione mea, cum homo me spreuit, & callidum serpentem audiuit. Vnde & ipsi clausa est omnis gloria Paradisi. Quæ clausura durauit vsque ad claritudinis meæ filium: qui in voluntate mea fluentem Iordanem intrauit, vbi & vox mea clare intonuit cum dicerem, quia ipse esset filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuissem: quoniam hoc volui, vt in fine temporum redimerem hominem per filium meum mihi indissolubili amoris vinculo ita adhærentem, vt fauus melli adhæret: quem etiam idcirco misi in fontem, me fontem aquæ viuæ designantem, vt & ipse fons salutis, animas illas de æterna morte resuscitaret: quibus in aqua per Spiritum sanctum remissio peccatorum daretur. Quapropter & ibi Spiritus sanctus apparuit, quia fidelibus per eum remissio peccatorum fit: vbi ob mysticum secretum vnigenitum meum Spiritus sanctus in specie columbæ ostendit quæ simplicis & synceri moris est, quoniam & Spiritus sanctus in simplicitate & in bonitate omnium bonorum indeficiens iustitia est. Et hoc decebat, quia filius meus sine vlla macula criminis ex virgine natus est: vt etiam homo qui cum peccato de viro & muliere nascitur sine peccato splendide & gloriose renasceretur: sicut ipse filius meus

in Euangelio ad Nicodemum ait: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

28 Quid hoc? Constantissima certitudine & non instabili ambiguitate dico tibi qui natus es ex corruptione, quia homo qui ortus est de ardenti concupiscentiæ calore & inuolutus venenosa veste, nisi in vero gaudio nouæ sobolis renascatur ex aqua sanctificationis & spiritu illuminationis, in tempore neglectus sui confundetur. Quomodo? Quia homo velut aqua, cum spiritu vegetationis suæ inundat: quoniam vt aqua sordes emundat, & vt spiritus inanimata viuificat (nisi in vera regeneratione purgetur) non poterit per introitum salutionis hæres regni creatoris sui fieri, quia in peccato primi parentis quem diabolus fraudulenter decepit obligatus est. Quomodo? Quoniam vt fur qui nobilissimam & pretiosissimam pecuniam regis furatur, furtiue subintrat, sic tortuosa conceptio in ingluuie suggesta à diabolo subdole irrepsit, ita quod iple dilectissimam gemmam sanctæ innocentiæ & castitatis in quibus Spiritus sanctus habitat nequiter abstraxit. Vnde nunc in sanctificatione ablutionis emundanda est. Nam mortiferus calor quem libido in cumulatione concupiscentiæ præuaricationis præceptorum omnipotentis Dei succendit, in illo submergendus est, qui nunquam mirabilia sua inuidiose abscondit, sed ea in incomprehensibili pietate misericorditer ostendit.

29 Audite ergo filium in hac constitutione regenerationis quæ reuelatio regni mei est, & discite ab eo vt præcepta mea compleatis. Sic facite. Nam hoc mihi acceptum est: & cauete ne vos antiquus serpens seducat, & non moriemini si baptismum vestrum seruaueritis, vt vobis in nomine beatissimæ trinitatis præceptum est. Et quoties ecciderit is, surgite cum correctione pœnitentiæ secundum misericordiam meam de peccatis vestris. O vos charissimi filij mei cognoscite bonitatem patris vestri, qui vos in semetipso per puram confessionem & per veram veniam de maxilla diaboli liberauit, & qui vobis omnia bona contulit, in quibus laborare debetis, vt cœlestem Hierusalem possideatis, quam per fallacem deceptionem perdidistis: quia nemo perditam hæreditatem suam recuperare potest, nisi per sudorem laboris sui. Vos autem supernam beatitudinem scilicet excellentissimam hæreditatem vestram, facile non difficili lege recipere potestis. Nam Spiritus sanctus (vt prædictum est) potestatem sathanæ in baptismo expellit ab homine, sanctificans eum nouum hominem in regeneratione, vt perdita gaudia recipere valeat. Vnde quisquis saluari desiderat in purgatione criminum suorum, regenerari non recusat.

30 Nam ego dedi masculis generis Abrahæ circumcisionem membri vnius, sed in filio meo præcepi viris ac mulieribus cunctorum populorum circumcisionem omnium membrorum suorum. Quomodo: Circumcisio baptismi, orta est in baptismo filij mei quæ & duratura est vsque in nouissimum diem: & post illum diem, sanctitas eius in æternitate manebit, nec finem accipiet: atque ita qui in lauacro baptismi circumciduntur, verissime conseruabuntur, si hoc lauacrum iustis operibus fideliter conseruauerint: quia ego hominem siue infirmioris siue fortioris ætatis sit, suscipiam si fœdus meum custodierit, quod mecum pepigit, scilicet in me credendo, & in vera trinitate me confitendo, seu per seipsum seu per alios qui pro eo fideiubent, vt infans aut mutus qui non loquitur, qui verba alieni oris expostulat: & non delebo eum in æternum, vt illum qui fontem hunc cum opere fidei recipere recusauerit: quemadmodum in doctrina Euangelij filij mei scriptum est: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.*

31 Quid hoc? Ille homo qui per suam scientiã, quę interior oculus est, istud videt quod exteriori visui absconsum est, & in hoc non dubitat, hic certissime credit, & hæc fides est. Nam quod homo exterius cernit, hoc & exterius nouit: & quod interius videt, hoc & interius considerat. Ideo cum scientia hominis per speculum vitæ ardenter percipit incomprehensibilem diuinitatem quam exterior oculus aspicere non valet, tunc desideria carnis opprimuntur & alliduntur ad petram. Vnde & spiritus hominis illius ad veram altitudinem suspirat, hanc regenerationem sentiens, quam filius hominis de Spiritu sancto conceptus attulit, quem intacta mater non de carne viri sudantis in libidine accepit, sed de secreto patris omnium. Qui suauiter veniens, purissimum & viuum speculum in aqua ostendit, ita quod homo per illud in regeneratione viuit. Nam sicut homo nascitur ex carne, diuina potestate in forma Adæ illum creante, ita Spiritus sanctus recuperat vitam animæ per inundationem aquæ, cum ipsa spiritum hominis in se accipit, eum resuscitans ad vitam: vt prius in vnda sanguinis suscitatus est, cum in corporali vasculo manifestatus est: vt enim forma hominis tunc sensibiliter formatur cùm homo dicitur, sic spiritus hominis ante oculos Dei tunc in aqua viuificatur, ita quod eum Deus ad hæreditatem vitæ nouit. Vnde qui sic fontem salutis cum fœdere iustitiæ suscipit, vitam in saluatione inuenit, quia fideliter credidit: qui vero credere non vult, mortuus est: quoniam spiracula spiritus non habet, cum quibus in altitudinem cœli volet, sed tantum tangendo cæcis oculis palpitat, in obumbrata scientia carnis non viuens: quia vitali disciplina caret, quam Deus spirauit in hominem, sursum contra voluntatem carnis ascendentem. Quapropter iste in mortem infidelitatis condemnabitur, quia lauacrum salutis non habuit. Ego enim nec tempus nec genus ab hac salute separaui sed hanc vocationem omni populo per filium meum clementer instituí.

32 Nam in quocunque tempore labentium horarum, cuiuscumque sexus aut ætatis homo sit siue masculus siue fœmina, infans aut decre-

pitus

pitus , cum in affectu deuotionis ad baptiſmum venerit , ego cum pietatis adiutorio ſuſcipiam eum. Et non recuſo lauacrum baptiſmi infantis , vt quidam falſi deceptores loquuntur: qui me talem oblationem abiicere mentiuntur : ſicut etiam in veteri teſtamento non ſpreui infantis circumciſionem : cum ille eam nec voce expeteret , nec voluntate ſuſciperet, quam tamen parentes pro ipſo compleuerunt. Ita etiam nunc in noua gratia non abiicio baptiſmum infantis : quamuis ille eum nec loquendo , nec conſentiendo quærat , ſed tantum parentibus eius id pro eo exequentibus.

33 Et tamen ſi ille ſalutem conſequi deſiderat, omni iure fidelem promiſſionem adimplebit, quam illi pro eo ſpoponderunt, qui eum ad ſacroſanctum fontem exhibuerunt : qui tres homines in honore ſanctæ trinitatis eſſe debent : ſacerdos ſcilicet, qui ipſum perfundit, & duo qui pro illo verba fidei ſpondent. Qui autem hoc modo in lauacro baptiſmatis baptizato coniunguntur, in carnali procreatione ei non commiſceantur, quia in ſpiritali generatione ei adhæſerunt. In baptiſmo enim filij mei ego pater intonui, quod ſacerdotem in lauacro benedictionem dantem oſtendit : & Spiritus ſanctus in ſpecie leuis volucris viſus eſt : quod vnum in ſimplicitate cordis, ibi hominem baptizandum alloquentem & docentem denunciat: atque filius meus in carne baptizandus aderat, quod mulierem in ſuauitate matris aſtantem ob dulciſſimam incarnationem eiuſdem vnigeniti declarat.

34 Quid nunc ? Sed ſicut infans lacte & eſcis ab alio ſibi contritis corporaliter paſcitur , etiam doctrinam & in baptiſmate ſibi propoſitam fidem ex intimo corde obſeruabit. Quod ſi vbera matris ſuæ non fugit, nec contritas ſibi eſcas ſuſcipit, incunctanter moritur , ſic etiam ſi nutrimenta piiſſimæ matris Eccleſiæ non accipit, nec verba fidelium doctorum in baptiſmate propoſita retinet , crudelitatem mortis animæ non euadit , quoniam ſaluationem animæ & dulcedinem æternæ vitæ recuſauit. Et ſicut cum idem infans corporalem cibum dentibus ſuis molere non poteſt , alius ei illum ad deglutiendum ne moriatur , conterit ; ſic etiam faciendum eſt , cum ille in baptiſmo verba ad confitendum me non habet : aderunt ei ſpirituales adiutores, qui ipſi cibum vitæ, id eſt Catholicam fidem , ne in laqueo perpetuæ mortis comprehendantur, proponant. Quomodo? Dominus ſeruo ſuo voluntatem ſuam voce præcipientis proponit, & ille eam in timore opere complet : & mater filiam ſuam in charitate docet, & illa verba eius cum ſubiectione perficit , ac ſimili modo debitores fidei baptizato verba ſalutis opportune proferant, vt ille ea fideli deuotione ob amorem cœleſtium adimpleat.

35 Nam nullus tam graui pondere peccatorum premitur , ſi in nomine ſacroſanctæ Trinitatis in ſanctum baptiſma mittitur , quin vere omnia crimina ſceleris eius deleam , ſicut & in infante cum in lauacro regenerationis perfunditur , veterem culpam Adæ veraciter abluo. Sed non mireris , homo , quod in fonte baptiſmatis ab omnibus peccatis ſuis homo iuſtificatur : ita quod de pondere peccatorum ſuorum in eo clementiſſime alleuiatur. Nam innocens agnus, qui ſine vlla macula peccati fontem baptiſmi ingreſſus eſt : cum magno ſacramento incarnationis ſuæ crimina peccatorum hominum in baptiſmate miſericorditer abſtulit. Sed omnia attentiſſime perſcruter , & in hoc ſæculo & in æternitate , vbi mors corporum non eſt , ſed omnia aperta. Quid eſt hoc ? Gehenna in operibus mortis probatur, & vita æterna in operibus quæ pertinent ad vitam. Quomodo ? Mors per mortem probatur , quia cum homo ſine pœnitentia & ſine miſericordia Dei (quoniam non requirit eam) iuſto Dei iudicio in peccatis moritur , mors enim in morte inferi diſcutitur. Vita quoque probatur per vitam , ita quod bona opera fulgent in cœlis , cum vita æterna dominatur illis. Ita etiam qui in fonte benedictionis baptizantur , in ſanctitate ſanctæ regenerationis probantur. Et cum ibi per inuocationem benedictionis ſacerdotis inuocor , aures meæ verbis fidei patent , quamuis ille , qui ibi me inuocat , in obligationibus peccatorum ſit.

36 Nam quamuis ſacerdos peccator ſit , tamen officium baptiſmi ab eo ſuſcipio, ſi illud per inuocationem nominis mei fideliter exercet. Ipſius autem iniquitas , condemnabit eum, ſi in ea ſine pœnitentia perſeuerauerit. Celebrationem vero baptiſmi non recuſo ab eo ſuſcipere , cum in verbis fidei me inuocauerit.

37 Quid eſt hoc ? Si aliquis diues homo diſpenſatorem habet , qui militibus ſuis bona ſua recte diſpenſans , officium ſuum fideliter exercet , qui & ſi idem diſpenſator de alio opere ſuo culpabilis eſt , tamen dominus ſuus non dedignatur ab eo ſuſcipere officium ſuum , dicens forſitan ei , ſerue nequam in opere tuo : vnde & illum in mente ſua indignum habet , officium tamen iuſtitiæ ſuæ ab eo non dedignans accipere. Sic etiam ego , qui plurimos diſpenſatores habeo , à ſacerdote qui recte vnctus in officio ſuo fideliter manet , quamuis de aliis operibus ſuis culpandus ſit , non dedignor ſuſcipere ſacramentum meum , de aliis tamen iniuſtis actibus ſuis eum mihi contrarium iudicans, nec tamen quod meum eſt, ab eo ſuſcipere contemnens.

38 Quod ſi aliquis baptizandus ſeparationem animæ & corporis ſui adeſſe putans baptiſma quæſierit, nec ſacerdotem à quo baptizetur habere poſsit : tunc ſi quis eum per inuocationem trinæ maieſtatis perfuderit, baptizatus eſt. Et remiſſionem peccatorum ſuorum , gratiamque ſupernæ beatitudinis per hanc perfuſionem accipiet , quia in fide Catholica perfuſus eſt , nec hoc baptiſma mutari poterit: Sed tamen in inuocatione hac nulla perſona iſtarum trium ineffabilium perſonarũ

omittenda est: quoniam si ibi vlla earum per infidelitatem inuocari omittitur, tunc ibi veritas salutem non operatur, sed potius falsitas deceptionem tribuit. Vnde & ibi inuocatio huius ineffabilis trinitatis non deerit: quia & purissimo baptismati filij mei trinitas non defuit, sed ibi mirabilia sua mirabiliter per semetipsam declarauit. Quapropter & homines qui saluari desiderant, regenerationem vitæ ad saluationem percipiant, & hanc percipere non negligant, ne pereant: quia vt abortiuum abiicitur quod perit sine calore vitæ, nec in formatione nec in excitatione adhærens visceribus matris suæ, ita etiam in periculo mortis sine consolatione Spiritus sancti detinentur, qui nec in mente nec in opere sacramentis Ecclesiæ quæ mater totius sanctitatis existit, purificantur. Hoc audiant & intelligant omnes populi, qui regnum Dei in regeneratione spiritus & aquæ intrare volunt, secundum quod eis in sanctis scripturis per donum Spiritus sancti propositum est. Sed qui vigilantibus oculis videt, & attentis auribus audit; hic mysticis verbis meis, quæ de me viuente emanant, oculum amplexionis præbeat.

VISIO QVARTA.

1 ET deinde vidi velut magnam & rotundam turrim, totam integrum & candidum lapidem existentem, tresq; fenestras in summitate sui habentem: ex quibus tantus fulgor resplenduit, vt etiam tectum turris illius, quod se velut in cauum erexerat, in claritate fulgoris illius manifestius conspiceretur. Ipsę autem fenestræ pulcherrimis smaragdis circumornati erant. Sed & illa turris velut in medio dorsi prædictæ muliebris imaginis imposita erat, instar turris alicuius quæ in muro vrbis imponitur, ita quod illa imago præ fortitudine eius nullo modo cadere poterat: Et infantes illos qui ventrem imaginis (vt prædictum est) subierant, vidi multa claritate radiantes, quorum alij in fronte vsque ad pedes ipsorum, velut aureo colore ornati erant, alij vero claritatem tantum habentes, illo colore carebant. Ex ipsis item aliqui purum & lucidum splendorem, alij vero quendam turbidum & rubeum fulgorem ad Orientem vergentem inspiciebant. Sed ex iis qui ipsum purum & lucidum splendorem considerabant, quidam claros oculos & fortes pedes habentes in ventre illius imaginis fortiter incedebant. Alij autem infirmos oculos & debiles pedes habentes, huc & illuc à vento propellebantur. Sed & ipsi baculum manibus tenentes, coram imagine volitbant, ac eam aliquando sed tamen tepide feriebant. Quidam vero serenos oculos sed imbecilles pedes habentes, ante imaginem illam hac & illac in aëre discurrebant. Alij autem infirmos oculos, sed fortes pedes habebant, & tamen coram imagine lente ambulabant. Sed ex iis qui illum turbidum & rubeum fulgorem inspiciebant, alij in præfata imagine bene ornati alacriter incedebant, alij ex ipsa se rapientes, eam impugnabant, & ordinatas constitutiones eius euertebant: de quibus quidam per fructum pœnitentiæ ad ipsam humiliter reuertebantur, quidam vero per contemptum in obdurata elatione mortis remanebant. Et iterum audiui vocem de cœlo mihi dicentem: Sicut noua sponsa agni post illustrationem inundationũ quę orta est in sole iustitiæ, qui mundum sua perfusione sanctificauit, in igneo ardore Spiritus sancti decorata & confirmata ad perfectionem decoris sui est; ita etiam fidelis homo qui regenerationem in spiritu & aqua percipit, per vnctionem superioris doctoris ornari & stabiliri debet, vt in omnibus membris suis ad effectum beatitudinis conformatus plenitudinem fructus summæ iustitiæ proferens, decorem sui ornatus perfecte inueniat.

2 Quapropter turris hæc quam vides, designat flagrationem donorum Spiritus sancti quam misit pater in mundum propter amorem filij sui, incendentem corda discipulorum illius in igneis linguis, vnde robustiores redditi sunt in nomine sanctæ & veræ Trinitatis. Sed quod ipsi ante aduentum eiusdem ignei Spiritus sancti in habitaculo suo clausi sedebant, clausuram corporis ipsorum ostendebant, per quam timidi ad loquendam iustitiam Dei, & imbecilles ad patiendas pœnas aduersariorum erant. Et quia filium meum in carne viderant, ideo clausis interioribus oculis suis illum in carne diligebant; ita quod tunc non videbant apertam doctrinam quam postea in mundum effuderunt, cum in Spiritu sancto robustiores effecti sunt. In cuius aduentu ita confirmati sunt, vt nullam pœnam abhorrerent, quin strenue tolerarent eam. Hæc est enim fortitudo turris huius: per quam ecclesia ita roborata est, quod nulla insania diabolici furoris superari poterit. *Quid sit turris.*

3 Sed quod eam vides magnam & rotundam, totamq; integrum & candidum lapidem existentem: hoc est quod immensa est dulcedo Spiritus sancti, & volubilis in gratia omnes creaturas circuiens: ita quod nulla corruptela in integritate plenitudinis iustitiæ eam euacuat: quoniam ipsa torrens iter habens: omnes riuulos sanctitatis in claritate fortitudinis illius emittit: in qua nunquam maculositas vllius sordis inuenta est, quia ipse Spiritus sanctus est ardens & lucens claritas & quæ ardentes virtutes fortiter accendit & nunquam extinguetur: ac ideo omnes tenebræ ab eo fugantur. *Cur turris sit integer lapis.*

4 Quæ tres fenestras in summitate sui habet, ex quibus tantus fulgor resplendet, vt etiam tectum turris illius quod se velut in cauum erigit in claritate fulgoris illius manifestius conspiciatur: quia ineffabilis trinitas in effusione donorum excellentiæ Spiritus sancti manifestatur: ita quod ex eadem beatissima trinitate tanta claritas iustitiæ per doctrinam Apostolorum emanat, vt etiam exinde fortissima virtus diuinitatis quę incomprehensibilis in altitudine omnipotentiæ maiestatis suæ existit, homini mortali creaturæ apertius innotescat: sed tamen ita quantum fide credentis & fidelis hominis, capi possibile dignoscitur. Vnde ipsæ fenestræ pulcherrimis *Quid tres fenestræ.*

sma-

ſmaragdis circũornatæ ſunt, quoniam ipſa beatiſſima trinitas virentiſſimis virtutibus & ærumnis Apoſtolorũ quæ nunquam ariditatem tepiditatis fidei ſenſiſſe, vbiq; in toto mundo apertiſſime declarata eſt. Quomodo? Quia notum eſt quomodo propter fidẽ veritatis, rapaciſſimi lupi eos diuerſis preſſuris oppreſſerunt, vnde robuſtiores ad bellum certaminis effecti ſunt, ita quod præliando Eccleſiam acquiſierunt, & eam ad ædificationem fidei fortiſſimis virtutibus roborauerunt, & multimodis coruſcationibus virtutum ornauerunt. Et quoniam Eccleſia in inſpiratione Spiritus ſancti per eos ita confirmata eſt, idcirco & ipſa vult & expoſcit vt filii ſui ornentur ſigno Spiritus ſancti in hac vnctione, vt idem Spiritus ſanctus penetrauit corda fidelium in alta miſericordia quæ valde myſtica eſt, ita quod in igneis linguis per voluntatem Dei patris in mundum venit. Quapropter & homo baptiſmate ſaluationis perfuſus, confirmandus eſt vnctione excellentis doctoris, ſicut & Eccleſia ſuper firmam petram firmata eſt.

Turris in dorſo imaginis.

5 Vnde eadem turris velut in medio dorſi prædictæ muliebris imaginis impoſita eſt : inſtar turris quæ in muro vrbis imponitur, ita quod illa imago præ fortitudine eius nullo modo cadere poterat, quia Spiritus ſanctus in maxima fortitudine incarnationis illius qui verus ſponſus Eccleſiæ exiſtit, mirabilia ſua mirabiliter operatus eſt : & Eccleſiam tam fortem in defenſione munitionis ſuæ oſtendit, vt illa ob eam fortitudinem qua ab igneo dono eius munita eſt, nunquam in errore vllius peruerſitatis decidere poſſit: quoniam per ſupernam protectionem in amore ſponſi ſui ſine macula & ſine ruga ſemper gaudebit, quia & idem vnigenitus meus de Spiritu ſancto conceptus, nobiliter ſine macula ex virgine natus eſt, quemadmodum ad Moſen locutus ſum: *Ecce inquit eſt locutus apud me ſtabiſque ſupra petram. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & proteget te dextra mea, donec pertranſeam: tollamq; manum meam, & videbis poſteriora mea.*

6 Quid hoc? Prope eſt miraculum, quod implebitur in voluntate mea. Sed tu prius pugnabis in duritia legalium præceptorum, per exteriorem ſignificationem vim eorum oſtendens vbi dulcedinem & leuitatem non inuenies quę in filio meo aperietur. Et hæc duritia legis quã in præcepto meo ſcribes, tandiu in duritia lapideorũ cordium ſtabit, quouſq; omnis gloria illa manifeſtabitur quæ mihi à te & ab imitatoribus tuis vſque ad manifeſtationem filii mei exhibenda eſt. Cũque hoc adimpletur in lege quã nũc ſcribis, glorificabor, ponamq; te in perforatũ lapidem. Quomodo? Ego ponam te in duritia legis cũ te in præcepto meo ſuper eam conſtituo, te videlicet magiſtrum huius antiquitatis nominans, quam filius perforabit, plus eam quam tu in myſticis verbis exponens, cũ eũ in oportuno tempore in mundũ miſero. Et ideo proteget te fortitudo ipſius, quia ipſe acutiora verba quam tu afferet: & clauſuram in legalibus præceptis aperiet, donec ad me redeat. Quid hoc? Ipſe tandiu ſalutaria verba mundo corporaliter dabit, donec in carne ſua quam de virgine ſumet, mortem corporaliter ſubeat. Tunc & ego tollam manum meam, quia ſuper ſydera eum ad me leuabo, omnia myſteria eius per Spiritum ſanctum denudans: & ſic videbis incarnationem eius, vt cum homo à dorſo cernitur & non ante perſpicitur: quoniam eum incarnatum ſenties, ſed diuinitatem illius non capies, quia filij tui magis eum videbunt cum ad me redierit: quam eum intellexerit cum apud eos viſibiliter conuerſatus fuerit.

Quid infãtes multa claritate.

7 Et quod vides infantes illos qui ventrem imaginis (vt prædictum eſt) ſubierant multa claritate radiantes, hoc eſt quod ij qui in innocentia munditię puri cordis per fontem regenerationis matrem ſcilicet Eccleſiam vt tibi præmonſtratum eſt adepti ſunt, filij lucis propter ablutionem peccatorum ſuorum exiſtunt. Quorum alii à fronte vſque ad pedes velut aureo colere ornati ſunt, quia ab initio bonorum operum vſq; ad finem ſanctitatis per fulgentiſſima dona ſancti Spiritus in vnctione veræ credulitatis per manum pontificis in chriſmate decorantur. Quomodo? Vt præcioſis lapidibus aurum decoratur cui imponuntur, ita & chriſmate per manum ſuperioris doctoris fideliter baptizatus in vnctione baptiſmatis ornatus oſtenditur, quemadmodum ſcriptum eſt.

8 Rex quoq; tranſgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ quæ reſpiciebat ad deſertũ. Quid hoc? Filius virginis qui dominatur vniuerſo mundo, vt terrenus rex reliquo populo tranſgreſſus eſt torrẽtes aquas ſacroſancti lauacri, quod in admonitione Spiritus ſancti forti deſiderio viam ſalutis demonſtrat. Quid hoc? Ipſe reliquit mortẽ tranſiens ad vitã, cum in regeneratione ſpiritus & aquæ id eſt in magno ornamento vrbis cœleſtis Hieruſalem quæ nunquam deficit, ſummam beatitudinẽ annũciauit. Vnde omnis populus qui in illum credebat, inceſſit per inſpirationem Spiritus ſancti per viam illam quæ abſcondita erat in vnctione olei, reſpiciẽtis ad præuaricationẽ Adæ quæ deſerta erat pulchritudine hæreditatis iuſtitiæ Dei: & ad hoc ſpectantis vt Adæ poſteritas ad ſalutem redire vellet, quia vulneratum peccatum primi hominis neceſſe habuit vt per ſacerdotale officium inungeretur: quod filio virginis neceſſe non erat, quoniam ipſe totus in ſanctitate conceptus eſt non vulnerato nec corrupto matris ſuæ vtero, ſed in integritatis honore perſeuerante. Nam quod per vulnera ſuggeſtionis diaboli maceratum & confuſum eſt, hoc per vnctionem olei impinguandũ & ornãdũ eſt: ita quod edax liuor abſtergatur quẽ carnis concupiſcentia operatur.

Quid infantes ſine aureo colore.

9 Alii vero vt videsclaritatẽ tantum habentes aureo illo colore carebant, quoniam ipſi in baptiſmate ablutionis tantum mundati, vnctionem ſuperioris ſui ſacerdotis in chriſmate nõ ſunt adepti: quod ſignũ ardentis Spiritus ſancti eſt. Quid hoc? Vnctio confirmãdi per donum ſancti Spiritus in Epiſcopali officio ſpecialiter fulget, quod populo fideli poſt regenerationẽ ſpiritus & aquæ exercendum eſt, cum credulus homo confirman-

dus est supra firmã petrã. Quomodo? Filius meus baptismа in corpore suo suscepit, ipsum hoc pacto in carne sua sanctificãs, in qua nõ est diuisus, quia ipse solus virginis viuus filius est: ac ideo filius hominis dictus, quoniam illa virgo eum non concepit ex vtero, sed ex integritate virginitatis suæ peperit illum. Qui post passionis miseriam & resurrectionis gloriam in eadem carne cœlum penetrauit ad me rediens, ac deinde Spiritus sanctus in igneo ardore mundum illustrauit, confirmans omnem iustitiam in cordibus discipulorum illius, cũ eis aperuit quod antea abscõditum erat. Quomodo? Sic Spiritus sanctus corda illorum accendit, vt sol cum sub nube incipit apparere: ardentem calorem suum ostendit in sua præclara luce. Quid hoc? Amor filij mei in mentibus eorum latenter ardebat, & ita calor Spiritus sancti eos penetrans fortissimum solem doctrinæ illorum ostendebat, quoniam hoc est testimonium illud quod Spiritus sanctus Ecclesię declarauit, ita quod mors, iustitiæ Dei resistere non valet.

10 Vnde vos ô filij veritatis audite & intelligite confirmationem Spiritus sancti, quam ipse in suaui vnctione magisterij sui qui est magister omnium vnctionum vobis benigne offert. Et ideo hæc vnctio in honore eiusdem Spiritus sancti per superiorem sacerdotem tantum exercenda est, quia omnis Ecclesiasticus ordo in Spiritu sancto institutus est, & propterea hæc vnctio Spiritus sancti est. Quapropter & homo ille qui mysterium regenerationis ad vitam suscepit, si hoc modo non est vnctus, tunc nec ornatum Ecclesiasticæ plenitudinis percepit: secundũ quod Ecclesia per flagrantem Spiritum sanctum ornata ostendit, vt supra monstratum est. Sed & quẽadmodum Ecclesia in donis Sancti spiritus perficitur, sic & fidelis homo confirmandus est in vnctione principalis doctoris, qui in honore Spiritus sancti formidandus magister est, quoniam idem Spiritus sanctus calore suo certissimam doctrinã Christiano populo ardenter profert & accendit.

11 Vnde qui in hac vnctione Sancti spiritus sic vncto ahhæserunt, in sæculari procreatione illi non coniungantur, quia in Spiritu sancto ei copulati sunt. Quod hoc? Fides portat hominem ad hanc vnctionem, & ideo qui illum tunc in manibus tenet fidem designat, quæ carnalia non quærit, sed semper ad spiritualia tendit. Nam oculus meus videt hominem, vt in operibus suis venturus est ad me.

12 Quod si tu ô homo post baptismum me dimittis & ad diabolum reuerteris, inde iusto iudicio condemnaberis, quoniam magnum donum intellectus tibi dedi, & quia misericordiam meam in fonte baptismatis tibi ostendi. Omnes enim qui misericordiam meam in baptismo quærunt, eam benigne inueniunt propter filium meum in mundum venientem & multos labores in corpore suo sustinentem: & propterea ô homo pugnas animæ & corporis tui patienter debes tolerare, & propter filium meum suscipiam te, & nemo repellendus est à lauacro baptismi qui illud in nomine meo fideliter sequitur: quia in quocunque tempore me homo quærit, illum feruenter suscipio. Quod si postea illius opera praua erunt, ipsa eum iudicant ad mortem. Ideo ô homo in regeneratione saluatoris inundare, atque in vnctione sanctitatis inungere, mortemque fuge, & vitam imitare. Nam & mater fidelium quæ Ecclesia est, vt filij sui mortem effugiant, & vitam inueniant, fideliter in ipsis exorat. Quomodo? Ipsa gemebũdam vocem in filijs suis habet, quæ adeo in ipsa posita est, vsq; dũ plenitudo filiorum eius in tabernaculũ supernæ ciuitatis ingrediatur. Et hanc vocem idcirco habet, vt me qui sum ante æuum admoneat semper videre & intueri, quod vnigenitus meus incarnatus est: quatenus propter amorem illius filijs suis parcam, quos ipsa in regeneratione spiritus & aquæ suscepit, quia cœleste regnum non possunt intrare nisi in saluatione.

13 Vnde sic resonat, timete patrem amate filium, & ardete in Spiritu sancto. Quomodo? Hic sonus de me patre per filium meum in Sancto spiritu ei datus est, qui est vox in ipsa resonans quasi tuba in ciuitate. Et alio modo non loquitur, nisi sic in filijs suis. Quapropter & ita fortissimus Deus admonetur per filium suum vt parcat peccatis hominum: quæ propter pœnitentiam sine perditione toleranda sunt, quia ipse filius Dei humanitatem sine peccato assumpsit. Qui non debuit indui polluta carne quæ de semine peccati concepta est, quoniam Deus iustus est, & quia splendor cœlestis regni non tangitur vlla macula sordis. Et quomodo esse posset vt homo qui immensa fœditate maculatus est supernũ regnum intraret, nisi per filium meum sine sorde incarnatũ? qui peccatores suscipit in pœnitentia purgatos. Et quis posset hoc facere nisi Deus? Vnde & Ecclesia ad filios suos conuertitur, & eos materna dilectione fouet.

Cur infãtiũ alii lucidi alii rubei.

14 Sed quod vides quod ex prædictis infantib. alij quendam purũ & lucidũ splendorẽ, alii vero quendam turbidum & rubeum fulgorem ad orientem vergentem inspiciunt, hoc est quod ex filijs Ecclesiæ quos ipsa innocẽtia corruptionis suæ per virtutẽ Dei procreat, quidã puritatẽ spiritualis vitæ in serenissima virtute fulgentem, terrena scilicet conculcantes, propter amorem veri solis attendunt, quidam autẽ carnales facultates quas multa diuersitas vitiorum perturbat habentes, & tamen in recta fide fideliter ardentes, etiã propter supernam retributionem ad æterna suspirãt. Et ex iis qui ipsum purũ & lucidũ splendorẽ considerans quidam claros oculos & fortes pedes habent: ac in ventre imaginis potenter incedunt, quia hi cum cœlestia sectantur in mandata Dei visum iustæ; considerationis & incessum bonæ consumationis ponunt, ita scilicet in intima amplexione maternæ dilectionis ambulantes quod nec in caducis nec in æternis deuotionẽ suæ intentionis muniũt. Alii autẽ infirmos oculos & debiles pedes habent, quoniam nec clarã intentionem nec fortem exhibitionem ad opus perfectionis tenent, vnde & huc & illuc à vento proiiciuntur, quia in diuersitatem morum per varias tentationes elationis funduntur.

Sed

Sed & ipſi baculum in manibus ſuis tenent, & coram imagine volitant, ac eam aliquando ſed tamen tepide ferunt; quoniam contumacem fiduciam in operibus ſuis ponentes, Eccleſiæ Dei falſo rumore ſe oſtendunt, ac eam interdum ſed tamen inſipienter per ſæcularem prudentiam notant: quia cum per fictam ſimulationem ſapientes apparent in conſpectu hominum, ſtulti apud Deum per inanem gloriam efficiuntur. Quidam vero ſerenos oculos ſed imbecilles pedes habentes, ante illam imaginem hac & illac in aëre vagantur, quia cum ipſis diuina præcepta per intuitum conſiderationis nota ſint, in pede tamen completionis claudicantes, ſic ſponſæ Chriſti per diſcurſum propriæ inſtabilitatis demonſtrantur, vt in vmbra ſapientiam quærentes, eamq; in poteſtate ſua ſe habere putantes antequam eos in mente ipſorum contingat, & vllam vim illius obtineant. Alij autem infirmos oculos ſed fortes pedes habent, & tamen coram eadem imagine debiliter ambulant, quoniam ipſi debilem intentionem ad opus bonum tenent, cum fortiter in operibus iuſtitiæ incedere deberent: ſed in Eccleſiaſticis inſtitutionibus ſimpliciter non currunt, quia magis ad terrena quam ad cœleſtia mentem figunt: & ideo apud Deum ſtulti ſunt, quoniam per ſæcularem prudentiam comprehendere volunt quod aſſequi non poſſunt. Sed ex iis quæ illum turbidum & rubeum fulgorem inſpiciunt, alij in præfata imagine bene ornati fortiter incedunt: quia iſta quamuis terrena poſſideant, tamen in viſceribus Eccleſiæ ornatum laborum ſuorum portantes, in diuina lege pedem rectitudinis ponere non dedignantur, cum mandatis Dei obedientes peregrinos ſuſcipiunt, nudos veſtiunt, & eſurientes alunt. O quam fœlices iſti ſunt, quoniam hoc modo Deum ſuſcipiunt, vnde & ipſe habitat cum illis. Alij autem ex ipſa imagine ſe rapientes eam impugnant, & conſtitutas ordinationes eius opprimunt; quoniam hi, materna viſcera & dulcia nutrimenta Eccleſiæ deſerentes, illam variis erroribus fatigant: & ideo conſtitutas leges eius diuerſis oppreſſionibus dilaniant: de quibus quidam per fructum primæ ad ipſam humiliter reuertuntur, quia quod grauiter deliquerunt, digne pœnitendo propter reſtaurationem vitæ grauiter in ſe puniunt: quidam vero per contemptum obdurationis in elatione mortis remanent: quoniam ipſi vitam negligentes, obdurato corde propter contumacem & impœnitentem vecordiam iudicium mortis ſuſcipiunt, vt in myſtica viſione ſua Ezechiel dicit: *Rex lugebit, & princeps induetur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis, & ſecundum iudicia eorum iudicabo eos, & ſcient quia ego Dominus.*

15 Quid hoc? Anima, in qua regalis rationalitas eſt, cum delectationem peccati adeſſe ſentit, quia malum nouit, tunc lugubrem aſſenſum aſſumit. Quomodo? Quia illi rationalitas, ſapientia & ſcientia à Deo inſpirata eſt, & ideo quamuis corpori conſentiat, tamen indignum habet malum, ſentiens hoc non eſſe bonum. Vnde cum diuerſis criminibus per operantem carnem polluitur, alta ſuſpiria trahens, anhelat ad Deum. Cumq; criminoſum opus ibi cum ſpiritu ſuperbiæ impletum fuerit, tunc corpus velut ignominioſus princeps induetur confuſione, principatum ſuum in munditiis videlicet exercens; quoniam vt homo dolet cum vilibus veſtimentis operitur, ita etiam mœret, cum infamiæ rumor ad confuſionem ſui ab ipſo procedit. Quapropter & praua opera illorum hominum qui in malis actibus ſuis ad terram proſtrati ſunt à cœleſtibus præceptis, conturbabuntur: quia veſtimenta ſalutis, id eſt, beatitudinem cum Deo non habet; quoniam quibus hæc fœlicitas deeſt, hos maligna conturbatio poſſidebit. Et ideo ſecundū viam iniquitatis cui ſemper aſſiſtūt, ſcilicet peccati viam colentes, nec vllam iuſtitiam cum à Spiritu ſancto mouentur in itinere cordis ſui ponentes, ſic faciam eis nullam ſcilicet miſericordiam eis impendens: quia cum ſcientiam boni non intelligunt, non timent me: ſed cum rabie peruerſitatis me creatorem omnium faſtidiunt, facientes quæcunque volunt. Vnde & ſecundum iudicia eorum quæ ſunt opera illa quæ in deſideriis ſuis perpetrant, iudicabo eos; nulla præmia fœlicitatis eis reddens, ſed pœnas in perditione eis opponens, quoniam nullum honorem mihi exhibent, & in hoc ſcient quod nullus eos inde liberare poterit præter me, qui Dominus omnium ſum. Sed qui vigilantibus oculis videt, & attentis auribus audit; hic myſticis verbis meis, quæ de me viuente emanant, oſculum amplexionis præbeat.

VISIO QVINTA.

1 POST hæc vidi quod prædictam muliebrem imaginem quidam ſplendor albus vt nix, & tanquam cryſtallus perlucidus, à vertice vſque ad guttur eius circumfulſerat. Sed à gutture vſque ad vmbilicum eius quidam alius ſplendor rubei coloris eam circumdederat, qui de gutture vſque ad vbera eius velut aurora rutilabat: ſed ab vberibus vſque ad vmbilicum illius quaſi purpura hyacintho intermixta fulgebat. Et vbi ipſe velut aurora rutilabat, claritatem ſuam ſurſum ad ſecreta cœli extendit, in qua pulcherrima & puellaris imago nudo capite & ſubnigris capillis & rubea tunica, quæ circa pedes eius diffluebat, induta apparuit. Et audiui vocem de cœlo dicentem: Hæc eſt floriditas in ſuperna Sion: mater & flos roſarum & lilium conuallium. O floriditas, filio potentiſſimi regis deſponſaberis, cui & nominatiſſimam prolem gignes, cum in tempore tuo confortaberis. Et circa eandem puellam vidi maximam turbam hominum lucidiorem ſole ſtantem, qui omnes miro modo auro & gemmis ornati erant; & quidam illorum in capitibus ſuis velati candidis velaminibus aurea zona circumornati fuerunt: ſupra quorum vertices ſimilitudo ineffabilis trinitatis quemadmodum mihi ſuperius typice demonſtrata eſt, quaſi in ſphæra in ipſis velaminibus velut ſculpta apparuit: & in frontibus ipſorum agnus Dei, ac in collo eorum ſpecies hominis, & in dextra aute Cherubin, & in ſiniſtra alia ſpecies angelica:

ita quod & de ipsa similitudine gloriæ supernæ trinitatis ad has species quasi aureus radius se extenderet. Sed inter hos quidam alij apparuerunt, qui infulas in capitibus suis & palliaEpiscopalis officij circa humeros habebant. Et iterum audiui vocem ex alto dicentem: Istæ sunt filiæ Sion, & cum eis sunt citharæ citharœdorum, & omne genus musicorum, ac vox totius lætitiæ & gaudium gaudiorum. Sed sub eodem splendore vbi ipse velut aurora rutilabat, vidi inter cœlum & terram densissimas tenebras apparere, quæ tanti horroris erant, vt humana lingua effari non possit. Et rursum audiui vocem de cœlo dicentem: Si filius Dei in cruce passus non esset, istæ tenebræ nullo modo permitterent hominem ad supernam claritatem peruenire. Vbi autem idem splendor quasi purpura hyacintho intermixta fulgebat, fortiter prædictam muliebrem imaginem constringens ardebat. Sed alius splendor vt candida nubes eandem imaginem ab vmbilico deorsum, vltra tamen nondum excrescens honeste circumdederat. Et hi tres splendores circa ipsam imaginem se late diffundentes, plurimos gradus & scalas in ea bene & decenter ordinatas ostendebant. Sed cum hæc viderem, ex nimio tremore qui me apprehenderat, in terram dissolutis viribus corrui, nec alicui responsum dare valui. Et ecce maximus splendor velut manus tetigit me, vnde vires & vocem recepi. Et iterum audiui vocem ex illo mihi dicentem: Magna mysteria sunt hæc, considera enim solem & lunam & stellas. Ego formaui solem vt luceat in die: & lunam & stellas vt luceant in nocte. Sol autem significat filium meum, qui de corde meo exiuit & mundum illuminauit, cum natus est ex virgine in fine temporum: sicut & sol egrediens mundum illustrat, cum oritur circa finem noctis. Sed luna Ecclesiam eidem filio meo in vera & superna desponsatione desponsatam designat. Et vt luna semper incrementum & defectum in sua constitutione habet, sed à seipsa non ardet, nisi quod à lumine solis incenditur; sic & Ecclesia in circuitione motionis est: ita quod filij eius sæpe proficiunt in incremento virtutum, & quod sæpe deficiunt in diuersitate morum, atque in dispersione aduersitatum: ita quod sæpenumero in mysteriis suis per rapacissimos lupos impugnatur fidelis per malignos homines tam Christianos quam Iudæos & alios infideles: & in hoc per semetipsum ad tolerantiam non accenditur, sed in me per filium meum vt in bono perseueret, illuminatur. Stellæ autem à se differentes in claritate fulgoris sui, significant populos diuersi ordinis Ecclesiasticæ religionis.

Quid splẽdor à vertice.

2 Vnde etiam vides, quod præuisam muliebrem imaginem quidam splendor albus vt nix & tanquam crystallus perlucidus, à vertice vsque ad guttur eius circumfulget; quia Ecclesiam fidelium incorruptam sponsam filij Dei circundat apostolica doctrina, quæ candidissimam incarnationem illius annunciauit: qui de cœlo in vterum virginis descendit, & qui fortissimum ac lucidissimum speculum omnium credentium est: ita quod eandem Ecclesiam ipsa doctrina ab hoc initio cum primum ædificari cœpit, vsque ad tempus cum cibum vitæ fortiter deglutire valuit, splendidissime eam circumfulgens fideliter circumdedit. Quomodo? Apostolica doctrina circumfulsit Ecclesiam in capite, cum Apostoli primum illam sua prædicatione cœperunt ædificare: scilicet cum per diuersa loca discurrentes colligerent operarios qui illam in Catholica fide roborarent, & qui ipsi Presbyteros & Episcopos ac omnem Ecclesiasticum ordinem prouiderent, atque iura virorum ac mulierum qui sub coniugio sunt, & reliqua talia fideliter constituerent. Quapropter eandem doctrinam subsequuntur pigmentarij habentes similitudinem sacerdotum legalis testimonij, qui sub lege circumcisionis positi erant interiori cibo enutrire populos, vnde etiam Apostoli ordines illos eligebant cum quibus Ecclesiam superna inspiratione exornabant. Quid hoc? Nam sequaces eorum in vice ipsorum saluberrima pigmenta gestantes, fideliter plateas & villas & ciuitates atque alia loca regionum & terrarum pertranseunt, & populo diuinam legem annunciant. Ipsi enim sunt exquisiti patres & dispensatores ad Ecclesiasticam disciplinam omni populo in doctrina sua proferendam, & ad cibum vitæ ei dispensandum: ita quod etiam se tales in vita sua exhibeant, ne oues meæ in operibus eorum offendantur, sed vt recte post ipsos gradiantur: quia ipsi hoc officium habent vt aperte cibum vitæ populo subministrent, & vt vnicuique fidelia officia discrete ordinent, semetipsos etiam ita constringentes, ne carnalem copulam appetant: quoniam spiritualem escam credentibus præbere & immaculatum sacrificium Deo offerre debent, vt in innocente Abel præfigurabatur; quemadmodum, de ipso scriptum est: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.*

3 Quid hoc? In ortu surgentis sæculi sanctificatio regalis ostensionis in illo qui innocẽs in vita sua erat, effulsit; quod donum omnipotentis Dei, non terram sed cœlum fortiter tetigit. Quomodo? Quia Abel in sua integritate obtulit Deo intentionem voluntatis suæ & plenum officium eiusdem voluntatis, cum cogitauit in corde suo illi offerre primum germen quod in substantia sua habuit, & cum illud etiam perfecto opere compleuit: ita & fidelis summum patrem honorans eique debitam reuerentiam exhibens. Vnde etiam sicut Abel gregi suo præfuit, & vt eum pasceret, custodiuit, & vt etiam simplici deuotione Deo obtulit de primis emissionibus eius, ac de pinguibus nutrimentis earundem emissionum; ita etiam prædicti pigmentarij qui filiis Ecclesiæ, id est ouibus Christi ipsius dispẽsatione ad pascendum eos prælati sunt, ipsos in verbis doctrinæ Ecclesiasticæ disciplinæ fideliter nutriant, & eos ab insidiis antiqui insidiatoris fortiter muniant, ac etiam syncera consideratione inspectori omnium aliquas donationes ex eis offerant. Quomodo? Quoniam si illos per omnia perfectos facere non possunt, tamen aliquem fructum ex ipsis egredientem Deo offerat: primum scilicet rectam intentionem bonæ voluntatis eorum quasi simplex germen de primogenitis

gre

gregis ipsorum, ac deinde perfectum opus operationis in eadem voluntate illorum velut suauem fructum de adipibus eorum. Sed vnde hoc fuit, quod Abel Deum tam deuote coluit? Fidelis castitas integritatis, eum ad tantam deuotionem impulerat.

4 Quapropter qui in consecratione constituti, Deo sacrosanctum sacrificium offerre debent, in suauitate castitatis ad altare ipsius accedant: quia si ipsi authores corruptionis sunt, quomodo in corruptione vulneratis manum salutaris medicamenti porrigere possunt? Et ideo vt aliis tanto fiducialius salutare remedium cõferre valeant: volo vt filium meum in amore castitatis viriliter imitentur. Quod si ceciderint, festinent vt citius per pœnitentiam surgant: & in hoc ignominiam peccati velut nudi fugiant, salubrem medicinam requirentes, & Abel cuius sacrificium Deo acceptum erat, fideliter sequentes.

5 Sed qui ex iis in clausura subiectionis in amore filij mei se continent, & in moribus suis institutionem prauorum quam me inspirante proferunt, obseruant, solicitudinem curationis pigmentariorum non habentes; tamen quamuis onera anxietatis eorum non gerant: quoniam propter æterna præmia maioribus suis subiecti sunt, cum eisdem pigmentariis supernam mercedem in electa ciuitate sibimet acquirunt.

Quid splẽdor à gutture.

6 Quod autem vides, quoniam à gutture vsque ad vmbilicum ipsius imaginis quidam alius splendor rubei coloris eum circundat; hoc est quia post doctrinam Apostolorum cum Ecclesia ita roborata est, quod salutarem cibum veraciter valuit discernere, & eum ad interiora fortitudinis suæ trãsmittere, surrexit nobilissima perfectio Ecclesiasticæ religionis, quæ supernam dulcedinem flagranti ardore degustauit; & se asperrime constringens ad coctionem secretioris fortitudinis se tetendit: non tamen ad diuisionem carnalis amaritudinis perueniens, quoniam copulam humanæ coniunctionis abiecit. Quomodo? Nam idem splendor de gutture vsque ad vbera illius velut aurora rutilat; quoniam illa perfectio à gustu mirabilis vegetationis, ad dulcissima nutrimenta Ecclesiasticæ religionis in virginea iocunditate se dilatauit: ita quod etiam ab vberibus vsque ab vmbilicum illius quasi purpura hyacintho intermixta fulget, quia à nobilissimis educationibus ad constrictionem intimæ castitatis se muniunt passione videlicet filij mei, propter supernam dilectionem quam in corde suo fideliter habuit, imitando. Quapropter & vbi ipse velut aurora rutilat, claritatem suam sursum ad secreta cœli extendit; quoniam illa perfectio quæ in virginitatis honore floret, virtutem suam non deorsum ad terrena, sed sursum ad illa quæ sunt in cœlestibus, mirabiliter dirigit.

Quid puellaris imago.

7 In qua pulcherrima & puellaris imago nudo capite & subnigris capillis apparet; quæ est serenissima & ab omni fœditate humanæ cõcupiscentiæ innocens virginitas, nudam mentem ab omni vinculo corruptionis habens, sed tamen nondum perfecte fatigationem tenebrescentium cogitationum in filiis suis quamdiu in hoc mundo sunt deferere valens, cui tamen vt resistat, fortiter se opponit. Vnde & rubra tunica quæ circa pedes eius diffluit, induitur; quia per sudorem laboris in virtuosis operibus vsque ad finem latæ perfectionis perseuerat, scilicet circundata varietate virtutum, illum imitans qui plenitudo sanctitatis est. Quæ etiam vt tibi in secreto superni luminis ostenditur, est nobilissimum germen in cœlesti Hierusalem: videlicet gloria & decus illorũ qui ob amorem virginitatis sanguinem suum fuderunt, & qui etiam in candore humilitatis virginitatem suam pro Christo obseruantes, in suauitate pacis quieuerunt: quoniam ipsa filio omnipotentis Dei qui rex cunctorum est desponsata, nobilissimam prolem, id est elegantissimum chorum virginum ei protulit, cum in pace Ecclesiæ proficiens confortata est.

Quid tuba lucidior sole.

8 Quod autem circa eandem puellam vides maximam turbam hominũ lucidiorem sole stantem, qui omnes miro modo auro & gemmis ornati sunt; hoc est quod ardentissimis amplexibus nobilissimam virginitatem prẽcipuus chorus virginũ cõplectitur, qui omnes ardentiori claritate coram Deo fulgent quam sol in terra appareat: quia seipsos conculcantes, mortem viriliter deuicerunt: vnde etiã mirabiliter in summa sapientia propter clarissima opera quæ pro Christo humiliter gesserunt, decentissime exornantur. Quapropter & quidam illorum in capitibus suis velati candidis velaminibus aurea zona circumornati sunt; quia ipsi in gloria virginitatis fulgentes, demonstrant quod ij qui decus virginitatis appetunt, mentes suas ab omni noxio calore circumtegant, & candorem innocentiæ pulcherrimo fulgore castitatis decorati fideliter apprehendant. Supra quorum virtutes similitudo ineffabilis trinitatis: veluti tibi superius typice demonstrata est, quasi in sphæra in ipsis velaminibus sculpta apparet: quoniam ostendunt quod intentiones hominum honorem supernæ & gloriosæ trinitatis (vt tibi in ostensione mysterij verisime præsignatum est) in comprehensione amoris & stabilitate castitatis firmiter & strenue teneant. Quod & in frontibus ipsorum agnus Dei, ac in collo eorum species hominis, & in dextera aure Cherubin, & in sinistra alia species angelica, declarat: quia in reuerentia castitatis suæ mansuetudinẽ filij Dei imitabuntur, petulantiam superbi colli deponentes, & seipsos fragiles homines considerantes, in prosperitate etiam auditionis suæ veram & indeficientem scientiam amplectentes, ac in occursante aduersitate eiusdem auscultationis suæ angelica præsidia appetentes: ita quod & de ipsa similitudine gloriæ supernæ trinitatis ad has species quasi aureus radius se extendit, quoniam ineffabilis trinitas infidelibus hominibus qui virtutes quærunt & diabolicas seductiones fugiunt, mirabilia miraculorum profundæ sapientiæ suæ operari non desinit. Sed inter hos quidam alij apparent, qui infulas in capitibus suis & pallia Episcopalis officij circa humeros habent; quoniam inter illos qui in virginitatis honore florent, etiam quidam in superna ciuitate consistunt, qui dignitatem antiquorum patrum

& glo-

& gloriam superioris magisterij in sæculo strenue gerentes decorem tamen virginitatis non perdiderunt. Vnde etiam vt audis omnes isti qui cum suspiriis suis pro cœlesti amore integritatem suam cõseruauerunt, in cęlesti habitatione filiæ Sion dicuntur; quia filium meum virginitatis florem, in virginitatis amore imitati sunt. Ideoq; & cum eis sunt resonantiæ sonorum spiritualium & inuocationes omnigenarum melodiarum & agilitatis ornamenta prosperarum mentium, & aurea visio fulgentium lapidum ac gemmarum. Quomodo? Quia hoc habent de filio Dei quod de throno sonus exit, cui omnis chorus virginum in maximo desiderio concinit, videlicet nouum cantum symphonizando; vt Ioannes dilectus virgo testatur dicens: *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem & ante quatuor animalia & seniores.*

Quid cant i⁹ virginũ ante Dei thronum

9 Quid hoc? In illis fidelibus qui bona intentione castitatem amplectentes, virginitatem suam pro Dei amore illibatam conseruant, bona voluntas ipsorum in laudem creatoris sui mirabiliter erumpit. Quomodo? Quia in aurora virginitatis quæ filio Dei semper adhæret, fortissima laus abscondita est, cui nullum terrenum officium, nec vlla ligatura legis resistere valent, quin in voce exultationis ad gloriam Dei cœleste carmen decantet. Quomodo? Videlicet quoniam velox iter habens, canticum illud in nouitate libertatis mirabiliter promit, quod antequam vnigenitus Dei (qui verus flos virginitatis est) incarnatus de mundo ad cœlos rediens, ad dextram patris resedit, auditum non est: sed tunc quasi noui mores qui prius visi non sunt, cum videntur, in stupore habentur: ita hoc nouum mysterium quod prius auditum non est, tunc in cœlestibus resonans in honore virginitatis cognitum est ante scilicet maiestatem Dei, quia Deus hoc facere potuit, & ante quatuor rotas quæ quatuor partes mundi percurrentes veritatẽ omnis iustitiæ & humanitatis Saluatoris velut animalia in noua lege ferebãt; & ante illos antiquos qui Spiritu sancto imbuti viam rectitudinis in vetere lege hominibus, suo itinere demonstrabant. Quid hoc? Quia Deus in noua gratia austeritatẽ antiquæ institutionis deliniuit.

10 Sed quia virginitas tam glorioſa ante Deum est, ideo quia eam ex voluntate sua Deo obtulerunt, eam prudenter conseruent: quoniam hoc sanctum propositum cum summa deuotione virginitatis susceptum, fideliter custodiendum est. Vnde etiam qui idem sacramentum adierunt, caueant ne retrorsum incedant. Nam ipsi charissimi imitatores filij mei sunt, cum se ita Deo offerunt, vt non sint ligati in opinione coniugij, nec onerati sæculari causa, carnalem copulam respuentes: ne illi cum omni solicitudine carnis suæ subiecti sint, sed hoc cupientes vt glorioſæ innocentiæ innocentis agni adhæreant. Quapropter vir ille, qui in animo suo deliberat, vt nullam coitam sibi copulet, sed hoc desiderat vt in pudore virginitatis propter amorem filij mei perseueret, sodalitatem eius accipiet, si tamen in operibus ipsius castitatis perseuerauerit, quia hæc sancta munera, in voto sacratissimi pacti Ecclesiasticæ religionis ob gloriam supernæ remunerationis eidem filio meo obtulit. Sed si ille postea idem pactum relinquens propter turpem stimulum carnis suæ adulterium perpetret, libertatem suam in seruitutem redegit: quoniam honorem colli sui vbi filium meum pudice imitari debuit, per turpitudinem delectationis suæ nequiter corrupit: & quia mendacium protulit, vouens se caste viuere quod non impleuit. Vnde etiam si in culpa temeritatis suæ perseuerauerit, districtum iudicium iustissimi iudicis inde sustinebit, quoniam nec turpitudo nec mendacium in cœlesti gloria apparebit.

11 Quod si amaro fletu ante finem suum de hoc reatu suo pœnitentiam fecerit, tunc vnda sanguinis filij mei illum suscipit, quia culpam suam exhorruit: non autem ipsum inter sodales suos qui gloria integritatis florent, reponit; quoniam societatem illorum deserens libertatem pacti sui abiecit, & eam in seruitutem peccati redegit. Sed & puella quæ ex voluntate sua in sanctissima desponsatione filio meo offertur, ab eodem decentissime suscipitur, qui eam hoc modo sibi coniunctam vult habere in consortio suo. Quomodo? Vt illum casta dilectione amplectatur, sicut & ipse eam in secreto suo diligit: quoniam illi semper amabilis est, quia magis eum quam terrenum sponsum quærit. Quod si pactum eius postea transgressa fuerit, tunc coram iis qui in cœlesti gaudio sunt, polluta erit Vnde etiam si in eadem temeritate perseuerauerit, superna gloria iusto iudicio carebit. Sed si pœnituerit, suscipitur sicut ancilla & non sicut domina, quoniam regalem desponsationem deseruit, & quia magis alium amauit quam illum quem amare debuit. Ille quoque qui eam seducendo violauit, si culpam suam emendare voluerit, ita pœniteat quasi cœlum rupisset, ne in perditionem mortis corruat, quia supernam desponsationem temere corrupit.

12 Quod est hoc? Nam si aliquis magnus princeps sponsam sibi valde caram habet, quam seruus seruorum suorum adulterando corrumpit: quid dominus ille facit? Vere in maxima ira lictores suos mittit, vt illum perdant: quoniam eum in propriis visceribus confudit. Quod si tunc seruus ille timens, omnes missos illos orat, vt pro ipso intercedant, & insuper ad pedes domini sui flebiliter procumbit, vt sibi parcat: tunc rex ille propter bonitatem suam, & propter petitionem illorum eum viuere sinens, societatem conseruorum suorum illi reddit: sed tamen eum ita vt cæteros inferiores & familiares amicos suos non remunerat: quamuis ei inter alios illi consimiles conseruos ipsius debitam gratiam exhibeat. Ita & huic erit, qui æterni regis sponsam seducendo violauerit. Summus enim rex in rectissimo zelo iudicia sua exercens, illum ad perditionem transmittit, qui eum in hoc facto quasi illusor in obliuione mentis suæ habuit. Sed si miser ille diem huius indignationis anticipans electos Dei suppliciter orauerit, vt veniam sibi à Domino suo obtineant, & insuper humanitatem Saluatoris sui flebiliter inspexerit, quatenus per gratiam ipsius à peccato suo absoluatur, tunc rex sanguinem hunc qui pro redemptione hu-

ne humani generis effusus est, & dilectionem supernorum ciuium attendens, illum à reatu suo & à diabolica potestate ne in perditionem eat, eripit; ac eum in saluationem beatarum animarum reponit: sed tamen tripudium regalis desponsationis, quo cæteri amici Dei his sacris virginibus quæ filio meo superna dispensatione dicatæ sunt, congaudent, non decorabit: & tanquam illum qui pudorem virginitatis amisit, decore virginitatis non coronabit: quamuis ei inter alios electos suos gaudium in superna ciuitate cum inæstimabili remuneratione tribuatur.

Quid densissima tenebræ.

13 Sed quod sub eodem splendore vbi ipse velut aurora rutilat, vides inter cœlum & terram densissimas tenebras apparere, quę tanti horroris sunt vltra quam etiam humana lingua effari possit, hoc est quod sub virginali gloria inter spiritualem & carnalem intellectum, casus primi parentis qui densissimus in obfuscatione infidelitatis erat, ita vt terrorem illius nullus hominum explicare valeret, aperte cognitus est. Quomodo? Quia in incarnatione filij Dei, qui ex virgine natus est, cœleste desiderium ascendit, & terrena concupiscentia exclusa est: quoniam præuaricatio Adæ per sanguinem eiusdem filij Dei mirabiliter in saluatione restaurata est: cum prius illam nullus nisi vnigenitus Dei à patre missus in mundum dissoluere ad supernum ingressum posset. Vnde vt audis in typica manifestatione, nisi idem filius Dei sanguinem suum pro salute hominum fudisset, illa transgressio ita comprimeret hominem, vt ad gaudium supernorum ciuium pertingere non posset.

14 Quod autem vbi idem splendor quasi purpura hyacintho intermixta fulget, fortiter prædictam muliebrem imaginem constringens ardet, hoc designat perfectionem illorum qui passionem filij mei in charitatis ardore imitantes, strenue Ecclesiam in constrictione sua exornant. Quomodo? Quoniam ipsi sunt alta ædificatio surgentis thesauri in diuino consilio, quia cum Ecclesia iam roborata conualuit, egressus est ad decorem illius viuens odor, vouens iter secretæ regenerationis. Quid est hoc? Quia tunc surrexit, mirabilis ordo qui filium meum in specie exempli eius tetigit: quoniam, vt filius meus venit in mundum de communi populo abscissus: ita & hæc acies conuersatur in sęculo de reliquo populo separata, fragrans vt balsamum de arbore suauiter fudat: sic & populus iste primum in eremo & in abscondito singulariter exortus est, & deinde veluti arbor, ramos suos expandit, paulatim in multitudine plenitudinis proficiens. Et populum istum benedixi & sanctificaui, quoniam ipsi mihi sunt amantissimi flores rosarum, & liliorum, qui sine humano opere in agro germinant: sic & populum hunc nulla lex ad hoc constringit vt eam arctam viam appetat, sed ipse illam me suauiter inspirante sine præcepto legis sua voluntate aggreditur, plus quam sibi iussum sit efficiens. Vnde & plurimum mercedis inde acquirit, sicut & in Euangelio vbi Samaritanus illum vulneratum hominem in stabulum induxit, quemadmodum scriptum est: *Altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.*

15 Quid hoc? In prima die salutis, videlicet cum filius Dei mirabiliter incarnatus corporaliter in mundo manebat, multa & admiranda opera in humanitate sua vsque ad resurrectionem suam perfecit, per quæ vulneratum hominem ad vera remedia salubriter reduxit. Sed altera die idem cum omnia mysteria veritatis post resurrectionem suam in Ecclesia aperte posita sunt, protulit in typica manifestatione nouum & vetus testamentum æternæ vitæ certissimam demonstrationem, & credenti populo dulcissimum cibum. Et hæc scripta dedit per gratiam suam pastoribus Ecclesiæ qui gregem eius custodiunt, & ait illis in verbis blandæ admonitionis suæ: In ecclesiasticis constitutionibus procurate Christianam cohortem, quam in sanguine meo redemptam vobis commisi: hoc habentes in solicitudine vestra, ne in aliquibus quæ pertinent ad vitam deficiens erret. Quodcunque autem quæ vobis seruanda tradidi, in bona voluntate vestra superaddideritis, plus scilicet facientes quam vobis præceptum sit, ego qui ductor & saluator vester sum, nunc mundum relinquens, & ad patrem ascendens, cum iterum rediero mundum iudicare, eumq; in indeficientem stabilitatem ponere, ita quod amplius per labentia tempora non debilitetur, tunc mercedem laborum vestrorum, & bonæ voluntatis vestræ, cum augmentato fructu reddam vobis. Et dicam, ô fidelis & probe serue, qui fideliter ministras: Quisquis plus voti sui addit quam sibi in lege præceptum sit, duplicem mercedem accipiet quia illum in nomine meo glorioſum habeo, quoniam me multum dilexit.

16 Et ego dico: Nec virgineum genus, nec hic ordo singularis deuotionis, nec qui eos imitantur vt ij qui in eremo iacent, sunt in præcepto legis: sicut & Prophetæ, ab hominibus sub carnali lege constituti non sunt: quia tantum mea inspiratione incedentes viuunt & hi plus addunt quam eis præceptum sit: quod sacerdotalis ordo & reliqua institutio sacerdotalis officij non facit, quia hæc in Abraham & in Mose in veteri testamento iussa sunt: sicut etiam & Apostoli illa ex eadem lege tollentes, & in Spiritu sancto ea secundum voluntatem meam bene ordinantes, Ecclesię conseruanda tradiderunt. Sed & ipsa apostolica doctrina in Euangelio per filium meum disposita est, vbi discipuli eius in vniuersum mundum verba veritatis effundere missi sunt. Quid tunc? Nam cum Apostoli viam salutis populo annunciarent, lucidissima aurora filiarum Sion in amore filij mei exorta est, illorum scilicet qui carnem suam fortiter constrinxerunt, & malam concupiscentiam in semetipsis duriter mortificauerunt. Et sicut tunc hæc casta virginitas in ardęte amore filium meum subsecuta est, ita etiam hic mihi valde amabilis ordo singularis deuotionis, incarnationem illius imitatus est, qui sunt recta templa mea, videlicet vt chori Angelorum me colentes, & eiusdem vnigeniti mei passionem & mortem ac sepulturam in

corpore suo portantes: non tamē ita vt gladio aut aliis terroribus ex quibus homines deficiunt moriantur, sed filium meum sic imitantes, vt voluntatem carnis suæ abiiciant, cum se ab omnibus sæcularibus rebus & ornamentis in quibus mundus lætatur abdicant, vt in Euangelio de Ioanne lucerna mundi scriptum est: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.*

17 Quid est hoc? Ille in quo diuina gratia mirabilem abstinentiam suscitauerat, per eandem gratiam habebat, defensionem virtutis huius, quod in mente sua honorem & diuitias sæculares contempserat, & quod etiam per constrictionē quam in mortificatione vitiorum circa voluptatem carnis suæ posuerat, petulantes motus corporis sui fortiter domuerat, cum maiores ædificationes quam prædecessores sui instituerat, videlicet cum per duras & asperas vias incedens terrenas concupiscentias conculcaret. Quomodo? Quia plurima opera virtutum strenue faciens, castitatem ardenter amauit, præbens etiam iis viam medicamenti qui illud deuote exquirebant. Vnde etiam illi qui sunt viuens odor, vouens iter secretæ regenerationis, eundem Ioannem in maximis tenebris sæculi lucentem, per acutissimas operationes beatarum virtutum in vita sua subsequentes, ineptam altitudinem & latitudinem mundialium rerum fugiant, & in constrictione diffusi animi sui corpus suum coërcentes malam concupiscentiam abiiciant, ita excellentioribus instrumentis quam qui ante ipsos simpliciter in via Domini gradientes, simplicia habitacula faciebant: serenissime fulgentes, acutam & angustam semitam arripiant ea scilicet quæ in voluptatibus sæculi sunt fortiter sub pedibus suis conculcantes. Quomodo? Quoniam seipsos despicientes, & corpus suum seruituti Christi in operatione virtutum subiicientes, petulantiam in austeritate morum suorum declinent, sic per bona exempla sua cæteris hominibus lucidissime fulgentes. Nam etiam angelicū chorum fideliter imitantur. Quomodo? In abiectione sæcularium, quoniam vt Angeli nec terrena quærunt nec concupiscunt, ita & isti eos hoc modo mirabiliter subsequuntur, ita quod omnia caduca contemnunt.

18 Vnde etiam sicut filius meus est nuncius salutiferorum sacramentorum, & Sacerdos Sacerdotum, ac Propheta Prophetarum, & ædificator fœlicium turrium; ita etiam si necessitas ingruerit, qui inter huiusmodi homines radicem odoris cum vtilitate habet, sit nuncius & Sacerdos, sit Propheta & consiliator Ecclesiasticę ædificationis: nec omnino ab his separandus est, si tantum oculus claritatis in eo lucet, nec ad vsum Ecclesiasticum dormiat, sed ad instructionem eius vigilet, occupationem tantum sæcularis causæ, & contagia sæcularium rerum abiiciens: quia nec Angeli, nec Sacerdotes, nec Prophetæ iustitiam Dei occultabunt, sed eam ex præcepto illius in veritate proferent, quemadmodum de Ioanne qui arundo vento agitata non fuit: cuius austeritatem isti subsequuntur, in quorum similitudine in Euangelio iterum scriptum est: *Et egrediebatur ad illum omnis Iudææ regio, & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.*

19 Quid est hoc? In suspiriis & gemitibus à delectatione vitiorum egrediebantur ad illum: in quo diuina gratia operabatur tota simplicis confessionis deuota voluntas & visionis pacis vnanimiter omnis effectus illorum scilicet hominum quorum corda per timorem mortis ad amorem vitæ concussa fuerant. Quomodo? Quoniam idem Ioannes præcursor veritatis, & amaritudinem & dulcedinem eis intimauerat. Vnde & ipsi perfusionem pœnitudinis à rectitudine eius flagitabant, quatenus per declinationem malorum, & per erectionem bonorum, confessionem scelerum suorum facientes, illum mererentur adipisci qui ipsis non in vmbra antiquitatis remedium denunciaret, sed qui eis in luce nouitatis veram salutem conferret. Sed vt idem Ioannes homines ad se venientes docens, & flumine irrigationis perfundens, verba pœnitudinis eorum ad honorem venturi Saluatoris suscipiebat: ita etiam nunc in nomine eiusdem Saluatoris qui veniens salutem fidelibus contulit, & illi facere non negligant, qui testimonio sanctificationis fulminantis, operi plus addunt per inspirationem videlicet Spiritus sancti in abrenunciatione sæcularium rerum, nouam austeritatem secundum similitudinem illam aggredientes, quam ex præcepto eiusdem testimonij sanctificationis per regenerationem spiritus & aquæ in abiectione diabolicæ seruitutis, nouum hominem induentes adierunt: sed vbi stimuli impellentis necessitatis se obtulerint: admonendo & erigendo ac sanando manum deuoti iuuaminis petentibus porrigant, si tamen ad illam dignitatem ecclesiastica promotione digne peruenerunt: & in hoc prædecessorem suum fideliter imitentur: vt quod ille velut in vmbra ostendit, ipsi in nouitate lucis veraciter compleant. Ipsi enim sunt zona Ecclesiæ eam valde constringentes, quoniam in incarnatione filij mei occupati sunt, & quia etiam angelicum ordinem exercent: scilicet non cessantes vllis horis cantando cum sonitu, aut orando in compunctione, non autem excussis clamoribus vt inutilis puluis aut aridus absque vigore compunctionis: & quia etiam non recusant operari pro necessitate sua, non tamen in manibus suis sæcularia quærentes, sed cum charitate & humilitate seipsos districte circumspicientes. O ipse fortissimus atque amantissimus populus meus, cum in eis afflictionem illam attendo, quam filius meus in carne sua passus est: quoniam & ipsi secundum mortem illius moriuntur, cum voluntatem suam deserentes, & propter vitam æternam magisterio se subiicientes: secundum imperium prælatorum suorum gradiuntur.

20 Quapropter & vestitus eorum vestitui aliorum populorum non assimilatur, quia & ipse integer incorruptam incarnationem filij mei quæ plurimum distat à procreatione aliorum hominum ostendit. Nam illam incarnationem legale imperium viri ac mulieris non tetigit, sicut nec iste populus vlla conscripta lege ad hanc constri-

ctionem

ctionem cogendus est, sed qui eam pro dilectione Dei sua voluntate vouendo aggreditur, hic in ipsa perseueret, ne retrocedens corruat, sicut Lucifer qui lucem deseruit & tenebras recepit. Huiusmodi enim vestitus secundum coruscationem supernorum spirituum cum alis subtilitatis suę circumuolat, & incarnationem ac sepulturam filij mei designat: quia signum incarnationis in suo vestitu habet, qui se ad fortissimam obedientiam exhibet: & signum sepulturæ eius in ipso vestitu portat, qui in operibus iustitiæ, sæcularibus causis abrenunciat. Vnde qui pura voluntate eodem vestitu induitur, salubri remedio alleuiatur. Et ideo qui illum per inuocationem Spiritus Sancti in benedictionibus suscipit, non illum abiiciat, quoniam qui eum per abiectionem perseuerantis mali contemserit, cum illo erit qui angelicum ordinem spreuit & in mortem sepeliendus corruit. Quid est hoc? Quouiam hic populus ex præcepto legis ad hanc constrictionem stimulatus non est, sed voluntate sua aggressus est pactum meum obseruare, & ita Ecclesiam meam sua sancta conuersatione illustrare Quomodo? Vt post primam lucem diei aurora solis aspicitur, ita ordo iste post voces apostolorum exortus est.

21 Quid est hoc? Prima lux diei fidelia verba apostolicæ doctrinę designat, aurora initium huius conuersationis quæ primum in solitudine & in spelucis post illam beatam doctrinam germinauit, demonstrat; sol autem discretam & bene dispositam viam in seruo meo Benedicto declarat, quem ego per ardentem ignem traduxi, docens eum in vestitu conuersationis suæ incarnationem filij mei colere, & in abnegatione voluntatis suæ passionem illius imitari, quia ipse Benedictus est quasi alter Moses in lapideo foramine iacens, & corpus suum, in multa asperitate ob amorem vitæ crucians & constringens, quemadmodum etiam primus Moses in lapideis tabulis ex præcepto meo asperam & duram legem scribens Iudæis dedit. Sed vt filius meus eandem legem per dulcedinem Euangelij perforauit, sic etiam Benedictus famulus meus propositum huius ordinis quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspirationis spiritus sancti discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ religionis collegit, vt etiam filius meus per suauitatem odoris sui Christianum populum sibi coadunauit. Et deinde Spiritus sanctus cordibus electorum suorum suspiria vitæ habentium inspirauit, vt sicut in lauacro baptismi crimina populorum abluuntur, ita & ipsi in significatione passionis eiusdem filij mei sæculares pompas abiicerent. Quomodo? Nam vt homo à diabolica potestate in sancto baptismo conuertitur, crimina veteris maculæ abiiciens, sic & isti terrenas causas in signo vestitus sui abnegant, in quo etiam & angelicum signum habent. Quomodo? Ipsi enim in voluntate mea, protectores populi mei positi sunt.

De B. Benedicto.

22 Vnde qui ex ipsis in sancta conuersatione probati inueniuntur, pastores Ecclesiæ meæ constituantur: quia & Angeli qui nulla macula terrenæ causæ tanguntur, custodes populi mei sunt. Nam sicut Angeli coram deo in duplici honore sunt, sic & homines huius religionis sunt in duplici vita. Quomodo? Angeli in cœlestibus Deo sine intermissione seruiũt, & etiam in terris homines à diabolicis insidiis semper protegunt, sic & populus iste angelicum ordinem imitatur, cum terrena despiciens Deo quotidie famulatur, & cum etiam reliquos homines suis orationibus à malignis spiritibus die ac nocte tutatur. Vnde si Ecclesia mea rectum pastorem non habet, tunc huiusmodi religionis cœtus clamando & flendo ipsi subueniat: & qui in eo probatus inuenitur, si necesse fuerit, superintendentiæ sacerdotium suscipiens, ipsam in zelo meo strenue defendat.

23 Nullus autem religionem horum repente & velut ex somno euigilans aggrediatur, nisi prius in constrictione animi sui si in hoc proposito perseuerare valeat ex intima probatione examinetur: ne si illud voluntate sua in fœdere benedictionis susceperit, & postmodum in peruersitate erroris sui abiiciens mihi sine pœnitentia illuserit, in damnatione mortis miserabiliter pereat. Quapropter, ô charissimi filij mei, qui valde in contrarietate dissipati estis, surgite citius in humilitate & in charitate, & sancto proposito vestro viriliter & vnanimiter consentite.

24 Sed vt vides alius splendor vt candida nubes prædictam muliebrem imaginem ab vmbilico & deorsum vltra tamen nondum excrescens, honeste circumdat, qui est sæcularis vita quæ in candore serenæ intentionis Ecclesiam à plenitudine germinantis fortitudinis vsque ad extremitatem illam vbi vltra iam nondum in filiis suis processit, in reuerentia iustæ subuentionis circumplectitur. Quomodo? Quia circa vmbilicum est germen membrorum, de quo omne genus humanum procreatur, vnde & ibi in Ecclesia sæcularis populus per quem ipsa ad plenum numerum in ordinibus suis prouehenda est, demonstratur, cum ibi reges & duces, principes ac præsides cum subiectis suis, ac etiam cæteri diuites & pauperes & egeni cum reliquo populo conuersantes denunciantur. Et per hos omnis Ecclesia valde ornatur, quia cum sæculares homines legem Dei quæ ipsis posita est, fideliter conseruant, Ecclesiam plurimum exornant, & multis amplexibus Deum amplectuntur, cum syncera humilitate & deuotione magistris suis obediunt, & cum eleemosynis & vigiliis ac continentia, & etiam viduitate ac cæteris bonis operibus quæ Dei sunt, corpus suum pro Dei amore castigant. Vnde illi qui constitutam sibi legem secundum voluntatem meam custodiunt, valde amabiles mihi sunt.

Quid splẽdor imaginem circumdans.

25 Sed si quis ex illis iugum libertatis meæ in abiectione sæcularium ferre desiderat, ad me citius veniat, nisi in iunctura carnalis copulæ sit, quam ligaturam temere non soluat, nisi per voluntatem illius cuius consortium habet. Quomodo? Nec maritus vxorem, nec vxor maritum in hoc proposito deserat, nisi voluntas amborum sit: & tunc si ita deliberauerint, aut ambo remaneant in sæculo, aut ambo à sæculo separentur: quoniam esse non potest, vt pes vnus permaneat in corpore, & al-

& alter à corpore abscindatur saluo homine. Sic etiam non congruit vt maritus sæculum colat, vxor sæculum deserat, aut vt vxor in sæculo resideat, & maritus sæculum fugiat, si in superna vita decorem suum inuenire volunt: quia si hoc indiscrete & insipienter agitur, non hostia sed rapina appellabitur. Quapropter qui in carnali copula legali iure sibi coniuncti sunt, vnanimiter simul viuant, nec alterum ab altero sine consensu alterius, nec sine dispositione aut demonstratione ecclesiastici vigoris insipienter se discindat: quemadmodum in Euangelio iterum scriptum est: *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

26 Quid est hoc? Deus in creatione humani generis carnem de carne tulit & in vnam copulationem coniunxit, ita constituens ne hæc coniunctio præcipitanter ab inuicem separaretur. Quomodo? Quia ita in coniunctione viri ac mulieris erit vbi caro carni, & sanguis sanguini legali sanctione copulatur, ne ab inuicem sua stulta præcipitatione disiungantur, nisi hoc ex iusta causa, aut ex rationabili deuotione vtriusque ligaturæ euenire contingat: quoniam Deus in secreto sapientiæ suæ hanc coniunctionem maris & fœminæ ad propagationem hominum benigne disposuit. Et quia hæc coniunctio ab ipso ita decenter instituta est, iccirco stulta cupiditas hominis abscisionem in his duabus partibus non faciat, nec pars hæc nec illa dotem sanguinis sui in alienum locum ducat: quoniam sicut Deus præcepit ne homo occidat hominem, ita etiam iussit ne homo per crudelitatem fornicationis, sanguinem suum à recto loco suo abscindat. Vnde etiam homo ardorem cupiditatis suæ deprimat, nec incendium suum ad alienum ignem transmittat: quia si hæc ardens voluntas calorem alterius voluntatis cum feruente concupiscentia fortioris vel mollioris causæ conceperit, vere tunc cum desiderio animi sui & cum colligatione amplexionis illius mentis in vnum coagulantur. Nam exterior videns oculus interiorem calorem in adustionem excitat. Et quamuis corpus hoc peccatum cum corpore illo non operetur, tamen viuens voluntas facit opus ardoris in illis, ita quod omnia viscera eorũ propter conscientiam suam cõcutiuntur. Quapropter clausura exterioris hominis tam cauta custodia obseruentur, ne interior homo per insipidam negligentiam saucietur.

Cur tres splendores se diffundant.

27 Et vt vides quod hi tres splendores circa ipsam imaginem se late diffundunt, hoc est quod in honore supernæ trinitatis, prædictæ tres ecclesiasticæ institutiones vbique fœlicem Ecclesiam in dilatatione erumpentium germinum & in diffusione beatarum virtutum miro modo circumplectentes consolidant: vnde etiam plurimos gradus & scalas in ea bene & decenter ostendunt: qui sunt diuersi ordines tam in sæcularibus quam in spiritualibus hominibus per quos eadem Ecclesia in bonitate morum & in disciplina virtutum, filios suos cum suauissima reuerentia educatos ad superna perducit. Quomodo? Cum terrena spernunt, & cum cælestia diligunt. Quid est hoc? Quia legalia præcepta quæ ipsis instituta sunt, in diuino amore fideliter complent.

28 Sed sicut in tribus personis vnus Deus est, ita etiam in his tribus prædictis ordinibus vna Ecclesia est, cuius fundator ille est, qui plantator omniũ bonorum est: quodcunq; enim ille non plantauit hoc stare non poterit. Vnde illa institutio quam ipse non instituit, hęc in magnis illusionib. decidet. Quomodo? Quia Deus illa non plantauit, quæ ad superiora cũ flatu superbiæ ascendere tentant, nec superioribus suis subiici volũt. Hoc ibi est vbi minor ordo supra maiorem ordinem qui de antiquo cõsilio principalium magistrorũ in voluntate mea constitutus est, se eleuare contendit, & vbi quidã in diuersis signis vestitus sui se vólunt dilatare secundum mores suos quemadmodum in insania sua cogitant: veluti si ordo Angelorum se erigere vellet super ordinem Archangelorum. Et quid hoc esset? Quasi nihilum & inane essent, qui sic recte constitutos Dei ordines in vanitatibus suis diuidere vellent. Sed hoc esse non debet. Sic etiam nec hoc esse debet, vt ab his in insania diuersitatis suæ inuocer, qui in proposito suo semper noui esse volunt, & rudes in scientia sua ad discendum ea quæ in mẽtibus suis sunt, deferentes bene tritam viam, & bene complanatam arcam antiquorum patrum, quam illis Spiritus sanctus inspirauit. Vnde multi ex his constitutas ordinationes quas Ecclesia in antiquis patribus habet, in magna superbia destituunt, & hoc in plurimis schismatibus diuersarum institutionum suarum faciunt. Ipsi enim in diuersis circuitionibus suis fructiferæ arbores dici volunt, sed nec vacuæ arundines appellari possunt, quemadmodum dilecto Ioanni de illo ostenditur, qui in tempore marcens abiicitur, vt scriptum est: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepitus es, incipiam te euomere ex ore meo.*

29 Quid est hoc? O stulte qui in temetipso turpiter marces, ego qui cognitor secretorum sum, in omnia sciente oculo video opera desideriorũ tuorum, quoniam opera quæ ad ignem ignei illuminatoris pertinent omnino non effugisti, nec etiam opera quæ glaciem frigidi rigoris inducunt omnino abiecisti. Quomodo? Tu nec es in malis operibus ex toto frigidus, nec in bonis actibus ex toto feruidus, sed in vtroq; per instabilitatem mentis tuæ vt tepidus ventus pendens, videlicet in neutro sciens quis sis, quia nec in malo emeritas pœnas, nec in bono digna præmia consideras. Quomodo? Quia in tam magnam profunditatem respicis quod fundum eius inuenire non vales, & quia etiam tam altum montem ascendis quod cacumen eius ascendere non potes. O melius tibi esset vt inutilem seruum & peccatorem te scires, quam sic in tepore esses vt vix ad iustitiam respicias. Nam si à bonis actibus separatus esses, peccatorem te intelligeres: vel si à malis operibus te abstraheres, aliquam spem vitæ haberes. Nunc autem vt tepidus ventus es, qui nec humiditatem fructibus affert, neceis calorem inducit. Tu enim es velut incipiens & non quasi perficiens, quia bonum tangis in inceptione, sed illo te nunquam pascis in perfectione: vt ventus qui os hominis percutit, & non sicut esca quæ in ventrem eius labitur.

Vtrum

Vtrum etiam carior est inanis sonitus, an perfectum opus? Sed acceptius est perfectum opus quam inanis sonitus. Et ideo cum silentio humilitatis operare & non cum superbia extollere quoniam illi pro nihilo computabuntur, qui societatem sanctificationis illorum qui me in lenitatis obsequio amant, abiiciunt: hoc enim per stolidam superbiam insectantur, quod per suauem mansuetudinem adimplere dedignantur. Quod si per inchoationem rectitudinis vim verborum meorum quæ cibum fidelibus præbent intrare tentaueris, & si tunc in ea torpens ac nullam dulcedinem iustitiæ te tangentibus ostendens ad deteriora cadis, tunc & ego propter teporem negligentiæ tuæ incipiam te eiicere, ex eadem vi verborum meorum te expellens: quoniam nullum saporem suauitatis per efficaciam operationis tuæ exhibens, ad interiora beatæ receptionis non anhelas. Vnde & ita abiectus conculcaberis, sicut & cibus ille qui propter insipiditatem gustus ex ore hominis proiicitur, antequam in ventre eius recipiatur. Sed quid nunc? Venti enim volant, & ventorum strepitus resonant, sed radices non florent nec germen proferunt. Nam qui sub iugo meo esse deberent, lasciui sunt, nec secundum disciplinam incedunt. Quid est hoc? Ipsi rectam viam transiliunt, & multa inutilia tabernacula sibi faciunt. Huiusmodi enim homines nullum feruorem iustitiæ habentes, sed in semetipsis torpentes, nec in constituta sibi lege ardent: nec secundum conuersationem præcedentium patrum suorum faciunt: sed quisque eorum quandam singularitatem in semetipso sibi plantat, & secundum voluntatem suam legem sibi ponit, sic in propriis cogitationibus suis & in magna instabilitate per inflatam superbiam se ad volandum eleuans. Et quoniam isti recto fœdere patrum suorum non adhærent, idcirco semper noui & rudes in magna instabilitate hac & illac secundum voluntatem suam vagantur.

30 Quapropter & ego comparo illos stultis artificibus, qui magnum ædificium in altum erigentes, non imitantur prudentiam illorum artificum, qui in multis instrumentis optime edocti & diuersis probationibus ædificationum examinati omnia ad ædificationem pertinentia bene nouerunt: & omnia instrumenta sua recte disponunt, sed ipsi vacui & insipientes, in semetipsis confidunt, quia præ aliis sapientes esse volunt: & ædificia sua ita disponunt, quod ad tempestates mobilia sunt, vnde etiam à ventis deiiciuntur, quoniam non supra petram, sed supra arenam posita sunt. Ita & illi faciunt qui in superbia sua in semetipsis confidentes præ antiquis patribus suis prudentes videri cupiunt, nec secundum fœdus eorum ambulare volunt, sed sibimetipsis leges secundum voluntatem suam in magna instabilitate statuunt: & ideo perfrequenter per diabolicas tentationes ad peccata quatiuntur, quia non super Christum, sed super instabilitatem morum suorum innituntur.

31 Vnde ne inspiratio Spiritus sancti quæ in antiquis patribus operabatur per superbam inflationem euacuetur, volo vt fideli homini cum humilitate sufficiat quod ei à prædecessoribus suis institutum est, ne si plus inaniter voluerit quam humiliter quærere debuerat, ne postea tepefactus inde recedens, ex hoc ruborem confusionis accipiat, vt in Euangelio scriptum est: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.*

32 Quid hoc? Quando per supernam inspiratione admonitus fueris vt per fideles labores tuos ad tabernaculum illud venias quod semper in nupiali vita abundat, ita quod assidue in synceritate & honore ac sanctificatione in virginea virga & in beata matre scilicet Ecclesia lætatur & non in corruptione & confusione ac deiectione germinis & floris sui tristatur, tunc comprime mentem tuam in humilitate, non eleuans eam in elatione. Quomodo? Cum sæculares causas in amore Dei à corpore tuo abieceris, tunc quasi pulcherrimus flos ascendes qui in cœlesti Hierusalem sine ariditate cum filio Dei floret, in quo omnia ornamenta animarum apparent: quia vetus homo omnes abominationes hominum profert, nouus autem omnem sanctificationem virtutum ædificat. Et ideo cum ad hanc sanctificationem veneris, erubesce antiquum serpentem qui semetipsum à beatitudinis loco deiecit, per appetitum inanis gloriæ imitari. Quid hoc? Si videris aliquem te ornatiorem, caue ne per cupiditatem mentis tuæ super eum ascendas, dicens: volo super illum, aut sicut ille est, esse. Quod si hoc modo te exaltaueris, nũquid tunc fidelis seruus es, cum dominum ad iracundiam prouocas, ita quod te illi opponis? Sed si intellexeris aliquem valentius naturæ, gratiæ aut fortunæ donum habere quam tu habeas, si tunc illi per inuidiam detraxeris, planam viam non ambulas, sed per deuia incedis. Quapropter stude in humilitate Deo seruire, & non in superbia bacchari: nec te per vanitatem simulationis super illum extolle, qui iusta examinatione maiori desiderio æternæ vitæ lucet quam tu ardeas, ad eiusdem beatitudinis culmen per supernum ardorem ita inuitatus ab illo qui omnibus veritatem diligentibus pium se manifestat: ne in omnia sciente oculo veniens ille qui te humilitatis obsequio, & illum in charitatis dono per inspirationem beatæ admonitionis vocauit, recto iudicio suo dijudicet te, dicens: Tu qui te per flagrantem superbiam in locum illum erexisti, cuius socius non es, relinque vanam gloriam tuam: & da subiectionis officio huic dilecto meo culmen honoris, quod temere rapuisti. Et quid tunc de te? Quoniam si hoc modo deiectus fueris, incipies per angustiam mœroris & tristitiæ extremitatem abiectionis sentire, & ita tè proiectum abhorrere: quia custos animarum auferet tibi alienum honorem quem fraudulẽter inuasisti, cum te illi opponens, hoc temere rapere tentabas quod habere non debuisti: vnde & tibi auferetur quod habẽre volebas, & tibi dabitur quod habere noluisti. Ita etiam cũ minor ordo supra maiorẽ se exaltat, per iustũ iudicium meum deiectus supprimitur: quoniam nolo vt aliter ante oculos meos superbia sit quam in deiectione confusionis.

Nam si ancilla supra dominam suam se exaltauerit, tanto despectior omnibus eam inspicientibus erit: quia hoc fieri tentauerit, quod desiderare non debuit.

33 Quapropter qui sibi secundum cor suum leges faciunt, & in hoc voluntatem meam non quærunt, magis ex hoc in deiectionē quam ad profectum veniunt, vt iterum filius meus in Euangelio testatur, dicens: *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Quid hoc? Omne germen scientiæ cordis & mentis ac morum surgens in fertilitate illa naturę qua homo viuit, cum homo illud ita in semetipso seminat, quod postea in calore feruens ita ei copuletur secundum quod hoc perficere vult, illud videlicet transpositum aut in exaltatione mentis, aut in petulantia carnis, aut in superflua pollutione, aut in occasione excusatio. nis, aut in vicissitudine operationis, sursum aut deorsum imprudenter vadens, nec quale fundamentum sit discernens, & an vtile aut inutile sit, scire contemnens, vere hoc iusto iudicio destruetur: quoniam plantationem illam in tali non plantauit pater ille, qui cœlorum & omnis iustitiæ habitator est: & ideo eiecta arescet, quia de rore cœli non ascēdit, sed de succo carnis venit. Quomodo? Quia homo per stultam scientiam suam hoc opus faciens, nec iustitiam nec voluntatem creatoris sui inspicere voluit, sed ad illum qui semper rotam carnis ipsius infatigabiliter exagitat, respexit. Nam quod hominibus cum oculum suum acute in Deum figere nolunt, per deceptionem mentis suæ aliquando bonū videtur, si hoc inspiratio Spiritus sancti non calefacit, in interitum ibit: quia hęc vana gloria pertransit. Cum enim vani homines in vno per tædium afficiuntur, in altero per vanam gloriam innouantur, frequenter in superbia & in stimulatione ac in spiritu zelotypiæ se extollentes, & etiam frequenter in molestia & in indignatione ac in contradictione aliarum institutionum quæ de me fluxerunt altercantes, necnon in cæteris bonis quæ non sunt ad torporem tædij, sed in ardore desiderij de die in diem proficiendi, se inuicem comprimentes. Nam quod de me fluxerit dulcem & suauem gustum animæ præbet semper in perseuerantes proficiens, & non in instabilitate retro aspiciens. Vnde ille beatus est, qui in me fidens, spem suam & initium ac finem operum suorū non in se sed in me reponit. Qui facit hęc, nō cadet: qui vero sine me stare voluerit, in ruinam ibit. Et qui sūt illi qui semetipsos per vanā gloriam nouos faciunt, & propter tædium quod in præceptis meis patiuntur, in semetipsis cōfidunt. Non enim vt vetus vestimentum in cogitationibus hominum molestum est, sic ego in donis meis spernendus sum: quoniam illa in simplicitate semper noua sunt, & quanto vetustiora tanto cariora sunt. Quapropter quæ homines in semetipsis absq; inspiratione mea excogitāt in vanitate morū, per inania studia eorū diffluent, & quāuis aliquando in conspectu hominū stare videantur, tamen ab oculis meis proiecti, pro nihilo eos habeo, vt in Euangelio scriptū est: *Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum: Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

34 Quid est hoc? Dimittite illos qui in factis suis peruersi sunt in peruersitate sua diffluere, quia in rectitudine bonorum operum se corrigere nolunt. Et quoniam in æstimatione sua se iustos nominant cum in actibus suis vani sint, ex ipsa facilitate sua cæci efficiuntur: quia per viam iustitiæ ambulare contemnunt, & quoniam magis viam iniquitatis quam veritatis illis hominibus proponunt, qui eos in malis operibus sequi festinant. Vnde qui hoc modo visum rectitudinis non habent, æstimantes se iustos esse, & iniusti sunt; cum viam veræ doctrinæ ignorantibus viam falsæ iustitiæ demonstrant, pariter in foueam desperationis cadunt, quoniam nec isti nec illi quo eant, sciunt.

35 Sed in his quædam in indignatione mea coram hominibus aliquando deiicio, quædam autem per moderationem perspicuæ visionis tacite coram hominibus interdum tolero; sed tamen ea per ponderationem iusti iudicij mei in futuro vlciscor. Et ob hoc qui fidelis est, studeat ascendere ad altitudinem virtutum, & non ad ima sæcularium descendere.

36 Quomodo? Qui in minori gradu est, ad maiorem ascendere potest; non autem qui in maiore est, ad minorem se declinare debet. Quid hoc? Nam prætores possunt ad duces peruenire, duces vero ad reges ascendere: non autem decet reges ad duces descendere, nec duces ad prætores se declinare. Si enim reges ducibus se subiugarent, vel si duces prætoribus se subderent, indignanter omnis populus vociferaretur, & eos derisui haberet. Ita qui sunt in sæcularibus, possunt viam prædictorum pigmentariorum subire: & qui sunt in via eorundem pigmentariorum, possunt præfatos qui sunt viuens odor, vouens iter secretæ regenerationis adire: non autem qui sunt idem viuens odor, vouens iter secretæ regenerationis decet ad pigmentarios transire, nec ipsos pigmentarios ad sæculares corruere. Quod si isti qui sunt viuens odor, vouens iter secretę regenerationis ad pigmentarios respiciunt, vel si pigmentarij ad sæculares transeunt, heu heu heu, ab animabus iustorum super eos dicetur, & coram me in abiectione habebuntur, nisi digna pœnitentia reuertantur: quia si altior gradus super inferiorem ceciderit, ambo destruentur. Sic & illis erit, qui rectum iter suum deserunt, & retrorsum incedunt. Nam qui filium meum induerit, quem talē filium induere posset? Nullum, & vere nullum. Gaudete autem in patre vestro, quoniam sæpius in minoribus maiores video, & in maioribus minores inuenio: quia superbia cadit & humilitas ascendit.

37 Vnde pacem & charitatem ac humilitatem habete inter vos, sicut & animæ iustorum cum Angelis & Angeli cum Archangelis habent. Animæ enim iustorum officio Angelorum non inuident, nec Angeli gloriam Archangelorum dedignantur. Quid hoc? Archangeli in maiori necessitate maiora demonstrant, Angeli vero in frequenti vicissitudine minora denunciant: fidelis autem populus humiliter obtemperat. Vnde vnusquisque officium suum fideliter exerceat. Quomodo?

Qui

Qui ſunt viuens odor, vouens iter ſecretæ regenerationis, cum maior occaſio eccleſiaſticæ neceſſitatis ingruerit, ineuitabiles cauſas ſubuentionis ſuæ velut archangeli recolant, & qui ſibi in opere pigmentariorum, aſſidua determinatione in frequentibus cauſis circa negotia inſtitutionis ſuæ quaſi Angeli exerceant, & homines qui ad ſummam beatitudinem deſiderant peruenire, verba eorum fideliter ſuſcipiant.

38 Quomodo? Nam qui viuens odor, vouens iter ſecretæ regenerationis exiſtunt, velut granũ ſunt, qui ſiccus & fortis cibus hominũ eſt: ſic & ille populus meus aſper & durus ad guſtum fuci ſæcularium rerum eſt. Sed prædicti pigmentarij quaſi poma quæ dulcem ſaporem ſe guſtando præbent: qui vt & illi, per vtilitatem officij ſui ſe ſuaues hominibus exhibent. Communis autem ſęcularis populus velut caro æſtimatur, in qua & caſta volatilia inueniuntur: quoniam qui in ſæculo degunt, carnaliter viuentes filios procreant, inter quos tamen caſtitatis imitatores reperiuntur, ſcilicet viduæ & continentes, qui ad ſuperna deſideria per appętitum bonarum virtutum volant.

39 Sed & iidem ordines eccleſiaſticæ inſtitutionis, in duabus viis verſantur. Quomodo? Spiritualium & ſæcularium. Quomodo? Vt dies & nox Quid eſt hoc? Spirituales ſunt vt dies: & ſæculares vt nox, in temporali vitam hominum degentes. Quid eſt hoc? Dies claritatem ſolis: & ſerenitatem lucentis aëris habet: quod præſignat, quia Spirituales homines & ordinem viuentis odoris vouentis iter ſecretæ regenerationis, & ordinem prædictorum pigmentariorum in ſe ſeruant. Nox vero lucem lunæ cum ſtellis & obſcuritatem vmbroſæ tenebroſitatis tenet: quod demonſtrat, quod ſæculares homines & iuſtos in operibus ſuis lucentes, & peccatores obſcuritate delictorum grauatos in ſe tenent. Sed qui noctem ſæcularium deſeruerit & ad diem ſpiritualium propter amorem vitæ ſe conuertit, ſtabilis in hoc facto ſit, ne ſi retrorſum inceſſerit, veteri Adæ aſſimuletur qui præceptum vitæ tranſgrediens in ſæculares ærumnas expulſus eſt. Vnde nemo præceps ſit mundum relinquere & fœdus meum ſua voluntate audacter intrare, niſi prius in magna probatione examinatus ſit: quia qui filium meum per tunicam cœperit, nolo vt eum relinquat. Nam qui eius incarnatione ſe induerit, & crucem eius in manus ſuas ſuſceperit, nunquid conueniens eſt vt abiiciat dominum ſuum? Nullomodo.

40 Ergo his attende. Homo qui in voluntate cordis ſui confeſſus fuerit & in deuotione animæ ſuæ vouerit iugum meum in abiectione ſæcularium rerum portare, ſi tunc etiam in ipſo ardore cordis ſui per voluntatem deſiderantis animæ ſuæ ſignum religionis in condimento iuſtæ intentionis ſuſceperit, in illo permaneat: ne ſi illud poſtea in contemptu perſeuerantis mali abiecerit, iudicium diſtricti examinis accipiat. Quid hoc? Quia illum ſpreuit cuius ſignum in ſemetipſo ſuſcipiens conculcauit, ſicut & Iudæi eum contępſerunt, cum illum in inſania incredulitatis in cruce affixerunt. Nam vt Iudæi nefas illud non timuerunt, ita & iſte non veretur quod eandem paſſionem in voto ſuo abiicit. Quod enim homo mihi promittit, hoc etiam reddere debet, ſecundum quod Dauid teſtatur, dicens: *Introibo in domum tuam, in holocauſtis reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea*

41 Quid hoc? Per intentionem bonæ & iuſtæ oprationis introibo ô Deus meus in conſtitutionem ſanctiſſimi doni tui, ſcilicet in ardente deſiderio ſtratum voluptatis meæ relinquęs, ita quod nihil mihi dulcius eſt quam anhelare ad te creatorem omnium. Et ob hoc reddam tibi vota mea quæ protulit os meum cum anima mea, quia hoc perficere volo quod tibi iuſto iudici in ardenti deſiderio meo prius promiſeram, videlicet vt actus meos ad te dirigerem, quod inſipienter tranſgreſſus ſum: ſed nunc ad te recurrere deſiderans, volo mala deuitare, & bona facere, quoniam rationalitas & intellectus qui in me feruent, per diſcretionem veræ caſtigationis magis quærunt ad te viuum Deum anhelare, quam per ſtultitiam falſæ contrarietatis diabolum imitari. Vnde ô homo, cum cor tuum hoc modo mihi obtuleris, conſidera quomodo illud prudenter perficias. Oculus enim meus acutiſſime videt, quid voluntas hominis mihi loquatur. Vbi quod meum eſt, hoc diſtrictiſſime requiro. Quapropter ô ſtulti, & pluſquam ſtulti, vt quid vobis tam magna onera imponitis, quod putatis vobis tam facile eſſe quod carnalem voluntatem veſtram deſeratis? Nam per legem quæ vobis ex præceptis meis data eſt, ad hoc non cogemini vt ſæculum relinquatis, niſi prius per multos labores ita exerceamini, vt carnalibus deſideriis quæ in vobis ſunt, frænum imponere poſſitis.

42 Sed tepido vento aſſimulamini: quoniam cum vana gloria mentem veſtram afflauerit, tunc ex aliqua aſperitate loquimini ſic dicentes: Amplius cum ſæculo laborare nolo, ſed illud feſtinanter fugere delibero. Et cur ita me frangam in caſſo labore? Sed cum hæc intra vos dicitis, putatis ea ita terminari vt excogitatis. Nam multi vacillante animo me quærunt, ita quod tantum ſigno religionis exterius notantur, puris oculis me non quærentes, nec ſemetipſos in vera doctrina ſimpliciter circumſpicientes quomodo diabolum qui eos deuorare cupit effugiant: quemadmodum columba in puritate aquę conſiderans accipitrem qui eam rapere tentat, effugit: non autem ſic illi diabolum fugiunt cum eum in ſcriptura doctrinarum venientem vident, ſed in repentino ſopore qui eis per cœcitatem mentis ſuæ ineſt, vt tepidus ventus ad me currunt. Quidam enim non voluntatem ſuam, ſed tantum ſæcularem habitum abiicientes, ſpiritualem religionem aggrediuntur, quia multas miſerias & paupertates in ſæculo ſuſtinentes diuitias habere non poſſunt, & ideo mundum relinquunt, quoniam eum ita vt vellent habere non poſſunt. Alij autem ad ſæculum ſtulti & fatui ſunt, ita quod hominibus contemptibiles & ſeipſos regere non valentes, & propterea ſæculum fugiunt, quia illi ludibrio ſunt. Sed & quidam debilitatem ac infirmitatem corporis ſui habentes & in his calamita-

tibus multum laborantes, non propter me, sed vt his doloribus tanto suauius subueniant, sæculum derelinquunt. Alij vero tantas angustias & oppressiones à carnalibus dominis suis quibus subiecti sunt patiuntur, vt propter timorem eorum à sæculo recedant, non vt præceptis meis obediant, sed ne carnales eorum domini amplius super eos potestatem suam exerceant. Et hi omnes non propter cœlestem amorem sed propter has terrenas molestias quas sustinent ad spiritualem religionem veniunt, non considerantes vtrum salsus an insulsus, an dulcis an amarus, an cœli an terræ habitator sim. Quid hoc? Ipsi nec condimentum, nec dulcedinẽ scripturarum attendunt, nec quomodo in cordibus illorum hominum habitem qui superna quærunt, considerant. Et quoniam hæc scrutari nolunt, ideo timorem meum abiicientes secundum voluntates suas incedunt: vnde & inde alieni sunt, & fugitiui vocantur. Quapropter nec ego dico eos sæculum dimisisse & ad me venisse, sed in hoc rei sunt quod seruum timent, & dominum contemnunt quia terrenas causas sequuntur, & me non verentur: & ideo pauidi in minimo, & audaces in maximo dicuntur. Ergo & Balaam assimilantur, qui Israëliticum populum in tabernaculis suis pulchrum videns, mansionem cum illis ficto animo se habere concupiuit dicens: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.*

43 Quid hoc? Cum homo aliquando in suspiriis animæ ad hoc concutitur, vt opera iustitiæ incipiat, tunc insurgente desiderio ea gemebunde exoptat, sic dicens in semetipso: Ego miser qui multis peccatis & obligationibus præpeditus sum, studiose desidero vt in abiectione carnalium concupiscentiarum anima mea omnem malitiam iniquitatis relinquat, & vt per cõtritionem illam qua iusti semetipsos despiciunt in habitaculo bonorum operum maneat. Quomodo? Vt in rectis actibus iueniatur finis meus, illis hominibus qui iustitiam Dei operantur similis, ita vt terminus bonorum operum meorum initio iustæ intentionis eorum adæquatur. Sed homo qui intra semetipsum ista loquitur, si postea transacto tempore illorum suspiriorum cum tentationibus malignorum spirituum afflatur, & carnali concupiscentia deuictus ad iniquitatem reuertitur, facit vt ipse Balaam per nequitiam cupiditatis suę deceptus fecit. Quomodo? Quia ipse postea per illud schisma tactus per quod prius populo meo maledicere volebat, vbi ei per Angelum meum & per asinam ipsius restiti, ad hoc eum tamen in zelo meo perducens, quod in benedictione verborum illorum quæ in os ipsius posui eidem populo meo benedicebat, post desiderium illud quo eidem populo Israëli in morte sua assimilari desiderauit, ad primum schisma reuersus est, & populum meum in pecunia mortis suo consilio per fornicationem dispersit, vt pollicitus est dicens: Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus huic populo faciat extremo tempore. Quid hoc? Videlicet cum me retorsero ad iter desideriorum meorum, quæ ad decorem carnis pertinent, tunc concupiscentias illas ingrediar, quas prius cognoueram. Quomodo? Quia scio quid in carne mea sim cui honeste deseruio: ita vt & ego qui his causis quæ ipsi semper assunt imbutus sum, tibi ô homo qui etiam in eisdem delectabilibus rebus ardes, in abscondito mentis meæ stimulum concupiscentiis tuis ostendo, cum per suggestionem voluptatis meæ fumigantem ardorem tuum ita succendo, vt per agnitiones venabilium terrenarum rerum quæ in corde tuo florent, illud ardens desiderium quo prius ad opera illa quæ sancta dicuntur anhelasti extinguas, hoc modo finem eis imponẽs, & ea opportuno tempore ita relinquens, quasi nunquam ea cognoueris. Vnde ô homo sicut iste Balaam post illud rectum desiderium quo prius sursum aspiciebat, ad fallaces concupiscentias se deorsum inclinabat, ita & ij faciunt qui me ficte quærunt, quia cum viderint illos qui sæculum veraciter abiecerunt simpliciter incedere, & in arcta ac beata conuersatione laudabiliter & veraciter perdurare, dicunt eos pulchros & suaues esse, ac protinus repentino impetu vitam eorum aggrediuntur, secundum ipsos viuere desiderantes. Sed postquam se illis ita coniunxerint quemadmodum & Balaam Israëliticum populum inspexit, tunc frequenter per diuersas nequitias quas prius in cordibus suis habebant cum in sæculo essent, ad carnalia desideria reuocantur, quoniam & illis prius dominabantur. Quapropter cum sic impediuntur, veneno & aduersitate sua contaminant electum gregem meum, multis tempestatibus eum quatientes, & consilio nequitiæ suæ eum dispergentes. Nam cum ipsi à sæculo deceptuose recederent, me in orationibus suis in adiutorium sibi non inuocabant, nec in probatione corporis sui si in hoc proposito perseuerare possent an non, me quærebant, vnde & ego permitto eos considerare, quid voluntas ipsorum cum in semetipsis confidunt eos posit adiuuare. O, ipsi insipientes & infructuosi existunt, quia sunt inutiles absque aratione legis Dei, & sine fructificatione verbi ipsius, quia non exquisierunt quid facere deberent cum arctam viam adirent, vt bona terra circumspicitur quem vtilem fructum profert. Vnde audiant: O homo si hodie cum in tua carne fortiter in concupiscentiis ardeas, igneam fornacem existi, quis tibi tantum refrigerium dedit, quod tam magnum incendium posses euadere in voluptate tua?

44 Vere qui hæc aggredi voluerit, interioribus oculis suis inspicere debet, qualiter ea per me incipiat, & qualiter ea meo adiutorio perficiat: ne si illa insipienter inceperit & male consumauerit, in ruinam vadat: sicut & ille antiquus hostis qui in semetipso confisus, in ira zeli mei deiectus est, sic & isti abiicientur, qui nec me nec semetipsos considerantes, in præcipitatione magnæ superbiæ passione filij mei se induunt, sed eam postmodum in fastidio superflue reiiciunt. Quapropter qui eam super se posuerint, attendant quomodo eam diligant, secundum quod Hieremias Propheta in Spiritu sancto hortatur, dicens:

O vos omnes qui transitis per viam , attendite & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me vt locutus est Dominus, in die iræ furoris sui.

45 Quid hoc? O vos omnes qui vitia deseritis, videlicet in abiectione sæcularium, & in imitatione spiritualium, transeuntes per viam illam quæ vita & veritas est quæ ego filius Dei sum, attendite in inceptione bonorum operum ne doloris mei obliuiscamini , cum me in passione mea cœperitis imitari , & videte in perfectione iustitiæ: vt dolor ille quem pro amore meo vobis imponitis , dolori meo similis sit. Quomodo ? Vt in eisdem miserijs quas propter me sustinetis vsque ad bonum finem indeficienter perseueretis , sicut & ego perseueraui in dolore meo mori pro vobis : quoniam ego compressus & conculcatus in passione crucis sum, sicut vua in torculari exprimitur vt corpus meum manducetis , & sanguinem meum bibatis : vt in præscientia perspicacis oculi sui locutus est dominator cœli & terræ in iudicio cum Adam vitam deseruit & mortem accepit , vbi tamen idem pater meus cœlestis hoc præuidit, quod in fine temporum per me filium suum ex virgine incarnatum qui me in fortissimis viribus iustitiæ diabolo opponebam , eundem antiquum seductorem superaret, & humanum genus in defensione superni auxilij liberaret. Ergo homo cuiuscunque sexus aut ætatis sit , qui passionem meam induit ; attendat vt eam fortiter retineat, ne si eam per errorem neglectus sui abiecerit, postea cum ipsam voluerit retinere, eam inuenire non possit.

46 Vnde & illi qui infantes suos meæ passioni in humilitatis conuersatione subiicere voluerint, hoc non in præsumptione præcipitationis imprudenter faciant sed sapienter in examinatione discretionis , non cogentes illos absque consensu voluntatis suæ hoc adire, quod nec ipsi possunt perferre. Quomodo? Si infantem tuum mihi offers cum ei nondum ineſt scientia discernentis intellectus, sed cum in stultitia omnis sensus sui iacet , & tamen ita sine voluntate ipsius eum offers, consensum eius in hoc non considerans , non recte feci sti ita offerens arietem. Quomodo ? Si homo arietem ad altare meum offert, si eum cornibus suis fortiter funibus non alligauit, nonne aries aufugit ? Sic etiam si pater aut mater puerum suum qui aries est , ad seruitutem meam offerunt, si in hoc voluntatem illius quæ cornua eius sunt, nec diligenti custodia, nec supplicatione, nec deprecatione, nec exhortatione totius diligentiæ quæ funes colligationis eius intelligantur , attendunt , quoniam his omnibus puer ad consensum bonæ voluntatis prouocandus est , tunc si istis examinationibus non fuerit probatus , certè aut corpore aut mente aufugit , nisi Deus eum in mirabilibus suis custodiat. Si autem tu ô homo in tam magna custodia corporalis districtionis puerum illum concludis quod se à pressura repugnantis voluntatis suæ absoluere non possit , tunc in omnibus fructibus tam corporis quam animæ propter capturam illam quæ sine consensu eius ipsi iniuste illata est , aridus mihi apparet. Tunc & ego tibi ô homo qui auctor huius ligaturæ es dico.

47 Viridem agrum in potestate mea habui, nunquid ô homo dedi tibi illum, vt eum germinare faceres quemcunque fructum tu ipse velles. Et si in illum semen seminas, an potes illum in fructum producere? Non. Nam tu nec rorem das, nec pluuiam producis , nec humiditatem in viriditate tribuis , nec calorem in ardore solis educis, per quæ omnia competens fructus producendus est. Ita etiam in auditum hominis verbum seminare potes, sed in cor illius quod ager meus est, nec rorem compunctionum, nec pluuiam lachrymarum , nec humorem deuotionum, nec calorem Spiritus sancti infundere vales. , in quibus vniuersis fructus sanctitatis germinare debet. Et quomodo audebas delicatum & sanctificatum mihi in baptismo tam temerè tangere, vt eum absq; voluntate sua in arctissimam captionem ligaturæ ad ferendum iugum meum traderes. Vnde nec aridus, nec viridis effectus est, quia nec sæculo mortuus est , nec sæculo viuit. Et cur eum ita oppressisti, quod ad vtrumq; inutilis est? Nec miraculum meum ad confortandũeũ vt in spirituali vita permaneat, ab hominibus expectandũ non est: quoniam nolo vt parentes eius in oblatione eius peccent, absque voluntate illius eum mihi offerentes. Quod si aliquis siue pater siue mater puerum suum ad seruitium meum offerre voluerit, antequam eũ præsentet, dicat: Promitto Deo quod puerum meum solerti custodia vsque ad intelligibilem ętatem eius custodiam, supplicando , deprecando, exhortando eum vt in seruitio Dei deuotè permaneat. Et si mihi consenserit, festinanter eum ad seruitutem Dei offero: vel si mihi assensum non præbuerit, insons coram oculis maiestatis eius inueniar. Si autem parentes pueri eum his modis vsque ad intelligibilem ætatem eius prosecuti fuerint, si tunc puer se auertens illis consentire noluerit, tũc & ipsi quia deuotionem suam in illo quantum valebant ostenderunt, eum sine voluntate illius non offerant, nec eum ad seruitutẽ illam peruenire cogant, quam nec ipsi ferre nec adimplere volunt.

48 Qui autem deuoto animo se mihi libenter subijcere voluerint, ad hoc strenue exhortandus est vt perueniat , nec per liuorem alicuius maliuolæ animæ à bona intentione sua retrahendus. Nam si quis aliquem illorum qui me sequi desiderant à proposito suo retraxerit , sacrilegium facit, quoniam fœdus meum in mente illius dirupit: quapropter & in recto iudicio rationem inde redditurus est , si in hac nequitia inflexibilis perdurauerit: quia mihi seruire volentem , auertit , quod facere non debuit vt scriptum, est: *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit.*

49 Quid hoc? Cum quælibet anhelans anima, pleno officio scientiæ ita bonum sensum in homine

mine tangit, vt ille aliquam rem perficiat, tunc rem illam voluntas eius confirmat, dicens: Hoc decet ad honorem Dei. Et ita cum bona deuotione & cum iusta reuerentia homo ille promittit Deo, illud ei offerens per osculum cordis, quod est per voluntatem desideriorum suorum. Et tunc illud hoc modo in dotem sanctificationis Deo oblatum est. Quomodo? Quia Deus in illo homine ædificantem voluntatem videns, ita eum per annulum sanctificationis suscipit, vt vir sponsam suam per annulum desponsationis sibi in fœdus colligationis ne ipsam amodo dimittat munire solet. Vnde cum Deus voluntatem illam virilitate animi hominis susceperit, qui se metipsum ita constringit quod relinquit quod habet, & qui magis Deo diuidit quam sibi quod possidet, tunc colligatio huiusmodi consecrationis ita permanebit, nec deuotionem suam relinquet, Quare? Quia illam scientia hominis cognouit, quoniam bonus sensus eius illam intellexit, & quia illam voluntas ipsius ad honorem Dei ædificauit: & ideo siue homo fuerit qui semetipsum ita Deo obtulit, siue animal homini subiectum quod eodem modo ad honorem Dei oblatum est, seu ager fructum proferens qui etiam ita Deo est consecratus, nec pro cariore precio dari, nec sub viliore recompensatione retineri debet, ne honor Dei quasi in contemptibilem æstimationem deputetur.

50 Sed sicut nullus contra voluntatem suam à sæculari via ad spiritualem tramitem conuerti cogendus est, ita etiam qui cum deuotione voluntatis suæ seruitium meum aggressus est, & postea illud contemnens neglexerit, iusto iudicio vt illud recipiat reuocandus est. Quomodo? Si habet æquos rectores & spirituales magistros zelum meũ habentes, ij debent eum ad seruitutem meam reuocare, & hoc primum facient supplicatione, exhortatione, & blando sermone eum linientes, & deinde verberibus & constrictione frigoris & famis & aliis his similibus castigationibus eum corripientes: quatenus his miserijs admonitus, infernales pœnas ad mentem suam reuocet, & eas timens à se putredinem animæ suæ auferat, & ad semitam illam quam deseruerat ita reuocatus redeat, vt etiam de his in Euangelio scriptum est: *Exi in vias & sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea.*

51 Quid hoc? Tu qui spiritualis pastor & iustus rector & rectus magister es, exi de pristinis moribus tuis qui tibi de primo parente tuo adhærent, & vade in viam arctam & angustam, & in compositionem inflexorum præceptorum quæ iustissimi viri in textura Spiritus sancti composuerunt, & acutissime in zelo meo cõsidera eos qui sub præcepto & imperio tuo degentes aut susceperũt aut vouerũt suæ volũtate & nõ ex alterius hominis iniusta coactione sanctũ propositum pacti mei obseruare: & cũ postea illud contẽnentes ad vetera vitia cupiunt redire, hos dulcibus & amaris correptionibus compelle Ecclesiasticam disciplinam intrare, vt domus dotationis meæ tam ex strenue correptis quam ex suauiter admonitis impleatur: quoniam alij ad vitam diuersis castigationibus & alij varijs blandis admonitionibus vocandi sunt. Quomodo? Vt diligens pastor perditam ouem suam solicite requirit, ita & spirituales magistri subiectos suos per diuersa vitia errantes multa diligentia requirere debent, sua scilicet solertia cogentes eos, vt in domum iustitiæ de qua exierunt vel exire volebant reuertantur, vt Ecclesia in vna parte ex amore correptis & in altera ex blande exhortatis ouibus impleatur, & ita ad superna pascua perducatur.

52 Qui autem tunc ita obturati sunt, quod nec propter corporalem castigationem quæ eis à propositis & magistris suis in zelo meo infertur, nec propter timorem meum, quoniam ego sum Deus nolens iniquitatem, nec propter amorem effusi sanguinis filij mei qui pro ipsis passus est se corrigere volunt, sed fidelissimos amicos meos qui vias meas velociter currunt polluere sua putredine laborant, tunc ab amicis meis ne gregem meum contaminent vt lupi expellendi sunt, quemadmodum Paulus amicus meus hortatur dicens. *Auferte malum ex vobis.*

53 Quid hoc? Vos qui in culmine regiminis estis, & qui in humilitate subiectionis manetis, expellite malum illud à vobis quod timorem meum contemnens mihi creatori cœli & terræ contradicit, illud tam forti examinatione à vobis expellentes, vt in conscientia vestra radicem non figat, nec in consortio vestro pedem suum ponat, ne dulcia pigmenta bonorum operum in vobis vilescant. Sed qui ex his in pœnitentia reuerti voluerit, & me creatorem suum puro corde quæsierit, etiam si in extremitate cursus sui venerit, ego tamen suscipiam eum quia cuncta iuste iudico.

54 Qui autem thesaurum cordis sui subtrahendo abscondit dicens, nisi sentiam me moriturum, à sæcularibus causis me non conuertam & ita conuersationem suam vsque ad expirationem animæ suæ differt, & cum iam amplius spirare non valet, diutius præsentem vitam se posse habere desperans sæculo renunciare tentat, hic animam suam decipit: quoniam conuersio eius deceptibilis est: hoc ludificando fecit, vt ludificatio etiam accipitur. Ille vero qui iam morti proximus, toto corde propter peccata sua & propter amorem meum sæculo renunciauerit, scilicet quandiu viuat mihi ardenter seruire desiderans, vere deuotionem eius cum omnibus choris Angelorum suscipio, & ei gloriam vitæ tribuo, Nam quamuis homo in multo crimine occupatus sit, cum tangit peccata sua ita quod amare delicta sua deflet, & hoc simplici oculo facit quia me ad iracundiam prouocauit, ego eum à morte ad saluationem erigo, nec ei supernam hæreditatem denego, secundum quod Psalmista Dauid in spiritu meo testatur dicens: *In quacunque die inuocauerote, ecce cognoui quoniam Deus meus es.*

55 Quid hoc, in quacunque luce vitæ meæ vla claritas supernæ illustrationis in mẽte mea qui in tenebris iaceo, per diuinam gratiam se ostenderit,

derit,ita quod in amaritudine pœnitentię peccatorum meorum & in vulneribus grauati cordis mei inuocauero te qui omnibus te puro corde inuocantibus remedium tuæ pietatis concedis, tunc in eadem visitatione cognoui , quia tu qui hæc misericorditer operaris Deus meus es. Quid est hoc? Cum per gratiam tuam me ad hoc perduxeris,quod te Deum meum in operibus iustitiæ cognouero,ita quod in operibus iniquitatis meipsum damno & reprimo , tunc suscipis me simpliciter te quærentem , & lachrymose post te clamantem atque in viriditate animæ meæ te cognoscentem , quia tu es ille qui hæc facere potes : tunc enim corpus meum in vera pœnitentia contero,& illud quasi pro nihilo habeo. Et cum tali modo pœnitentiam suam homo fecerit,remediũ peccatorũ suorũ inueniet. Quomodo? Quia me Deũ suum cognouit. Quomodo? Quoniam peccata sua deseruit , & ideo per oculum pœnitentiæ videbit quod illa vana fuerunt, quæ prius ardenter in mala concupiscentia perpetrauit.

56 Quapropter nemo negligat remedium pœnitentiæ quærere: quia si illam sanus in corpore neglexerit,studeat tamen vt eam vel in extremo tempore suo inueniat , & ad saluationem eum suscipiam : quoniam quamuis sordes magnæ sint in peccatis , tamen propter filium meum in pura pœnitentia abluuntur , præter hunc qui blasphemiam contra Spiritum sanctum impœnitens dixerit,& qui seipsum in mortem corporis sui obduratus præcipitauerit: quia hæc duo velut vnum sunt. Istos in gloria supernæ vitæ nescio , vt in Euangelio scriptum est : *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus , spiritus autem blasphemiæ non remittetur.*

57 Quid hoc?Omne peccatum quod in superfluitate carnis,aut cum libidine,aut cum amaritudine, aut alijs his similibus vitijs peractum fuerit,seu blasphemia quæ est in cultu idolorum vbi verus Deus ignoratur & falsum figmentum adoratur,aut inuocatio dæmoniorum vbi verus Deus scitur,&tamen in peruersitate hominũ diabolus inuocatur,hæc omnia in pura pœnitẽtia remittentur hominibus,cum per compunctionem lachrymarum ex intimo corde verum Deum omnibus se inuocantibus misericordiam suam misericorditer præstantem fideliter quæsierint. Quoniam quamuis huiusmodi homines grauiter in peccatis errando delinquant, tamen si Deum imperio & potestate in cœlis regnantem omnino non abiiciunt, manum auxilij eius quærentes inuenient. Sed si in infidelitate sua per seuerauerint, ita quod ab hac peruersitate nunquam resipiscant sed fixo corde & anima consentiente Deum omnino abnegẽt,sic intra semetipsos dicẽtes,quid est hoc quod dicitur Deus?Nam Dei non est misericordia aut veritas,vt velit aut possit me adiuuare: & ita impœnitentes diffidant à peccatis suis se posse mundari , aut vllo modo saluari , hi Deum blasphemant : & ob hoc propter nequitiam obdurationis suæ si ita perseuerauerint, remissionem blasphemiæ non percipient : quia intellectum cordis sui ita suffocant , quod sursum suspirare non valent:quoniam illũ per cuius misericordiam saluari deberent,quasi nihilum habent;vt etiam Dauid testatur dicens,*Dixit insipiens in corde suo,non est Deus.*

58. Quid est hoc? Per stultam locutionem qui sapientia & intellectu vacuus erat, Deum in corde suo abnegauit , etiam ad cognoscendum eum insipiens fuit. Quomodo? Quia verum Deum nec scire nec intelligere voluit, cum in obdurato sensu dicebat: Quid est Deus ? Deus non est. Et quid vel ego sum ? Nescio quid sum ? Qui hæc dicit insipiens est , quoniam veram sapientiam qua Deus cognoscitur non habet. Sed quisquis Deum in potestate sua regnantem non ficte cognouit,hic sapiens est, quamuis peccator sit. Vnde quisquis hoc fixum in corde suo habet de Dei misericordia desperat dicens:Deus nihil est, hunc nescio,iam me nesciuit:& hunc nego,quoniam me negauit. Et ideo ille ad vitam non resurget:nec vllum gaudium habere potest , quia omnes creaturæ eum destituunt,quoniam creatorem earum pro nihilo habuit. Sed & ille qui de peccatis suis desperat , ita quod præ magnitudine ponderis eorum se posse saluari non credit,infidelis est:& ideo ad vitam non peruenie, quia illi qui vitam omnibus dat cõtradicit. Quod si quis ex his omnibus pœnitentia ductus me veraciter quæsierit , me inueniet quoniam neminem abijcio qui puro corde recurrit ad me.

59 Si autem nigerrimæ tempestates huius blasphemiæ & desperationis super quempiam hominem ceciderint , & ipse nec in corde suo nec in voluntate sua , nec in sapore perue si gustus eis consenserit, sed in hoc certamine valde cruciatur , tunc si in eodem agone fortiter repugnans perseuerauerit,citius ei subuenio. Et propter has grauedines non dubitet , quia contra maximas procellas eum fortissimum pugnatorem dico, & eum velocius iuuabo atque eum in amicum habebo. Quoniam propter amorem meum tantas aduersitates patienter sustinens nobiliter superauit.

60 Sed & sicut ille qui me verum Deum nullo modo,vlla fide aut spe in corde suo vult scire, ad vitam non resurgit vt dictum est , ita nec ille qui seipsum in mortem corporis sui præcipitauerit;quia separationem illam quam hominibus constitui non expectat , sed seipsum sine vlla spe misericordiæ discindit. Vnde & in perditionem cadit, quoniam hoc occidit cum quo pœnitere debuit. Nam qui illud ab homine separat quod in homine posui,magno reatui se subdit,quemadmodum in Euangelio filius meus ostendit dicens: *Audistis quia dictum est antiquis non occides ? Qui autem occiderit , reus erit iudicio.*

61 Quid est hoc ? Vos qui pedem vestrum super fundamentum petræ ponere vultis, notate quoniam per sonum illum qui de radice rationalitatis exit, percepistis ; quia in verbis scripturæ quæ sensum illum habet quem digitus Dei dedit demonstratum est ijs qui vos in anti-

antiquitate præcesserunt, ne diuiderent in homine quod diuina dispositione in illo coniunctum est. Quid hoc? Quia qui Adæ lignum scientiæ boni & mali interdixit dicens, in quocunque die comederis ex eo morte morieris, hic etiam per Mosen generi eius locutus est, non occides, nec dissipabis quod ad imaginem Dei factum est. Sed sicut Adam præceptum transgressus vita salutis semetipsum & genus suum priuauit, ita etiam homo qui facturam Dei in homine destruit, fideles generationes salutarium operum ab anima & à corpore suo abscindit. Ex hoc etiam reum iudicialis sententiæ se faciens, in exilium miseriæ vadit. Quapropter ille qui tam crudelem separationem in homine fecerit, in multas calamitates se mittit, videlicet hoc separans quod meum est: quia corpus & animam simul in homine coniunxi. Et quis est ille qui hæc audeat separare? Et cum ille in multa grauedine peccati sit qui alium occidit, quid tunc iste erit qui seipsum in mortem tradit? & hoc in puluerem mittit cum quo debuit crimina sua diluere. Nam qui seipsum occiderit perditũ Angelum imitatur, qui primus iniquitatem inueniens seipsum in perditionem tradidit & seipsum in morte occidit. Quomodo? Quoniam Deo inuidit, qui nec ortum habuit, nec finem accipiet, & qui omnia regit quæ in cœlo & in terra sunt. Et sicut superbus ille diabolus noluit aspicere in me cum seipsum in perditionem deiecit, sic nec is homo me scire dignatur qui seipsum violenter discindit: vnde & in mortem cadit, sicut & ille cum semetipsum in perditionem præcipitauit. Nam antequam corrueret, iniquitatem suam super pennas ventorum eleuare voluit, & quasi volatile quod in aëre volat, sic in cœlestibus volare tentauit. Vnde & in hac præsumptione, semetipsũ à beatitudine in infœlicitatem deiecit. Sed ego de terra formaui hominem vt ab inferioribus ad superiora cõscenderet, & vt incipiẽdo & perficiẽdo bona opera sursũ præclaras virtutes ad ardua ædificaret. Quapropter & homo qui & corpus & animã habet, cũ bona operari potest & cũ pœnitere valet, semetipsum nõ occidat: ne postea locum illum recipiat, vbi nec opus nec pœnitentiam habere potest: sicut & diabolus qui dum semetipsum occideret, in tartara deiectus est. Sed qui vigilantibus oculis videt & attentis auribus audit hic mysticis verbis meis osculum amplexionis præbeat quæ de me viuente emanant.

VISIO SEXTA.

De Eucharistia.

ET Post hæc vidi cũ filius Dei in cruce pependit quod prædicta muliebris imago veluti lucidus splendor ex antiquo consilio propere progrediens per diuinam potentiã ad ipsum adducta est, & sanguine qui de latere eius fluxit se sursum eleuante perfusa, ipsi per voluntatem superni patris fœlici desponsatione associata est, atq; carne & sanguine eius nobiliter dotata. Et audiui vocem de cœlo illi dicentẽ Hæc fili sit tibi sponsa in restaurationem populi mei, cui ipsa mater sit, animas per saluationem spiritus & aquæ regenerans. Et cum eadem imago iam hoc modo in viribus suis proficeret, vidi quasi quoddam altare ad quod ipsa frequenter accedens dotem suam deuote reuisebat, eam supernoPatri & Angelis eius humiliter ostendens. Vnde etiam cum sacerdos sacris vestibus indutus ad celebranda diuina sacramenta ad altare illud accederet, vidi quod subito magna serenitas lucis cum obsequio Angelorum de cœlo veniens, totum altare illud circunfulsit, & ibi tamdiu permansit quousq; cõpleto sacramẽto sacerdos ab altari secederet. Sed & ibi Euangelio pacis recitato, & oblatione quæ consecranda erat altari superposita cum sacerdos laudem omnipotentis Dei quæ est, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth decantaret, & sic mysteria ineffabilium sacramentorum inchoaret, repente ignea coruscatio inæstimabilis claritatis aperto cœlo super eandem oblationẽ descendit, & eam totam sua claritate ita perfudit, vt solaris lux rem illam illustrat quam radijs suis transfigit. Et dum eam hoc modo irradiaret, sursum illam ad secreta cœli inuisibiliter sustulit, & iterum eam deorsum super ipsum altare remisit: velut cum homo anhelitũ suum introrsum trahit, & iterum eum extrorsum emittit, ita veram carnẽ & verum sanguinem effectam quamuis in conspectu hominũ, velut panis & velut vinum appareret. Cumq; hæc aspicerẽ, statim etiã signa natiuitatis, passionis, & sepulturæ, nec non resurrectionis & ascensionis Saluatoris nostri vnigeniti Dei velut in speculo apparuerũt, quomodo etiam cum filius Dei in sæculo esset in ipso patrata sunt. Sed dum sacerdos canticum innocentis agni quod est Agnus Dei qui tollis peccata mundi decantaret, & ad percipiendum sanctã communionem se exhiberet prædicta ignea coruscatio ad cœlestia se recepit, & ita clauso cœlo audiui vocẽ ex eo dicentẽ: Manducate & bibite corpus & sanguinem filij mei ad abolendam præuaricationem Euæ, vt in rectam hæreditatẽ restauremini. Et dum etiã cæteri hominũ ad percipiendũ ipsum sacramentum ad sacerdotem accederẽt, quinq; modos in eis cõsyderabã. Nã alij in corpore lucidi & in anima igneierãt: alij aũt in corpore pallidi & in anima tenebrosi videbãtur. Quidã vero in corpore hirsuti & in anima multa imunditia humanæ pollutionis perfusi sordebãt. Quidã autẽ in corpore acutissimis spinis septi erãt & in anima leprosi apparebãt. Alij vero in corpore sanguinei, & in anima velut putridum cadauer fœtidi videbãtur. Sed ex his omnibus dum quidam eadem sacramenta perciperent, alij velut igneo splendore perfũdebãtur, alij vero velut obscura nube obtenebrabãtur. Post cõpletionem autem sacramentorum dum sacerdos ab altari recederet prædicta serenitas quæ de cœlo veniens totum illud altare (vt dictum est) circumfulserat, sursum ad superna secreta subtracta est. Et iterum audiui vocem de supernis cœlorum dicentem mihi: Christo Iesu vero filio Dei in ligno passionis suæ pendente. Ecclesia in secreto supernorum mysteriorum ipsi associata, pur-

purpureo sanguine eius dotata est. Sicut & ipsa demonstrat, cum frequenter ad altare accedens dotem suam reposcit: & quanta deuotione filij eius ad diuina mysteria accedentes ea percipiant, attentissime considerat.

2 Quapropter vides cum idem filius Dei in cruce pependit, quod prædicta muliebris imago velut lucidus splendor ex antiquo consilio propere progrediens per diuinam potentiam ad ipsum adducta est, quia eodem innocente agno in aram crucis pro salute hominum eleuato, Ecclesia in puritate candoris fidei & cæterarum virtutum ex diuino secreto repente per profundissimũ mysterium apparens in cœlo, per summam maiestatem eidem vnigenito Dei adiuncta est. Quid est hoc? Quia cũ de vulnerato latere filij mei cruor exiuit, mox saluatio animarum exorta est. Quoniam gloria illa de qua diabolus cum sequacibus suis expulsus est, homini data est, cum vnigenitus meus mortem in cruce temporaliter subiens, inferno spoliato fideles animas ad cœlestia duxit: ita etiam quod in discipulis suis, & in iis qui eos syncere subsecuti sunt, fides iam augmentari & corroborari cœpit, vt hæredes cœlestis regni fierent. Vnde sanguine qui de latere eius fluxit se sursum eleuante, illa imago perfusa, ipsi per voluntatem superni patris fœlici desponsatione associata est, quoniam fortitudine passionis filij Dei ardenter inundante & ad altitudinem cœlestium mysteriorum se mirabiliter tollente, quemadmodum odor bonorum aromatum se in sublime diffundit, ex ea in candidis hæredibus æterni regni Ecclesia roborata eidem vnigenito Dei per ordinationem superni patris fideliter coniuncta est. Quomodo? Vt sponsa sponso suo in subiectionis & obedientiæ obsequio subiecta fertilitatis donum cum fœderis amore ab eo in procreatione filiorum accipiens, vt eos ad hæreditatem suam adducat: ita etiam Ecclesia filio Dei in humilitatis & charitatis officio coniuncta, regenerationem spiritus & aquæ cum saluatione animarum ab eo ad restaurationem vitę susciens eas ad superna transmittit. Vnde etiam carne & sanguine eius nobiliter dotata est: quia ipse vnigenitus Dei corpus & sanguinem suum in pręcellentissima gloria fidelibus suis qui & Ecclesia & filij Ecclesię sunt, ita contulit, vt vitam in superna ciuitate per ipsum possideant.

3 Quomodo? Quia ipse carnem & sanguinem suum in sanctificationem credentium dedit, vt etiam cœlestis pater ipsum pro redemptione populorum ad passionem tradidit: ita serpentem antiquum in humilitate & iustitia per eum deuincens, nec illum potestate & fortitudine sua superare volens; quoniam Deus iustus nolens iniquitatem, quemadmodum Psalmista loquitur, dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

4 Quid hoc? Quoniam Deus est author omnium beatitudinum & felicitatum creaturarum suarum, in ipsis creaturis suis multa & diuersa signa ostendens. Sicut etiam incarnatio filij eius suauissimum gustum in multa dulcedine stillabat, cum cœlestes virtutes, plurimas ædificationes in ipso ædificarent, per quas homo ad supernum regnum rediret, quod nulla vmbra mortis obscuratum est. Et ita etiam ipso superno patre validissimæ vires omnium virtutum esse manifestatę sunt. Quoniam per vnigenitum suum mortem viriliter occidit, & infernum fregit: atque in nouissimo die orbem terrarum in aliam & meliorem nouitatem conuertit. Vnde etiam per diffusionem cordis sui non abiit in vacillantia itinera malignorum spirituum, qui veritatem reliquerunt & mendacium arripuerunt. Quomodo? Quia veritatem per mendacium diuidere voluerunt. Quomodo? Antiquum dierum qui ante tempus dierum & horarum erat, opprimere volebant, & antiquum serpentem qui ante tempus temporum non fuit, illi consortem facere inhiabant. Sed hoc esse non potuit nec debuit, quoniam vnus Deus est. Quapropter & diabolus mendax est. Nam à Deo recessit vitam deserens & mortem inueniens. Et ita etiam Deus in via illa qua peccatores gressum figunt, non stetit; quia viam Adæ abiiciens peccatum illius nõ amauit, sed illum à diabolo seductum de paradiso proiecit. Nec etiam in potestate vllius iniquitatis regnauit, quemadmodũ omne genus humanum in mortem implicatur in vmbra mortis sedens cum genus humanum veritatem superbe deserit. Quid hoc? Nam Deus nec diabolicę prę sumptioni nec humanæ negligentiæ ita potestate sua restitit, vt eas per fortitudinem suam deiiceret. Quomodo? Velut si duo pugnatores essent, & alter alterum fortioribus viribus prę celleret, certe fortior ille maiores pugnas in sua posibilitate illi infirmiori demonstraret, vt confusum illum sibi subiiceret, nec in aliquo illi cedere vellet. Sed ita Deus non fecit, quia operi iniquitatis per summam bonitatem restitit, videlicet filium suum mittens in mundum, qui in corpore suo cum maxima humilitate perditam ouem suam ad cœlos reduxit. Quomodo? Quoniam sanguis qui de corpore eius exiuit, mox vt apertis vulneribus emanauit in cœlestibus secretis apparens, vt saluatio animarum emitteretur petiuit. Quomodo? Quia omnis creatura in filio Dei ostendit, quod per passionem & mortem eius perditio hominis ad vitam restaurata est. Quomodo? Quoniã vnigenitus Dei vita existens, semetipsum pro redemptione humani generis ad passionem in ara crucis obtulit. Vbi etiam vt veraci auditione vocem de supernis secretis resonantem percepisti, sponsam sibi Ecclesiam vt ad restitutionem salutis credentium populorum mater existeret, elegit. Videlicet vt sine macula spirituali regeneratione ad cœlestia eos transmitteret.

5 Sed præfata imagine iam hoc modo in viribus suis proficiente, vides quasi quoddam altare, ad quod ipsa frequenter accedit, & ibi dotem suam deuote reuisens eam superno Patri & Angelis eius humiliter ostendit, quia Ecclesia vt dictum est in beatis & fortissimis virtutibus augmentum capiente, mox velut tibi manifesta demonstratione ostenditur, Spiritu sancto inspirante sanctificatio mysticorum altarium in profunditate fidelium suspiriorum exorta est. Vbi eadem Ecclesia continua intentione vestigia exemplorum suorum ponens,

Cur iuxta altare accedat.

ponens, dotem suam videlicet corpus & sanguinem filij Dei profundissima deuotione considerando, creatori omnium in conspectu viuentium & ardentium luminum scilicet supernorum ciuium, in subiectione humillimæ obedientiæ offert. Quid hoc? Quoniam vt caro vnigeniti mei in incontaminato vtero Mariæ virginis orta est, & postea pro salute hominum tradita, ita etiam & nunc caro eius frequenter in incorrupta integritate Ecclesiæ augmentata, ad sanctificationē fidelium datur. Quia sicut faber aurum suum per ignem modo liquefaciens vnit, & modo vnitum diuidit, ita etiam & ego pater carnem, & sanguinem filij mei, per sanctificationem Spiritus sancti, in oblatione nunc glorifico, & nunc glorificatū fidelibus hominibus ad salutē ipsorū distribuo

Quid sit serenitas lucis cum obsequio Angelorum.

6 Vnde etiam cum sacerdos sacris vestibus indutus ad celebranda diuina sacramenta ad altare accedit, vides quod subito magna serenitas luciscum obsequio Angelorum de cœlo veniens, totum altare illud circumfulget, quoniam procuratore animarum sacrata cinctione circumamicto, & ad immolationem innocentis agni viuificam mensam adeunte, repente magna claritas supernæ hæreditatis densitatem tenebrarum pellentis cum immissione supernorum spirituum de secreto cœlorum effulgens vbique illam compositionem sanctificationis irradiat. Quia ibi refectio animarum ad salutem credentium exercetur. Quomodo? Quia cum Ecclesia per vocem sacerdotis reposcit dotem suam, quæ corpus & effusio sanguinis filij mei est, vt ipsa in saluatione animarum beato partui apta sit: quia etiam in effusione huius precioli sanguinis in magna multitudine populorum augmentum accepit, tunc ego qui indeficiens lumen sum, locum sanctificationis illius ad honorem corporis & sanguinis eiusdē vnigeniti mei, in sanctitate mea irradio.

7 Nam cum sacerdos super sanctificationem altaris me inuocare cœperit vt inspiciam quod filius meus panem & vinum in cœna mortis suæ mihi obtulit cum de mundo transiturus esset, tunc video quod ipse filius meus in hora passionis suæ hoc mihi ostendit, cum in ligno crucis moriturus esset, illud designans vt eandem passionem suam in conspectu meo semper haberem, nec illam ab acutissima visione mea delerē quoties fœlix oblatio sacrosancti sacrificij per sacerdotale officium mihi offerretur. Quoniam & ipse in effusione sanguinis sui panem & calicem mihi obtulit, mortem deijciēs & hominem erigens.

8 Sed & quia dignitas ingredientis & egredientis clausuram virginalis pudicitiæ, non fuit humanæ naturæ, sed diuinæ potentiæ, ideo & hoc esse potest, quod caro ipsius vnigeniti mei de pane frumenti, & sanguis eius de vino vuæ cum aqua in sanctificatione iteretur: quemadmodum per fidelem seruum meum Ioelem Prophetam ostendi dicens: *Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locusta & bruchus, & rubigo & eruca. Fortitudo mea magna quam misi in vos. Et comedetis vescentes & saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia: & non confundetur populus meus in sempiternum.*

9 Quid est hoc? Per mirabilem dispositionem Dei implebuntur omni bono areæ fidei credentis Ecclesiæ Quoniam fructum frumenti trado in carnem filij mei: ita quod etiam in vera saluatione qua fideles mei ad patriam reuocabuntur, abundabunt contritiones illæ in quibus ipsi concupiscentias carnis suæ propter nomen meum conterunt. Vbi & eis liquorem vuæ duco in sanguinem eiusdem vnigeniti mei, dans eis etiam oleum misericordiæ. Quomodo? Quoniam per alium modum scilicet in salute vestra restituam vobis circuitus vanitatum illarum, quos per infidelitatem ignorantiæ comedit locusta obliuionis, videlicet vbi primum in filijs Adæ nequitiæ exortæ sunt. Ita quod ipsi fructuositatem iustitię meæ hoc modo in obliuione habebant, vt homo escam necessitatis suæ obliuiscitur postquam in stomachum suum illam transfuderit, in impietate sua ita iustitiam meam discerpentes, vt & locusta fructus corrodit. Quomodo? Quia vbi locusta negligentiæ per delidiam mentis vtilitatem bonorum fructuum aufert, ibi & bruchus fœditatis in fœce immundiciæ se inuoluit. Quoniam huiusmodi homines se inuoluentes sordē infidelitatis idolorum & aliorum similium schismatum, & in diabolicis scisitationibus atque in magicis artibus, & in inspectione creaturarum creatoris, in fortuitis casibus humanarum rerum atq; in vilissima fœditate homicidiorum & fornicationum, ita se in his pascunt quemadmodum bruchus luto nutritur. Quomodo? Quoniam vbi bruchus turpitudinis fœtorem sordiū diligit, ibi etiam rubigo amaritudinis metalla fidelis splendoris consumit. Quia illi homines iustitiæ Dei contrarij existentes ita eam offuscare laborant, vt & rubigo decorē metallorum auferre solet. Quomodo? Quia vbi rubigo mordacitatis fulgorem bonorum actuum inficit, ibi etiam eruca nociuæ actionis virentes herbas multæ vtilitatis deprauat. Quoniam tales homines clarissimas virtutes veluti est simplicitas, castitas, ac fortis constantia, quas Spiritus sanctus in omni viriditate beatitudinis irradiat, per malitiam nequitiæ suæ de se abiicientes, ita illas delere conantur, quemadmodum & eruca vtilitatem herbarum imminuit. Et in his omnibus declaratur maxima fortitudo mea quæ magnitudine virtutis suæ diabolicas aduersitates superauit, cum eam ad salutem vestram misi in vos. Quomodo? Ego pater misi filium meum in mundum de virgine corporaliter natum, vt per eum de perditione mortis vos redimerem. Ita vt ego in vobis, & vos in me habitaretis, cum etiam filius meus ad passionem vadens carnem suam vobis ad manducandum, & sanguinem suum vobis ad bibendum tradidit. Vnde sacramentum hoc ad salutem vestram deuote comedetis, per illud vos fœliciter pascentes, ac propterea per oleum misericordiæ meæ de fame perditionis animæ saturabimini. Quoniam etiam filius meus medicinam vulnerum vestrorum in pœnitentia attulit, & quia etiam sponsa filij mei omni iustitia & veritate exornata est, idcirco nomen meum (qui in vera trinitate Deus vnus existens vos guberno

osten-

ostendens in vobis mirabilia mea, vos scilicet immobiliter de diabolica potestate eripiens) fideliter laudabitis. Et ideo per confusionem mortis non confundetur populus meus in futura æternitate, quem tam mirabiliter de faucibus inferorum volui educere.

Quid sereni-tas per-manens.

10 Et vides quod prædicta serenitas in altari tam diu permanet quousq; completo sacramento sacerdos ab altari secedat, quia illa serenitas scilicet æternæ visionis in mirabilibus illis tam diu clarissime ostenditur vsq; dum peractis eiusdem sacrosancti officij mysterijs ille qui dispensator illorum sacramentorum est, à sanctificatione illa se recipiens secreta mysteria compleat. Quid hoc? Quoniam dignum est vt diuina maiestas virtutem suam in eisdem fœlicissimis sacramentis plenissime manifestet, & qui etiam dum homo manet in ijs quæ ad Deum pertinent, auxilium Dei illum non deserit.

11 Sed & ibi Euãgelio pacis recitato, & oblatione quæ consecranda est altari superposita cũ sacerdos laudẽ omnipotentis Dei quæ est, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth decantat, & sic mysteria ineffabilium sacramentorũ inchoat, repente ignea coruscatio inæstimabilis claritatis aperto cœlo super eandem oblationem descendit, quoniam virtute viuentis spirationis in osculo regis prolata, & fructu claritatis vitæ qui in sanctificatione candidandus est ędificationi parietis Dei impositio, cum idẽ nuncius veritatis dulcissimum sonum in laude creatoris omniũ trina inuocatione vnctionis eiusdẽ dominatoris exercituum emittit, & sic absconsa fulgoris auroræ scilicet incarnati filij Dei ex virgine inchoat, imperuia serenitas incomprehensibilis altitudinis aperto clarissimo tabernaculo super mysteria sacrosancti sacramenti se inclinat, & eam totam sua claritate ita perfundit vt solaris lux rem illã illustrat, quam radijs suis transfigit, quia eundem rutilantem circulũ eiusdem oblationis sanctissimus calor in virtute patris ita perfundit, vt radians fulgor rem illam intrat super quam se diffundendo iacit. Quid hoc? Sponsa filij mei, oblationem panis & vini super altare meum deuotissima intentione offert. Quomodo? Videlicet per manum sacerdotis fideli recordatione monens me, vt in eadem oblatione carnem & sanguinem filij mei ipsi tradam. Quomodo? Quia passiones eiusdem vnigeniti mei in cœlestibus secretis semper apparent, ideo & illa oblatio filio meo in ardente calore meo profundissima admiratione ita coadunatur, vt caro & sanguis eius veracissima certitudine efficiatur, vnde Ecclesia fœliciſſima vegetatione roboratur.

12 Nam dũ præfata claritas oblationem illã ita (vt dictum est) irradiat, sursum eã ad secreta cœli inuisibiliter sustollit, quia eadem ignea coruscatio dũ ipsum sacramentum sua illustratione perfundit, sursum illud ad illa occulta quæ mortalis oculus videre non valet inuisibili virtute trahit. Et iterum illud deorsum super idem altare remittit: quoniam ipsum condescensionis respectu super mensam sanctificationis suauissime deponit; veluti cũ homo anhelitum suum introrsum trahit & iterum eum extrorsum emittit, dũ ipse spiraculũ viuẽtis vegetationis quo viuit per mirabilẽ dispositionem Dei sibi introrsum mittit & rursum vt viuere possit extra se deducit. Ita eã oblationẽ verã carnẽ & verum sanguinem effectam, quamuis in conspectu hominum velut panis & vinum appareat, quia vt Deus verax est sine illusione, ita etiam & illa altitudo sacramenti firma altitudo est, quã nullus deijcere potest, vera caro & sanguis existẽs absq; deceptione. Quoniã vt anima veraciter viget in carne & sanguine dũ homo viuit in corpore, ita est etiam hoc mysterium in pane & vino vbi colitur veraci celebratione. Sic etiã apparẽs hominibus, quia vt cæcus oculus hominis Deum perfecte videre non potest, ita etiã homo mysteria ista corporaliter intueri nõ valet. Quoniã vt homo corpus hominis & nõ spiritũ eius videt, sic etiã homo panis & vini speciẽ & non hæc sacramẽta perspicere potest. Quid hoc? Claritas quæ super corpus filij Dei in sepulchro sepultũ apparuit ipsum à sopore mortis resuscitans, hęc etiã in altari super sacramentũ corporis & sanguinis eiusdem vnigeniti mei resplendet. Illud ita in conspectu hominum tegens, quod sanctitatem eius videre non possunt, nisi in specie panis & vini secundum quod illa oblatio altari superposita est: sicut etiam humanitate filij Dei diuinitas quæ in ipso erat ita hominibus obtecta fuit, quod eum non nisi vt hominem videre potuerunt cum ipsis vt hominem, sed tamẽ sine peccato conuersantem. Quid hoc? Ego qui omnia creaui, cum ab Ecclesia per sacerdotalem manum prædicta oblatio mihi offertur, eam benigne suscipio. Quoniam vt diuinitas mirabilia sua in vtero virginis ostendit, etiam in hac oblatione secreta sua demonstrat. Quomodo? Quia caro & sanguis filij Dei manifestatur.

13 Quomodo? Quoniã dũ oblatio illa sursum inuisibiliter velut in puncto per virtutẽ Dei trahitur, & iterũ remittitur, ita in calore diuinæ maiestatis fouetur, quod caro & sanguis vnigeniti Dei efficitur. *Idẽ* mysteriũ hominib. carnali sensu nõ cernẽtibus quasi aliquis pretiosissimũ vnguentũ simplici pani inuoluerit, & saphyrum vino imponet, & ego illud in tam dulcem saporẽ conuertere vt in ore tuo ô homo nec panem illum cũ vnguẽto nec vinũ illud cũ saphyro discernere posses, sed tantum suauem saporem sentires, quoniam & filius meus suauis & lenis est. Quid hoc? In vnguẽto hoc intelligitur filius meus ex virgine natus, qui preciosissimo vnguento vnctus est. Quomodo? Quia sãcta humanitate indutus est, quæ tam preciosum vnguentũ est, quod suauitate sua mortifera vulnera hominũ ita perfundit, vt vltra in perditione Adæ, nec putrescant, nec fœteant cum se ad illum conuertunt. In saphyro autẽ isto diuinitas notatur, quæ in eodem filio meo est, qui lapis angularis existens mitis & humilis est: quoniam de radice humanæ carnis qui de viro & muliere est non radicauit, sed in calore meo mirabiliter ex suauissima virgine incarnatus est. Vnde etiam caro & sanguis eius dulcis & suauis ad sumendum credendus est.

14 Sed tu ô homo hoc spirituale dorũ ita visibi-

liter sumere non potes velut visibilem carnem comedas, & velut visibilẽ sanguinem bibas quoniã putredo limi es: sed vt viuens spiritus tuus in te inuisibilis est, ita etiam hoc viuens sacramentum in oblatione ista inuisibile existens, à te inuisibiliter susciendũ est. Quia quemadmodum corpus filij mei in vtero virginis surrexit, sic etiã & nunc caro eiusdẽ vnigeniti mei in sãctificatione altaris ascendit. Quid hoc? Nam spiritus hominis qui inuisibilis existit, sacramentũ hoc quod in obligatione hac inuisibile est, inuisibiliter suscipit, corpore hominis quod visibile est oblationem istam quæ in sacramento visibilis existit visibiliter accipiẽte, ita tamen vnum sacramentum existẽtibus, sicut Deus & homo vnus Christus est, & vt anima rationalis & caro mortalis in homine vnus homo existit, quoniã homo quirecta fide me inspicit, cũ sacramẽtũ istud accipit, ad sãctificationẽ sui illud fideliter suscipit. Quid hoc? Filius meus mirabiliter natus est, ex integerrima virgine, cuius caro in delectatione libidinis nunquam efferbuit semper intacta manens, quia vas ipsius virginis mundissimum fuit, in quo ipsum vnigenitum meum incarnari volui. Vnde etiam non permisi vt vas ipsum ipsius suauissimæ virginis in calore ardoris diffluere, quoniam in eo filius meus humanum corpus mirabiliter suscepit.

15 Sed quod ipsa beatissima virgo per Angelicum sermonem in eodem secreto veram allocutionem audiuit & exinde credula effecta suspiria mentis suæ sursum tenuit cum diceret: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, mox vnigenitum Dei Spiritu sancto superueniẽte concipiens, designat quod omnipotens Deus per verba sacerdotis in officio sacerdotali inuocãdus est. Ita quod sacerdos fideliter in Deũ credens, & cum deuotione cordis sui puram oblationem ipsi offerens, verba salutis in obsequio humilitatis dabit, vbi & superna maiestas eandẽ oblationem suscipiens in carnẽ & sanguinẽ pij redẽptoris, mirabili virtute tranffundit. Quomodo? Quia vt filius meus mirabiliter prius humanitatem in virgine suscepit, ita etiam & nunc oblatio hæc mirabiliter caro & sanguis eius in altari efficitur. Vnde & hoc sacramẽtũ totũ & integrũ est, inuisibile & visibile existens, vt etiã vnigenitus meus totus integer est secundũ diuinitatẽ inuisibilis, & secũdum humanitatem visibilis in sæculo manens.

16 Nam vt pullus auium de ouo egreditur, & vt volatilis vermiculus de exiguo grano oritur, quo animali auolante illud remanet de quo ipsum ortum est, ita etiam in oblatione ista veritas carnis & sanguinis filij mei per fidem tenenda est, quamuis eadem oblatio in conspectu hominum velut panis & vt vinum apparet.

17 Vnde etiam vt aspicis signa natiuitatis, passionis & sepulturæ, necnon resurrectionis & ascẽsionis saluatoris vnigeniti Dei velut in speculo ibi apparent, quomodo etiam cum filius Dei in sęculo esset in ipso patrata sunt, quoniam (vt vera manifestatione consideres) mysteria nascentis ex virgine & patientis in cruce, ac sepulti in sepulchro, nec non resurgentis à mortuis, & ascendentis ad cœlos, videlicet illius qui pro salute hominum ad terras venit pũrissima claritate in eisdem sacramentis fulgent, vt etiam cum idem vnigenitus Dei temporaliter in mundo cum eisdem conuersaretur per voluntatem patris pro redemptione humani generis ea in suo corpore passus est. Quid hoc? Quia ante oculos meos apparet quid filius meus propter amorem hominis in mundo passus sit. Quoniam natiuitas, passio, & sepultura, resurrectio & ascensio vnigeniti mei, mortem humani generis occiderunt. Vnde & ea in cœlestibus coram me fulgent, quia eorum non sum oblitus, sed vsque ad consumationem sæculi quasi aurora ante me in multa claritate apparebunt. Quid hoc?

18 Quoniam in illa passione vsq; ad finem mundi omnes illos præuideo qui eam crediturí sunt & qui eam abiecturi, quia ipsa coram me semper fulgebit, quãdiu homo id dicere debet quod filius meus discipulos suos docuit, vt Deũ orarent, sicut scriptum est: *Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quid hoc? Tu qui omnia in potestate tua habes, inspice effusionem illius sanguinis qui pro humano genere effusus est, & dimitte nobis qui filij transgressionis sumus debita nostra quæ tibi persoluere debuimus, sed propter incarnationem cordis nostri non fecimus. Quid hoc? Quia quod in baptismo promisimus non adimplemus, quoniam præcepta tua transgressi sumus & innocentiam abiecimus, sicut & Adam in paradiso tibi non obediuit & vestem innocentiæ corrupit. Sed tu qui pius es noli punire nos secundum nequitiam nostram, sed relaxa nobis transgressionem nostram secundum pietatem tuam, sicut & nos qui præuaricatores sumus quamuis multam malitiam in nobis habeamus, tamẽ propter timorem & amorem saluatoris nostri dimittimus ex corde nostro debitoribus nostris iniuriam illam, quã nobis intulerunt. Quomodo? Quoniam illos qui nos diligere deberent quia homines sumus, in multis nos conturbantes & per hoc te non amantes sed præcepta tua negligentes, non persequimur secundum malitiã illam quam in nos exercuerunt, sed iustum iudicium tuum inspicientes non vindicamus nos in eis quantum possumus: ita & tu ô Deus nobis sis propitius, quoniam iustus & bonus es. Tu ergo audi ô homo quia quandiu tibi subueniendum est, & quamdiu tu alijs hominibus succurrere potes, tamdiu passio filij mei corã mein misericordia apparebit, & tamdiu etiam caro & sanguis eius in altari consecrabitur ad percipiendum, credulis hominibus ad saluationem & ad purgationẽ criminum eorum. Nam cum vnigenitus meus in mundo corporaliter esset, corpus eius in nutrimento carnis & sanguinis sui de frumẽto & vino sustentatum est: vnde etiam & nũc in altari caro & sanguis eius in oblationem frumenti & vini consecratur, quatenus inde fideles homines in anima & corpore reficiantur. Quoniam idem filius meus hominem de perditione Adæ mirabiliter redemit, & nunc etiam homines de quotidiano malo in quo frequenter prolabuntur misericorditer absoluit. In consecratione enim prædictæ oblationis apparet, quicquid filius

meus

meus in carne sua pro redemptione hominis corporaliter passus est: & hoc nolo abscondere, quia electos eius sursum ad cœlestia traho vt per ipsos corpus eius in prædictis membris perficiatur.

19 Quapropter & ego omnia sacramenta hæc in oblatione ista mirabiliter demonstro, quoniam cum ea super altare apparuerint, tunc etiam caro & sanguis filij mei eadem oblatio fit, tamen in conspectu hominum panis & vinum apparens: quia tam tenera est fragilitas hominis, quod crudam carnem & crudum sanguinem percipere abhorreret. Nam mortalis homo diuinitatem non potest inspicere quamdiu mortalis est. Vnde etiam mysterium hoc quod totum est diuinitatis, ipsi homini obscuratum est, ita quod illud inuisibiliter percipiet, quia & idem vnigenitus meus nunc immortalis existens vltra non moritur. Quapropter & ego ô homo carnem & sanguinem eius in oblatione panis & vini tibi trado, quatenus per illud quod visibile est illud quod inuisibile est, in vera fide percipias. Et idem sacramentum in vera certitudine per diuinam potentiam suscipis, ita tamen quod tibi visibile non apparet: vt etiam in magna necessitate illud electis meis, cum per hoc in magna afflictione positi essent, aliquando demonstratum est. Hæc autem omnia propter amorem, & propter vtilitatem hominis facio. Sed omnis creatura præceptis meis subiecta est, tu vero ô homo mihi semper rebellis existis. Vnde cæcus & surdus es, sed tamen mihi rebellare non potes. Nonne facio te non vidente quod mihi placitum est? Tu autem non vides oculis tuis nec audis auribus tuis in carne, quomodo animam hominis in corpus eius immittam, & quomodo illam de corpore eius auferam: sed anima tua intelleget me, cum mortale corpus suum reliquerit. Sic etiam carnem filij mei trado tibi ad manducandum & sanguinem eius ad bibendum, & hoc in potestate mea te ô homo non vidente efficio.

Cuignea coruscatio ad cœlos recipiatur

20 Quapropter vt vides dum idem sacerdos canticum innocentis agni, quod est Agnus Dei qui tollis peccata mundi decantat, & ad percipiendum sanctam communionem se exhibet, prædicta ignea coruscatio ad cœlestia se recipit, quia eodem ministro laudem illius qui in innocentia mansuetudinis suæ tulit piacula hominum denunciante, & interiora pectoris sui cum exteriore deuotione ad eadem sacramenta aperiente illa inuicta claritas quæ ibi virtutem suam ostendit, ad superna secreta se subtrahit & ita clauso cœlo, id est se subtrahentibus eisdem cœlestibus mysterijs, audis vocem ex alto dicentem me credentes & fideles homines manducent & bibant cum vera deuotione carnem & sanguinem saluatoris sui, qui pro ipsis passus mortem temporalem subiit: ad abluendam contaminationem illam quam primi parentes præceptum Dei transgressi mundo intulerant, quatenus ipsi ab hac præuaricatione emundati, rectæ hæreditati quam in obedientia perdiderant, fide restaurentur. Nam sicut vnigenitus Dei in cœna corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, ita etiam & nunc in altari carnem suam & sanguinem suum dat fidelibus suis.

Vis. Hildeg.

Quemadmodum homo cum opus voluntatis suæ perfecerit, illud ad vtendum hominibus tribuit. Quia ipse filius Dei præcepta patris sui peragens, semetipsum pro salute hominum obtulit, & corpus & sanguinem suum ad sanctificationem eorum ad manducandum & ad bibendum dedit: vt etiam in Cantico Canticorum Sponsus amicis suis loquitur dicens: *Comedite amici mei, bibite & inebriamini charissimi.*

21 Quid hoc? Comedite in fide vos qui per sanctum baptisma ad amicitiam meam venistis, quoniam effusus sanguis filij mei lapsum Adæ vobis absterst, ruminantes veram medicinam in corpore vnigeniti mei vt iterata crimina vestra cum frequenter iniustitiam in operibus vestris operamini, vobis misericorditer abstergantur. Vnde etiam bibite in spe ex hac vite quæ vos de æterna pœna eduxit, sumentes poculum salutis, videlicet vt firmiter & viriliter in illam gratiam credatis qua redempti estis. Quoniam & sanguine illo perfundemini, qui pro vobis effusus est. Et ita inebriamini in charitate qui mihi charissimi estis, abundantes in riuulis scripturarum: quatenus cum summo studio à carnalibus desideriis vos subtrahatis, vt & ego præclaras virtutes valde mihi amabiles in vobis exsuscitem, tradens etiam vobis corpus & sanguinem vnigeniti mei sicut & ipse discipulis suis idem sacramentum dedit, vt in Euangelio scriptum est: *Cœnantibus autem eis accipiens Iesus panem benedixit ac fregit deditq; discipulis suis & ait: Accipite & comedite hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis. Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.*

22 Quid hoc? Filio Dei vna cum discipulis suis consumationem illam celebrante, qua ipse transiturus erat de mundo, videlicet cum in terrenis causis diutius conuersari non debuit vt prius fecerat, sed in voluntate patris ad passionem crucis perdurans, summa deuotione accepit pro salute hominum panem in recordationem corporis sui toto desiderio patrem suum mouens, vt quomodo de eo exiuit & quomodo ad eum redire voluit ita etiam ipse inspiceret si possibile esset, vt à fragilitate carnis suę calix ille quem erat bibiturus transiret, quamuis hoc fieri nõ deberet. Vnde & panem illum benedixit in recordatione sudoris corporis sui, cum præcepto patris se subdens scilicet in cruce mori volens in angustia eiusdem passionis corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit. Ita etiam ne & ipsi obliuiscerentur, quod eis hoc exemplũ dedisset. Ac fregit eis: quia quãuis passio illa corpori suo dura esset, tamen patri suo obediens crudelissimã mortem in morte corporis sui vicit, designans etiam quod in eum credentibus caro sua & sanguis in sacramento oblationis esset tradenda. Detitque ad veram salutem eisdem discipulis suis, ita vt & ipsi hæc in nomine eius facerent, sicut & ipse ea propter amorem eorum faciebat, mitissima voce dicens: Vos qui humiliter

me sequi vultis, ardenti amore accipite hoc exemplum quod relinquo vobis, videlicet passionem meam & opera mea, quæ in præcepto patris mei compleui, quoniam ipse misit me docere & ostendere regnum eius. Et comedite fideliter hoc quod vobis do, quia corpus meum est. Quid hoc? Comedite corpus meum, quoniam in spiritu & in carne vestra debetis opera mea imitari, cum ea Spiritus sanctus cordi vestro inspirat: velut homo escam glutit quã in corpus suum mittit: quia vt me in operibus meis sequi debetis, ita etiam & corpus meũ manducabitis vos, & omnes qui precepta mea seruare voluerint. Et deinde filius Dei accipiens in saluatione poculum salutis patri suo gratias egit, quoniam cũ de latere eius sanguis effusus est, hæc gratia credentibus data est, quæ tam fortis fuit, quod & antiquum serpentem superauit, & perditũ hominẽ liberauit, & totam Ecclesiam fideliter corroborauit. Quomodo? Quia idem saluator pretiosissimum exemplum suum in suauitate amoris sui tradidit fidelibus suis, dicens eis leni inspiratione admonitionis: Bibite fiducialiter ex hoc salutari poculo vos omnes, qui me fideliter sequi desideratis; ita vt corpus vestrum in angustia castigetis, & sanguinem vestrum in sudore arceatis propter amorem meum ad roborandam Ecclesiam, vosmetipsos abnegantes, sicut & ego passioni me subieci, & sanguinem meum pro redemptione vestra fudi, teneritudinem carnis meæ in hoc non considerans sed salutem vestram faciens. Nam hic sanguis qui vobis effusus est, non est sanguis ille qui in veteri testamento sub vmbra spargebatur, sed sanguis meus noui testamenti, qui ad salutem populorum datus est. Quomodo? Ego qui sum vnicus matris meæ, videlicet integerrimæ virginis filius, sanguinem meum in cruce pro redemptione hominum fudi, qui me per fidem inspiciunt. Et vt eum tunc pro liberatione humani generis dedi, ita eum etiam & nunc in altari pro hominibus trado, scilicet pro purgatione illorũ qui eum fideliter suscipiunt. In cœna enim passionis meæ corpus & sanguinem meum vobis ad manducãdum & ad bibendum dedi, quatenus & vos nunc in altari idẽ in memoriam meam faciatis. Vnde etiam in apertione veritatis dico vobis, qui me fideliter subsecuti estis, non bibam amodo hoc poculum angustiæ in grauedine illa, quam nunc de Iudæis patior vsque in diem illum cum de morte resurgẽs morte prostrata diem saluationis afferam, vbi idem poculũ redemptionis vestræ bibam vobiscum qui mei estis nouitatem exultationis vobis ostendens: quia perditio veteris criminis abijcietur aperto vobis regno illo, quod pater meus diligentibus se præparauit. Quid hoc? Quoniam morte mea quam in cruce passus sum saluationem animarum sentietis, cum etiam post resurrectionem meam in ascensione mea spiritum paraclitum accipientes, nouitatem veræ doctrinæ suscipietis, ita & propter nomen meum multas tribulationes sustinebitis, quas & ego vobiscum sustinebo: non quod amodo vllas miserias corporaliter patiar vt prius cum in mundo corporaliter essem, passus sum, sed quia vos eas nomine meo sustinetis vbi & ego illas vobiscum sustineo: quoniam vos in me estis, & ego in vobis. Et ita vt dictum est corpus & sanguinem filij mei vos qui in me fideliter credidistis, ad abolitionem criminum vestrorum percipietis, vt per hoc sacramentum exhilarati virtutem supernæ confortationis adipiscamini, sicut & Dauid seruus meus in voluntate ardoris mei clamat dicens: *Defructu operum tuorum satiabitur terra: producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum. Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.*

23 Quid hoc? O Deus cuius magnificentia super omnes est, de fide illa qua tu in veritate cognosceris (ita quod ipsa, fructus virtutum in sapientia tua est) satiabitur homo videlicet qui fidei adhærens esuriem infidelitatis in via iustitiæ abijcit, cum prius veritatem ignorans ieiunus à rectitudine defecerat. Sed nunc in saturitate bonorum operum producens contritionem animi sui, illis qui in simplicitate sunt, fragilitatem suam considerans exemplum humilitatis fideliter præbet, vbi etiam cum germine virtutum surgens in abundantia eiusdem securitatis viriditatem veræ rectitudinis seruituti illorum qui terrenis inhiant exhibet: quoniam ad vtilitatem ipsorum ijs actibus insudat, qui obsequio munitionis & defensionis suæ fideles animos ad superna gaudia perducunt. Vt & illi qui militia fortitudinis & protectionis suæ hos quos tueri debent, fortissime defendunt. Et hæc in hominibus per voluntatẽ tuam ô Deus idcirco præcedunt, quatenus illis virtutibus adornatis mirabiliter ipsis educas corpus filij tui de fructu illo, quem terra in puritate viriditatis profert: sicut etiam vnigenitus tuus ex vtero virginalis pudicitiæ corporaliter veniens, panem vitæ credentibus in semetipso misericorditer dedit. Sed & hoc miraculum ideo facies, vt etiam sanguis eiusdem vnigeniti tui qui ad saluationem animarum effunditur, lætificet interiorem vim hominum, id est animas eorum in remissionem peccatorum ipsorum. Quomodo? Quia vt prius filij tui corpus pro redemptione humani generis in cruce oblatum est, ita etiam & nunc caro & sanguis eius ad salutem credentium in altari consecrantur. Quapropter cum hoc in voluntate tua mirabiliter factum fuerit, tunc & illud erit vt ipsum sacramẽtum exhilaret faciem, id est Ecclesiam oleo misericordiæ perfusam, quia cum gaudio fidei credentes misericordiam amplectentes oculis domini pulchri apparent: quoniam cum salus mundi in cruce pendens hominem de laqueo diaboli misericorditer liberauit, tunc etiam homines à vinculo peccatorum benigne absoluit, vt & ipsi in lætitia simplicis cordis sui fideliter in Deum credentes miseriam patientibus cum ardore deuotionis subuenire non desinant. Et in hoc amore fideles ardere debent, vt panis ille qui vitam se gustantibus præbet, sensus ipsorum qui semper in instabilitate vacillant confirmet: ne intentio cordis eorum in malum declinet, sed vt ad hoc quod vita est fortiter ascendat.

24 Panis autem iste caro filij mei est, quam nulla obscuritas in peccatis obfuscat, nec vlla macula in ini-

iniquitatibus obnubilat: ita vt qui eam digne susceperint, in anima & corpore cœlesti lumine perfundantur, & à maculis interioris sordis suæ fideliter emundentur. Et ideo nulla dubitatio in ista sacratissima carne sit, quoniam qui primum hominem nec de carne nec de osse formauit, huic possibile est sacramentum istud hoc modo operari. Vnde ô virginalis ortus, tu surgis, crescis, dilataris, ac magnum ramum in multis germinibus producis, per quem cœlestis Hierusalem ædificabitur, non ex virili semine sed ex mystico spiramine veniens. Nam in ortu tuo non es ligatus vlla maculositate criminum, sed floruisti in mirificatione virtutum, qui ex inarato agro talis flos surrexisti qui nunquã vllo casu mortalitatis marcescet, sed qui in plenitudine viriditatis suæ semper durabit. Quapropter & hoc sacramentum corporis & sanguinis tui tamdiu in officio veritatis in Ecclesia colendum est, quousq; in fine mũdi nouissimus homo veniat, qui per idem mysterium veraciter saluandus est: quoniam illud de secreto Dei veniens salutẽ credentibus confert, vt idem Dauid testatur dicens: *Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia.*

25 Quid hoc? Cœlestis Pater per potentiã gloriæ suæ emollivit mentes hominũ à superna celsitudine, cum Patriarchis & Prophetis in secreto mysteriorum suorum hoc demõstrauit per quod & filiũ suum in Spiritu sancto veraciter prædixerũt, & eũ in legalibus præceptis per sanguinẽ hircorũ & per alias ostẽtiones hominibus mirabiliter designauerunt. Et hoc modo suauitatem & dulcedinẽ cordis sui aperiens, in lenitate & in ardore charitatis misit eis filium suum, vt per eum à fame infidelitatis suæ reficerentur, ita refectionem cœlestium dans eis, cum qua plenum gaudium omnium fœlicitatum ac beatitudinum fideliter satiati adipiscerẽ ur. Ergo panem illum cuius dulcedine superni Angeli non satis possunt satiari, Deum videlicet inspicientes, ita suscepit homo in humanitate filij Dei, cũ has refectiones beatitudinis summus pater misit hominibus in abundantiam spiritualis gaudij. Ac ideo fidelis homo fideli auditione audiat: O vos fideles homines qui Ecclesiasticum germen estis, audite & intelligite præsidium animæ vestræ, vbi non estis filij diaboli sed hæredes cœlestis regni: & considerate, quomodo ego mitissimus ac benignissimus pater, magnis fœlicitatibus salutis vestræ circũdedi vos. Ergo attendite bonitatem patris vestri, quomodo per me ordinatum est, quod sin salute vestra est: quoniam quamuis vilis cinis sitis, tamen salutem vestram humanitas filij mei exposcit. Quomodo? Filius meus natus est de incorrupta virgine, quæ ignara illius doloris fuit sed quæ in virenti puritate integritatis suæ permansit, vt gramen in gloria viriditatis suæ viget: super quod res de cœlo cadit.

26 Et quia virgo illa incorrupta fuit de qua filius meus hoc modo carnem sine peccato assumpsit, ideo & iustum est vt caro eius nunc de fructu

illo fiat, qui sine succo amaritudinis est. Quomodo? Granũ frumenti fortissimus & optimus fructus aliorũ fructuũ est, nec in culmo suo succum aut medullam vt cæteræ arbores habens sed in gramine suo in spicã surgẽs, ita ad fructum suũ tendit: nec per calorem nec per frigus amarũ succum producit, sed siccam farinã tribuit. Vt etiam caro filij mei sicca fuit sine omni fœditate humanæ pollutionis per quam humanũ genus in amplexibus libidinis viri ac mulieris surgit. Non sic vnigenitus meus natus est: sed in virenti integritate virginea exiuit, vt etiã granum intextũ granum frumenti gignit. Nã vt culmus frumenti sine medulla vigẽs siccum granum in puritate spicæ profert, ita etiã beata virgo sine virili fortitudine gignẽs, sanctissimum filium suum in simplicitate innocẽtię edidit: qui de eadẽ matre sua nullũ succum peccati traxit, quoniã & ipsa eum sine medulla viri cõcepit, vt etiã culmus succum grano non tribuit quoniã illud nõ de medullato stipite viret, sed de sole & pluuia ac de blanda aura viget: sicut & prædicta integerrima virgo, non de viro, sed virtute altissimi obumbrata & infusione Spiritus sancti perfusa in suauitate castitatis vnigenitum suum genuit. Quãuis autẽ illa virgo de voluntate viri ac mulieris orta esset, tamẽ eũdem filium suum non ita protulit, sed eum de cœlo venientẽ, verum Deũ & hominẽ sine voluntate viri in integritate sua purissimum genuit. Quæ quoniã eum in virginitate sua sine sorde purissimum peperit, ideo & nunc panis qui caro illius veraciter consecratur, purissimus in integritate sua existens, à fidelibus in puritate cordis & sine admixtione diuersitatis suscipi debet, vt filijs Israël præmonstraui: quemadmodum in voluntate mea scriptum est: *Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, vt non comedatu fermentatum panem.*

27 Quid hoc? Vos qui imitatores filij mei esse vultis, estote respicientes de morte ad vitam, videlicet in memoria vestra habentes saluationem diei illius qui filius meus est, qui mortem conculcauit & vitã dedit in quo in salute vestra egressi estis miserabile exilium perditionis, cum scilicet abiecistis densissimas tenebras infidelitatis, ita etiam vos eripientes de mansione diabolicæ seruitutis, cui in transgressione Adæ dati fuistis. Nunc ergo de terrenis actibus ad cælestia respicite, quoniam in diuina potentia de malis eduxi vos ego Dominus: qui cunctis tanta fortitudine præsum, quod virtuti meæ nullum obstaculum contrarietatis obsistit quin omnia acutissime penetrem: ita per filium meum eripiens vos de loco isto, in quo per infidelitatem vestrã morti famulantes in bonis operibus non laborastis, sed in peruersitate vestra iacentes turpiter in eo perstitistis. Sed quia nunc in vnigenito meo ab oppressione ista liberati estis, currite de virtute in virtutẽ: cauẽtes ne in conscientiã vestrã mittatis infidelitatẽ illã, quæ cor vestrũ in sua receptione non confortat, sed potius sua amaritudine grauat. Quid hoc? Nolite diabolicas artes sectari, nec cætera figmenta quæ homines in humanis

contagijs philosophorum, paganorum, ac hæreticorum sibimetipsis adinuenerunt: sed filium meum in speculo fidei imitamini, qui vos de carceribus inferni liberauit, cũ semetipsum pro vobis ad passionem crucis obtulit. Sed vt vestigia eius tanto cautius sequi valeatis, corda vestra cœlesti pane confortate, & corpus eius fideli deuotione sumite: quoniam ipse de cœlo veniens, de suaui & de pura virgine natus, & in ligno pro salute vestra passus, semetipsum vobis contulit: ita vt & vos sine admixtione illius amaritudinis, suauem & purum panem diuina inuocatione corpus eius in altari consecratum, syncero affectu suscipiatis: quatenus per hoc esuriem interioris hominis effugientes, ad epulas æternæ beatitudinis peruenire valeatis.

28 Vnde etiã in vino quod de vite fluit eadem inuocatione per sacramentum, sanguinis eius volo mirabilia demonstrare. Quid hoc? Sanguis filij mei de latere suo fluxit, vt & vua de vite sudat. Sed vt vua pedibus conculcatur & in torculari premitur, ita dulcissimo ac fortissimo vino effluente ad roborandum sanguinem in homine, sic etiam vnigenito meo in sudore angustiæ, verberibus & flagellis macerato & ligno crucis oppresso, optimus & pretiosissimus sanguis de vulneribus eius emanauit, saluberrima liberatione credentes populos perfundẽs. Quemadmodum etiam vua dissimilis est alijs pomis quæ duros cortices habentia comedi possunt, cum homines vuam magis soleant fugere quam comedere, ita etiam filius meus dissimilis erat in peccatis cæteris hominibus, quia ipsi sub pondere nequitiæ grauati diuersis passionibus subiacent, cum ipse vnigenitus meus decatissima virgine mirabiliter natus, omni contagione peccati careret. Quapropter & quoniam vua teneræ materiæ est, idcirco & vinum in sanguinem eiusdem filij mei volo consecrari. Nam vt vinum de vite sudat: ita & filius meus de corde meo exiuit, etiam eodem vnigenito meo vera vite existente, & diuersis palmitibus ex eo exeuntibus: quia fideles in ipso plantati sunt, qui per incarnationem eius in bonis operibus fructuosi existunt. Et vt iste liquor de dulcissimo ac fortissimo fructu vitis emanat, sic etiam omnis iustitia in misericordia & veritate per incarnationem eiusdem filij mei apparet, quas virtutes in ipso inueniunt omnes qui eum fideliter quærunt. Quomodo? Quoniam qui ipsi fideliter adhærent, ij virides & fructuosi ab ipso efficiuntur: ita quod optimos fructus in virtutibus afferunt, sicut & ipse suauis & mitis existens, pretiosissima germina in sanctitate & iustitia attulit, & sibi credẽtes ab omni sorde infidelitatis emundauit, vt in canticis canticorum de eo scriptum est. *Botrus cypri dilectus meus mihi, in Vineis Engaddi.*

29 Quid hoc? Filius Dei qui me exulem animam in passione sua saluat, in resurrectione etiam sua mihi misericorditer poculum vitæ dat. Quomodo? Sicut botrus cypri fortissimam plenitudinem potionis in se continet, sic etiam excellentia quæ in vnigenito Dei est, indeficientem magnitudinem in se habet, ita quod ipse filius Dei nunquam hoc modo exhaurietur, quin semper potum vitæ sitientibus dare possit: quoniam ipse salus vitæ est. Nos enim qui prius in defectu fuimus, nunc in ostensione & in scientia veræ sanctificationis bonorum operum confortati, per illum, cibum vitæ manducamus, in quo etiam Deum scientes ad vitam pergimus. Cum in veteri testamento quod quasi per vmbram plenum sensum non habuit, sed in ostensione significationis multam diuersitatem in se tenuit magnam famẽ sustinẽtes, ad saluationem surgere non valuimus. Nunc ergo in ipso saturati, etiam in illo salutare poculum bibimus, scilicet in vera fide fideliter gustando quis Deus sit: quem exterioribus oculis mortalis carnis videre non possumus, sed quem spirituali intelligentia intus habemus: sicut & vinum fortissimam vim suam in venis hominum ostendit, hoc tamen hominibus non sentientibus, sed tantum ita esse intra se scientibus. Et ideo sponsus animarum botrus cypri est, cuius fructus non deficiet. Quomodo? Cæcus ingressus portam exigit sui ductoris visum. Quomodo? Quia homo claritatem fidei non habens, cum ad fidem peruenerit, per pressuram torcularis in rorem sanguinis Christi intrat. Quomodo? Sicut per præcepta illius vitam in anima nostra habemus, ita etiam in donatione illius emundationem in carne nostra recepimus: quoniam nos nati in præuaricatione Adæ immundi existimus, sed in sanguine ipsius sanctificamur. Vnde de sponsatio animarum, de ipso in Spiritu sancto dicit. Dilectus meus qui cordi meo dulcis & amabilis existit, fortissimum vinum per sanguinem suum in plena sanctificatione mihi est: quia dum sum immunda in plantatione carnis, sicut vinea quæ adhuc inculta iacet in spinis, ipse fons saluationis existens, peccatores à sordibus suis misericorditer abluit, & in mysterio secretorum suorum gloriossime sanctificat: quoniã vt de corde patris suauiter exiuit, sic etiam in vino sanguinem suum suauiter ostendit: & vt ex virgine mirabiliter natus est, ita etiam & in pane corpus eius mirabiliter declaratur: quia ipse botrus est, qui nunquam defectũ vllo detrimento patietur. Quapropter & super altare velut in torculari per voluntatem patris calcatur, quatenus homo qui per semetipsum nullatenus subsistere potest, ob fragilitatem debilitatis suæ non deficiat. Quoniam & sicut sanguis hominis augmentum ex potu accipit, ita etiam homo sanctificationem ex sanguine filij Dei habet. Et vt ne sanguis hominis sine irrigatione potus in aridita-tem vertatur, ex potu reficiendus est, sic etiam vinum in consecratione sanguinis filij Dei non deficiet, sed super altare in sacramento mysterij eius semper erit.

30 Sed & tu ô homo attentissime scias quod in consecratione ista vino aqua immixta esse debet, quia de latere filii mei sanguis & aqua emanauit: ita quod & in vino diuinitas eius intelligitur, & in aqua humanitas ipsius sentitur. Et ideo quoniã in ipso diuinitas & humanitas est, ita etiam in consecratione ista vino aqua adiungetur: quia cum vinum diuinitatẽ eius signet, aqua

etiam

etiam humanitatem ipsius ostendit, quæ sine conmixtione virilis sanguinis pura & munda existit. Quoniam etiam vnigenitus meus fons aquæ viuæ existens, homines in regeneratione spiritus & aquæ de veteri culpa Adæ emundauit, & eos ad cœlestia transtulit, cum pro salute eorum in mundum venit, quemadmodum scriptum est: *Ego quasi fluuius Dorix, & sicut ductus aquæ exiui de paradiso.*

31 Quid hoc? Deus hominem rationalitate firmans, ei plurima mystica dedit, cum spiraculum vitæ in eum emittens, illum rationalitate sublimauit. Qui dum seductus in mortem caderet, ego filius Dei qui ipsum liberare veni, fluens in decore omnium rigationum infixæ charitatis, & emanans in diffusione veræ & indeficientis puritatis exiui de secreto supernæ amœnitatis: quatenus homo qui ex reatu suo perierat, misericorditer de perditione eriperetur. Quomodo? Vt innoxius sanguis innocentis innocentiæ, in angustia desudantis passionis pro eo effunderetur. Quomodo? In transgressione Adæ cum ipse de paradiso expulsus est, sanguis eius ob expulsionis angustiam quia reus erat, totus inundauit: & sic in angustia illa liquefactus, cum sudore aquæ perfusus est. Et ita sanguini hominis aqua per sudorem admixta cognoscitur. Vnde ô homo cum vnigenitus Dei in carne anguttiari cœpit, videlicet quando pro humano genere pati voluit, sanguis eius guttas sudoris emisit: ac deinde ipso in cruce suspenso, de vulnere lateris eius aqua cum sanguine emanauit. Et ideo in sacramento illo vbi mysterium passionis eius celebrandum est, aqua vino immisceri debet, quia & de vulnere lateris filij Dei aqua & sanguis efflu-xit. Sed & in eodem sacrificio vinum aquæ superabundabit, quia & sanguis tabem superat, sicut & lac succum suum quod serum est excedit. Qui autem mysterium hoc celebrant id ita perficiant, quemadmodum eis monstratum est: & vt etiam ibi homines exhortantur, vbi inspiratione mea per sapientiam audiunt vt scriptum est: *Venite comedite panem meum & bibite vinum quod miscui vobis.*

32 Quid hoc? Vos qui stultitiam deponere vultis, venite de ignorantia illa qua Deum nescitis, & de stupro illo per quod in exilium missi estis, & redite in candidam regionem vestram, quæ per speculum fidei in fonte viuentis aquæ vobis præmonstrata est: & pia deuotione comedite panem meum, quem vir in agro non seminauit, & cui terra viriditatem non dedit, sed qui de Deo exiuit, atque in eo permanet. Nam vt panis manducatur, & vt terra conculcatur, sic & filius Dei panis viuus filios hominum præcellit: quia ipse filius Dei in virtute diuinitatis suæ stabilis est, & filij hominum in debilitate carnis suæ labiles sunt: filius enim Dei corporaliter manens in mundo, mollitiem liquoris peccati in carne sua nō habuit: quoniam sicut ignis panem (excoquens) arefacit, nec ei vllum mollem humorem dimittit, ita & ipse vnigenitus Dei, de fortissimo igne Spiritus sancti conceptus, & de castissima virgine natus, sine vlla contagione peccati in corpore suo substitit. Et ita vt panis hominem reficit, sic etiam & fideles homines per eundem filium Dei in fide nutriuntur: quia ipse fortissimus fructus est, qui nunquam deficiet. Vnde & vos fideles hunc panem comedentes, bibite etiam pura intentione vinum hoc quod omni prorsus sorde caret, & quod in hanc inanem vagationem non vadit, vbi corruptio immunditiam innocentiæ absorbens eam in venenum conuertit.

33 Nam & secundum modum illum primus homo mundus fuit quando creatus est, quoniam in nulla diuersitate erat, sed mundus in carne & sanguine suo fuit. Qui cum præuaricationem faceret, illusus est; ita quod postea semper sanguinē suum in fœtorem immunditiæ mœchiæ sparsit. Quia sicut idem homo honorem innocentiæ abiecerat, ita etiam & sanguis ipsius sanguineum colorem suum perdidit, in humana conceptione in liquorem pollutionis subuersus. In quo etiam liquore ita sine fornicatione est donec sanguis apparet, & ita sanguis ille formam aliam accipiens post ortum suum in debilitate iacet donec medulla eius plenitudinem fortitudinis suæ inueniat & donec sensus in ipso per excitacionem occultæ suscitationis exurgat. Et tunc ita munda caro & mundus sanguis de veneno expiatus apparet, donec eum noxius calor percutit, qui percussione sua noxiam spumam immunditiæ eiicit. Sed ab his omnibus filius Dei mundus extitit, mundam videlicet carnem & mundum sanguinem habens: ita quod eum nunquam tactus vllius noxij caloris tetigit: sed in sanctificatione & honore virentissimæ castitatis manens, nulla contagione violari potuit. Qui tamen in angustia passionis positus, aquam in sanguinem lateris sui effudit: quia sanguis sine aqua in effusione sua non est, sed ita temperatus existit, vt sanguis aquam confortet, & vt aqua sanguinem deliniat.

34 Quapropter & vos qui Deum deuote colere vultis, ita quod vestram salutem amatis, sumite hoc poculum sanctificationis, ita quod temperaui vobis vt asperitatem vltionis in lenitate remissionis non sentiatis: quoniam & diuinitas & humanitas in superno filio est, per cuius passionē de morte liberati, & per cuius corpus & sanguinem vegetati, societatem in æterna mansione habeatis. Sed ego qui sum initium & finis, iterum dico tibi, ô homo, de nobili filio meo qui flos est rosarum & lilium conuallium natus de castissima virgine, quæ eum in integritate sua genuit. Qui partus talis extit, quod per eum de iniquitate priorum parentum humani generis placatus sum, qui me in transgressione sua ad indignationem prouocauerunt. Vnde & eundem partum semper inspicio, cum corpus & sanguinem filij mei quotidie super altare nomini meo consecratum habeo. Ita quod per ipsum sacramentum tu homo sanctificaris, carnem eius manducans & eundem sanguinem eius bibens. Nam cum ibi sacerdos officium suum exercet sicut illi constitutum est, sacratissimis verbis me inuocans, tunc in eadem potestate tibi assum qua & ibi aderam, vbi vnigenitus meus sine schismate vllius contagionis incarnatus est. Vnde & corpus eius purissimum & suauissimum in omni sanctitate fuit, ita quod nunc carnem & sangui-

nem ipsius fideliter suscipientes, tanta dulcedine viuificentur, quod nullum despectum abiectionis patiantur: sicut & in Cantico Canticorũ scriptum est: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer, & iam me nemo despiciat*

35 Quid hoc? Gemitus & deuotio in Ecclesia positorum certissima fide dicit: Quis est ille qui mihi miserrimo homini in ærumnis posito, mitissima oblatione det te sponsum Ecclesiæ, cum te fratrem meum propter incarnationem tuam nomino, sugentem misericordiam & veritatem quæ sunt nutrimenta illa quibus diuinitas homines nutrit, quæ mihi mater in creatione mea est, scilicet cum educatione vegetationis vitam mihi dans. Quid hoc? Quia & nutrimenta Ecclesiæ plena est gratia tua, cum ei plenam vbertatem in sacramento corporis & sanguinis tui tribuis, qui panis viuus & fons aquæ viuæ es. Et hoc ideo facis vt manifesta certitudine inueniam te foris, cum scilicet sciens te filium Dei in cœlis, videam te etiam hominem in terra, quem in diuinitate mortales oculi mei cernere non valent: ita vt etiam inueniam te in pane & vino diuini mysterij, quod sacramentum sine pondere deceptionis, & sine ambiguitate fallaciæ est, ac deinde hoc modo deosculer te, quoniam pro salute mea incarnatus es: & quia etiam me participem corporis & sanguinis tui facis, quatenus per hoc quod in mundum propter me venisti, & quod temetipsum mihi tradidisti, iam nulla creatura deinceps me despiciat, cum ipsa voluntatem tuam tibi subiecta semper sequatur, & cum ego præceptis tuis rebellis existens tibi creberrime contrarius inueniar.

36 Nunc ergo vt vides ô homo cum sacerdos his verbis quæ in Spiritu sancto constituta sunt, oblato sacrificio ad altare me cœperit inuocare, amen tibi dico, quod in ardente calore meo ibi assum, & pleno desiderio ipsum sacramentum perficio. Quomodo? Quoniam in effectu eiusdem mysterij ardentem charitatem super eandem oblationem expando, videlicet ab initio verborum sacerdotis me inuocantis, & hanc memoriam facientis, quod filius meus in angustia passionis suæ panem & vinum benedicens, in sacramento corporis & sanguinis sui discipulis suis tradidit, vt & ipsi idem pro salute populi facerent. Vere dico vobis, quia nunquam inuocatio ista super huiusmodi oblationem in recordatione vnigeniti mei erit quin mysterium corporis & sanguinis ibi perficiatur: quod carnalis oculus quamdiu cinis est videre non poterit, nisi in fide illud humili deuotione perspiciat. Quomodo? Cum ales ouum sibi in nidum suum poni viderit, ardenter super illud volat, & calore suo illud fouens pullum educit: ita quod testa oui remanet, & quod pullus ille euolat. Quid hoc? Ego omnipotens cum oblatio panis & vini super altare nomini meo dedicatum in memoria filij oblata fuerit, eam mirabiliter virtute & gloria mea illustrans, in corpus & sanguinem vnigeniti mei transfundo. Quomodo? Ipso miraculo quo filius meus carnem ex virgine suscepit, etiam oblatio hæc in consecratione ista caro & sanguis eius efficitur. Sed panis & vini species ibi exterioribus oculis visibile cernitur, intus autem sanctitas corporis & sanguinis eiusdem filij mei inuisibiliter manet. Quomodo? Cum filius meus apud homines esset in mundo, apud me etiam erat in cœlo, & nunc apud me manens in cœlo apud homines etiam manet in terra, sed hoc spirituale & non carnale est.

37 Sic & ego pater omni creaturæ assum à nulla abstrahens me, sed tu homo ab ea te substrahis: vt cum in aquam vides, facies tua in ea quidem apparet, sed tamen ita vt nullas vires tuas in illa exercere vales, sed cum te ab ea auertis, amplius in illa non appares. Ego autem in huiusmodi mutabilitate non appareo creaturæ, sed assum veraci ostensione, nec ab ea potestatem meam subtraho, sed in ea fortitudinem voluntatis meæ secundum quod mihi placuerit exerceo. Vnde etiam in sacramento corporis & sanguinis filij mei maiestatem meam veraciter demonstro, videlicet ab initio secretorum verborum sacerdotis donec ipsum mysterium à populo percipiatur, miracula mea ibi mirabiliter exercens.

38 Sed & hoc sacerdotale officium, à prima hora diei vsque ad nonam horam à fidelibus exerceri potest, secundum quod necessitas temporis in moribus hominum inuenerit: quoniam & Adam in mane surgens ad horam nonam seductus est: & quia etiam passio filij mei in crepusculo diei inchoata, ad horam nonam consummata dinoscitur: ita quod in cruce moriens expirauit, & morte sua mortem viriliter superauit. Vbi & Ecclesia vnigenito meo assistens, dotem suam ibi suscepit: quod & nunc à filijs eiusdem Ecclesiæ celebrandum est.

39 Hoc autem officium à sacerdotibus in sacrificio in ieiunio ventris & non in repletione eius celebrandum est, ne coagulatio escarum spirituale desiderium euacuet: quoniam prius etiam sumi debet spiritualis epulatio, & postea carnalis refectio: & quia etiam spiritus honorandus est, & caro refocillanda. Nam hoc sacramentum spirituali desiderio & non carnali cupiditate accipiendum est, & ideo in ieiunio, & non super epulis percipi debet, nisi in necessitate illa, si homo in hac opinione positus est, quod de mundo transiturus sit. Sed filius meus circa finem diei corpus & sanguinem suum discipulis suis dedit, quoniam eis verum mane vitæ attulit. Et quia etiam in consumatione sæculi, morte in hominibus temporaliter transeunte electi sicut sol in regno meo fulgebunt.

40 Et hoc modo ipse vnigenitus meus resurrectione sua demonstrauit animas iustorum ab inferno se abstrahere, & genus humanum in restaurationem æternæ vitæ se reducere, quam reprobi Angeli perdiderunt, mortem nullo alio eis suggerente appetentes: ita quod à nullo alio insidiatore quam à seipsis seducti sunt, cum nec gustum peccati in seipsis haberent, velut homo in fragilitate corporis sui habet. Vnde & homo quando ab insidiante seductus est fragilitatem corporis habens, à subleuante etiam ad vitam reductus est, & diabolus corporalem grauedinem non habens in peruersi-

uersitate sua relictus est. Sed & homini vera & salubris refectio in perceptione corporis & sanguinis filij mei data est, vt per hoc sacramentum inuisibiliter in anima refocillatus surgat, & inuisibili aduersario suo viriliter resistat.

41 Qui autem idem sacramentum in maiori aut minori quantitate percipiunt, sic intelligant, quia & ille qui plus & ille qui minus accipit vnam eandemq; vim percipiunt: quoniam hoc sacramentum non in quantitate, sed in sanctitate est: vt percipientes secundum fidem ipsorum saluat: vt de manna sic scriptum est: *Feceruntq; ita filij Israël & collegerunt alius plus alius minus: & mensi sunt ad mensuram Gomor: Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat repperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.*

42 Quid hoc? Supernum sacramentum iuxta id quod eis præceptum est attendunt filij electionis, qui Deum ardenter videre desiderant: & colligunt illud in cordibus suis, secundum doctrinam principalium magistrorum suorum, & secundum id quod ab eis didicerunt, scrutantur illud in animabus suis: alius plus deuotionis, & alius minus intentionis in secreto cordis sui habens. Vnde & cum æstimatione sua metiuntur, secundum id quod in animabus suis sentiunt, discernentes fidem quam in Deum habent, nec eam diuidentes, sed ipsam integram habentes, & quanta & quali deuotione corpus & sanguinem redemptionis sui percipiant considerantes. Sed idem sacramentum non erit huic sanctius qui plus ex eo perceperit, nec illi contractius qui minus ex eo sumpserit: sed secundum fidem eius qui illud percipitita, & eum illuminabit. Quapropter ô homo in magnitudine percipiendum non est, quia fortissimus Deus tam in parua, quam in magna oblatione huius mysterij est: & ideo qui illud percipiunt, solum hoc attendant, quod trinum & vnum Deum firma & integra fide in corde suo habeant. Et sic quisque fidelis syncero & recto corde secundum id quod possibilitas fidei in ipso exposcit, vires animæ suæ congregat, cauens ne altius aut profundius diuinitatem scrutetur, quam sensu aut cogitatione sua capere potest: sed sobrie vt in Spiritu sancto edoctus est, timori domini subiectus sit: quoniam homo pauper cinis est.

43 Sed vos ô stulti homines, nolite dubitare an sacramentum istud quod hoc modo vobis demonstratum est, corpus & sanguis filij mei sit. Recordamini ergo vnde Adæ carnem & sanguinem creauerim. Videlicet de limo terræ. Quid ergo vobis videtur? An possibilius est mihi de oblatione ista facere carnem & sanguinem filij mei, an de limo terræ facere hominem? Sed vir semen de sanguine suo fundit, & fœmina suscipit illud. Et quid tunc amplius addunt? Nihil omnino aut in creatione aut in carne infantuli. Quis ergo format hominem in carne & in ossibus, ac in medullis, & in pulchra facie eius, nisi ego pater omnium? Sed pater & mater non habet illam potestatem facere & creare infantulum, nisi quod tantum in ardente libidine sanguinem suum excutiunt, & postea nullam potestatem in ea formandi habent. Nunquid videre potestis quomodo hæc fiant, nisi quod ea cernitis in formis suis? Tu autem ô homo dicis: Ego non video hanc oblationem, carnem esse & sanguinem, vt hominem corpus & sanguinem esse cerno. Ad quod tibi respondeo: Vos vidistis filium meum in corpore & in sanguine, mortalem in terrra, qui nunc immortalis in cœlo est: & ideo corporalibus oculis eum modo videre non potestis, nec etiam quomodo caro & sanguis eius in altari consecretur: quod sacramentum propter gloriam sacerdotis ibi non fit, sed propter gloriam vnigeniti mei, qui hoc officium cum discipulis suis in cœna sua peregit. Sed vt me in claritate mea quamdiu mortales estis, videre non valetis; sic etiam nec carnem nec sanguinem filij mei carnalibus oculis vestris carnaliter videtis, secundum quod ea quæ inuisibilia sunt, perspicere non potestis, sed secundum hoc quod mortalis obtutus vester ea quæ visibilia sunt, visibiliter capere valet.

44 Hoc autem sacramentum in triplici materia mihi offerendum est. Quomodo? In pane, & vino, & aqua, ob honorem Trinitatis. Vnde si de his tribus aliquid defuerit, tunc ibi Trinitas veraciter non colitur: quoniam in vino intelligitur Pater, in pane Filius, & in aqua Spiritus sanctus: ita qui vinum sine pane & sine aqua offert, Patrem colit, sed Filium & Spiritum sanctum negat: aut qui panem sine vino & sine aqua dat, Filium habet, sed Patrem & Spiritum sanctum abijcit: aut qui aqua sine vino & sine pane vtitur, Spiritum sanctum attendit, sed Patrem & Filium recusat: aut qui vinum & panem sine aqua dat, Patrem & Filium habet, sed Spiritum sanctum abnuit: aut qui vinum & aquam sine pane offert, Patrem & Spiritum sanctum colit, sed Filium negat: aut qui pane & aqua sine vino vtitur, Filium & Spiritum sanctum attendit, sed Patrem recusat. Ergo in hoc sacramento diuisio non fiat, quia & ego indiuiduus manens, in tribus personis vnus Deus inseparabilis sum: sicut & cogitatio, voluntas & opus in vno homine sunt, sine quibus homo non est.

45 Quod si in isto sacrificio defectus fuerit, ita quod ibi aut panis, aut vinum, aut aqua negligitur; vere tunc ille ex cuius negligentia hoc euenit, graui vindictæ subiacebit. Nam si hoc scienter per negligentiam teporis, seu infideliter per dubietatem incredulitatis actum est, illum qui huic reatui subiacet, ab oculis meis eijciam, nisi ipse graui pœnitentia ad se reuersus, seipsum pro hoc grauiter pœnitendo puniat: vel si hoc ignoranter per negligentiam obliuionis euenit, tunc ille qui in hoc reus est, de hac culpa sua in correctione pœnitentiæ mihi respondurus est: quoniam acute non prospexit, si hæc omnia adessent, quæ ad sacrificium meum pertinebant. Cum enim filius meus in cruce pependit, ibi nihil saluationis defuit, quia per effusum sanguinem suum saluationem animarum hominibus attulit: vnde nec in hoc mysterio quicquam deesse debet. Nam sacramentum hoc, sacratissima sanctificatio in omni sanctitate est, & propterea caro ista & sanguis iste omni fide & deuotione accipiendus est.

46 Quicunque hanc sacratissimam carnem accipit,

pit, & sanguinem eiusdem mysterij sumere non recuset: quoniam filius meus super omnia est mundus, & speculum in virtutibus, ac ideo nobilissimus sanguis eius est accipiendus, nisi prę simplicitate accipientis sacerdos timeat periculum effusionis: & tunc illo accepturo fiat secundum simplicitatem infantium, quibus esca panis conceditur, & potus vini denegatur: ita & isti hæc sacrosancta caro tribuatur, & fluens sanguis subtrahatur, ne maius periculum inde oriatur, & quia etiam illa sacrosancta caro sanguini suo, & sanguis ille carni suæ in vna sanctitate coniunctus est. Quod si homo ille huiusdiscretionis est, quod possit mysterium custodire, tunc cum ei illa sancta caro ad comedendum datur, tunc & sanguis eiusdem carnis ipsi ad potandum datur.

47 Sacerdos autem qui hoc sacramentum celebrat, diligenter ijs indumentis quibus antiqui patres edocti per Spiritum sanctum, ad idem officium indui constituerunt, vestitus sit: & accuratissime verba illa quæ Spiritus sanctus eisdem patribus ad celebrationem huius mysterij inspirauit, attendat, solicite cauens, ne quicquam in eis omittat: deuotissime etiam inspiciens, ne exemplum hoc transcendat, vbi filius meus panem & calicem accepit, & discipulis suis ad manducandum & ad bibendum dedit. Sed qui in indumentis aut in verbis ad hoc officium pertinentibus, quicquam per negligentiam obliuionis ignoranter deliquerit, graui & salubri pœnitentia corripiendus est. Attamen misericordiam meam quærens inueniet, quia transgressionem istam non in voluntate aut in malitia cordis sui perpetrauit.

48 Qui vero id scienter aut per indeuotionem voluntatis suæ, aut per nequitiam cordis sui in eisdem sacramentis transgressus fuerit, huic offensus dicam: Serue nequam, cur non eras sacerdotali veste recte indutus, vt in Spiritu sancto tibi instituerunt antiqui maiores magistri tui, in significatione spiritualis officij, vt mihi semper ministrant Angeli mei? Et cur etiam neglexisti modum verborum illorum quæ tibi in Spiritu sancto tradiderunt idem patres tui in consecratione corporis & sanguinis filij mei, ad salutem & gloriam generis humani? Vnde qui in hoc reatu culpabilis est, inde mihi respondurus est, si non graui afflictione pœnitendo seipsum punierit.

49 Sed sacerdos qui epulas istas ad altare meum offert, inde ieiunus his epulis non recedat, sed refectionem animæ suæ in corpore & in sanguine filij mei percipiat. Quod si nouit grauioribus oneribus se grauatum & his epulis indignum, tunc non præsumat ad mensam meam accedere, nec illotus à fœtore criminum suorum filium meum tangere: vt illi & mensam & gloriam natiuitatis suæ contaminauerunt, qui caput lucentis lucernę crudeliter absciderunt. Quapropter & iste qui ita contaminatus est, varietatem pestis suæ summo sacerdoti scilicet filio meo ostendat, & etiam coram alio mortali sacerdote se accuset, qui sibi remedium consolationis cum pœnitentia demonstret: & sic demum ad officium suum purifactus accedat.

50 Sed ego pater omnium, secretam dispositionem sacratissimi colloquij per quod me sacerdos ad altare inuocare debet, in multis & in magnis sermonibus esse nolo, sed in recta ordinatione priorum magistrorum, quos donum sancti Spiritus in recta admonitione me inuocare edocuit: & hoc in multiplicitate stultæ sapientiæ esse non debet, sed in simplicitate cordis: quia in multiloquio non delector, sed in puritate cordis illorum, qui me deuote quærunt, & qui me in ardore charitatis benigne amplectuntur. Alias enim electis meis cum me quærunt gratiam meam secundum vicissitudinem donorum Spiritus sancti impendo, in hoc autem sacramento me totum ipsis ostendo: quoniam filius meus in me & ego in ipso, & Spiritus sanctus in nobis & nos in ipso & vnum in diuinitate sumus, sicut & corpus & anima, & vires illius vnus viuens homo est. Vnde qui ad hoc sacramentum accedit, caueat ne ita veniat vt gloriam diuinitatis offendere possit.

51 Sed tu ô homo dum cæteri homines ad percipiendum ipsum sacramentum ad sacerdotem accedunt, quinque modos in eis consideras, quia illi qui perceptionem diuini mysterij à sacerdote suo accipere desiderant, quinque sensus corporis sui à fæce peccatorum suorum emundent, & eos à subripiente immunditia, digne & laudabiliter custodiant, vt tanto salubrius idem percipiant.

52 Quapropter etiam ex ijs qui ad ipsum sacramentum vt vides accedunt, alij in corpore lucidi & in anima ignei sunt, quoniam ipsi claritatē fidei ad ipsum sacramentū habentes, non dubitant quin verum corpus & verus sanguis filij mei sit: & ideo dum illud hac fide percipiunt in carne sua vegetantur & sanctificantur, ita vt per hoc mysterium sanctificati, post resurrectionem in eodem corpore suo appareant in cœlo: atque in anima sua igneo dono Spiritus sancti transfunduntur & accenduntur, quatenus hac illustratione perfusi, terrena respuant & cœlestia desiderent. Quomodo? Quia vt à vento ignis incendium excitatur, sic & isti per sacramentum hoc vt in superno amore ardeant, imbuuntur.

53 Sed alij in corpore pallidi & in anima tenebrosi videntur, quia tepidi in fide, firmam fidem ad idem sacramentum non habent, sed duri sunt sapientiam intelligere, veluti puer cuius opera in stultitia sunt. Nam foris in auditu auris audiunt, & in tarditate cordis sui ea quæ ipsis de ipso sacramento dicuntur, non sapiunt: ita quod illa libenter in fide perfecte comprehenderent: sed tamen præ dubietate quæ in ipsis est, non possunt intueri, quanta sanctitas in illo sit. Vnde & in interiori homine tenebris circumdati sunt, quoniam mentem suam sursum ad perfectionem illam eleuare non valent: quia in peccatis cōcepti, prę pondere corporalis fragilitatis ad perfectionem credulitatis illius graues sunt, spiritui tamen plus cōsentientes, ita quod fidem libenter intelligerent, si prę tepore cordis sui possent. Qui enim maioribus oneribus peccatorū in operibus suis nondum sunt grauati, hos quāuis veluti inuitos spiritui cōsentire oportet: quoniam anima maiorem potestatē adhuc habens, quia nondū in peccatis interēpta est, corpus

volun-

voluntati suæ subiicit. Nam hæc sunt certamina quæ sunt inter corpus & animam, quia anima corpori vult dominari: quoniam ipsi contrarium est quod caro in concupiscentia sua habet quod peccatum est, & corpus dedignatur iustitiam quæ in desiderio animæ est, quia ipsa vitam diligit. Quid hoc? Quod mortuum est, mortuum appetit: & quod viuit, viuens diligit. Quomodo? Caro amat peccatum, & anima diligit iustitiam: & in hoc sibi aduersantur, & raro sibi consentiunt. Sed vt puer sine labore & sine intellectu sensus sui pascitur & saturatur, ita & isti homines hoc sacramento quasi per ignorantiam viuificantur: quoniam illud nec per insaniam nec per contumaciam dedignantur, sed tantum simplici animo amplectuntur.

54 Quidam vero in corpore hirsuti & in anima multa immunditia humanæ pollutionis perfusi sordent, quoniam isti in carne sua turpes & impudici sine pudore existentes, & fæce vitiorum se polluentes, vt porcus luto se inuoluit, hoc modo animam suam diuersa sorde peccatorum humanæ contagionis inficiendo contaminant. Et cum ipsi in his vitiis sordentes ad sacramentum corporis & sanguinis filij mei ita illoti accedere non verentur, graui examinatione pro hac præsumptione sua emundandi sunt. In qua tamen purgatione misericordiam meam eis non denego, quia in mentibus eorum dignam pœnitentiam assurgere præuideo.

55 Alij autem in corpore acutissimis spinis septi sunt, & in anima leprosi apparent, quia in corde suo ira, odio & inuidia circumdati, lenitatem, dulcedinem, & charitatem his spinis iniquitatis à se expellunt: vnde ita mala appetentes, & bona deserentes, atque in irrisione cæteros homines contumelia afficientes, animam suam velut pessimis vlceribus immundam reddunt. Qui cum hoc modo ad diuinum mysterium accedunt, seipsos grauiter lædunt: sed tamen oculos meos ad eos conuerto, cum se in amaritudine punientes, gratiam meam pœnitendo postmodum requirunt.

56 Quidam vero in corpore sanguinei & in anima velut putridum cadauer fœtidi videntur, quoniam ipsi cruenta manu diuisionem in hominibus facientes, animam suam quasi putrescente tabe crudelissimę peruersitatis, fœtidam reddunt: quia timorem meum non inspicientes, hoc quod in homine constitui sua crudelitate destituunt. Vnde si ipsi hac contaminatione coinquinati corpus & sanguinem filij mei percipere non timent, seipsos graui læsione deijciunt, quoniam ita illoti sacramentum hoc contingere præsumunt: sed tamen fons saluationis eos postmodum pertranibit, si digna pœnitentia seipsos ab hac nequitia sua lauare studuerint.

57 Sed ex his omnibus dum quidam eadem sacramenta percipiunt, alij velut igneo splendore perfunduntur, alij vero obscura nube obtenebrantur, quia dum credentes ad mysterium corporis & sanguinis filij mei accedere satagunt, tunc ij qui illud deuota mente & pura fide in bonis operibus fulgentes percipiunt, dono Spiritus sancti tam ad salutem corporis quam animæ suæ illustrantur: & illi qui illud contrario corde & vacillante animo in peruersis actibus torpentes sumunt, obscuritatem præsumptiuæ infœlicitatis ad detrimentum sui, & exterius & interius sibiipsis inducunt: quoniam huic sanctitati illoti temere se coniungere præsumpserunt. Nam homo qui tam rebellis & contumax est quod nō timet se polluere, aut simplici fornicatione in visceribus proprij corporis sui tactu & delectatione, aut se contaminare duplici fornicatione educens semen suum cum viro aut cum muliere, aut se discerpere ira, odio & inuidia cum cæteris hominibus, aut se cruentare homicidio in sibi occursantibus, & ita illotus & incorrectus temere præsumit accedere ad corpus & sanguinem filij mei sine purgatione confessionis, & sine pœnitentia correctionis, ille scienter & intelligenter iudicialem ignem culpa sua ingreditur. Quomodo? De hac præsumptione & peccato suo vt aurum in fornace examinabitur, ita quod nullus puluis huius præsumptionis in eo relinquetur, quia pollutus & incorrectus ad communionem innocentis agni accessit. Qui enim ita illotus vt dictum est ad sanctificationem corporis & sanguinis filij mei accesserit, & ita sacramentum illud sumpserit, ad iudicium sibi hoc sumit. Quomodo? Sicut Paulus amantissimus meus dicit: *Ita quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*

58 Quid hoc? Vere dico vobis, qui comederit panem vitæ, vel qui sumpserit poculum salutis, quod sacramentum illius est qui Dominus cœli & terræ est, ita quod hoc indigne tractet sordens scilicet in peccatis, in hoc culpam suam sentiet. Quomodo? Quia corpus & sanguinem Domini sui id est Saluatoris mundi mordaciter & moribunde accipit, cum pronus ad malum & pollutus immunditia, & oblitus timoris Domini, ita contaminatus palatium salutiferę redemptionis aggreditur. Vnde & homicidium ibi facit. Quomodo? Quoniam in multis vulneribus seipsum confodit, cum sine detersione & sine lauatione pœnitentię crimina sua celans, sacramentum hoc temere tractat. Quapropter & ego illi dico: O miserrime & amarissime, quomodo audebas in lacum tantæ miseriæ Dominum tuum mittere, quem semper desiderant cœlestes ciues inspicere. Vnde amara pœnitentia in corpore & in anima tua examinaberis, ita vt si reatum tuum non correxeris, post resurrectionem mortuorum correptio ista in te inueniatur. Et ideo fideli inspectione probet seipsum homo ille, qui hic purgator sui esse voluerit, & sic hac deuotione considerationis suæ de pane illo sanctitatis accipiat, & de poculo illo suauitatis gustet: vt ita ad indeficientem refectionem perueniens, esuriem debilitatis animæ effugiat. Nam qui hoc sacramentum male tractauerit, & à sorde iniquitatis se non purgans illud indigne sumpserit, iudicium vltionis sibi imponit, quia illud impurgatus manducat & bibit: non tamen in hac præsumptione

ne sua lædere aut obfuscare mysterium prævalens, sed seipsum condemnans. Et quia in vitiis sordentes ita ad sacramentum hoc accedere præsumitis, ideo sunt in vestro consortio multi infirmi, scilicet illi qui in sanctitate ista medicinam animæ quærere nolunt, sed qui sibiipsis amarissimam infirmitatem in eisdem sacramentis imponunt, quoniam ea sibi ad iudicium sumunt. Et etiam multi imbecilles, videlicet illi qui in lege Dei ita debiles sunt, quod nullo modo inspicere volunt, quis ille sit quem tam indigne suscipiunt. Quid hoc? Quia nolunt considerare quomodo Dominum timere & venerari debeant, aut quomodo amara pœnitentia carnem suam puniant, quam ita in vitiis enutrierunt. Sed quoniam ita negligentes sunt, idcirco etiam in obliuione huius negligentiæ obdormiunt multi, nescientes nec scire volentes quomodo peccata sua deflere debeant: velut homo cum in dormitione somni est, nescit nec intelligit quid vel quomodo in corpore suo sit. Vnde tu homo cum nec in confessionibus, nec in pœnitentia per te purgatus, corpus & sanguinem filij mei illotus accipis, tunc in tremenda exquisitione de hac præsumptione sordis peccatorum tuorum ita examinaberis, vt & mustum de immunditia illa quam in se habet purgatur, cum eam in feruore suo ab se eijcit.

59 Idem quoque sacramentum tanta diligentia & solicitudine à sacerdote & à populo tractandum & custodiendum est, ne à quoquam ita negligatur, vt super terram neglectum proiiciatur. Quia si per torporem neglectum super terram ceciderit, contumaciam illam per zelum meum, aut in terra, aut in homine vlciscor, nisi ipse homo pœnitentia & amaris verberibus se puniat: quoniam caro & sanguis, carnem & sanguinem restituere debet. Quomodo? Caro & sanguis hominis in homine lugebunt, quod caro & sanguis filij mei negligenter ab homine tractata sunt: sicut & tunc terra contremuit, & vt homines in timore concussi sunt, cum filius meus in cruce positus spiritum tradidit.

60 Sed si tu, ô homo, in instabilitate cordis tui in teipso dixeris: quomodo oblatio ista in altari corpus & sanguis filij mei efficiatur, tunc & ego respondeo tibi: Cur hoc, ô homo, interrogas, & quare hæc scisciteris? Num hæc à te requiro? Quid scrutaris secreta mea de corpore & sanguine filij mei? Nec ista à te requirenda sunt, sed tantum in magno timore & veneratione ea suscipiens, diligenter custodi, & amplius de hoc mysterio noli hæsitare. Nam me tam temere non debes tentare. Et quid hæc ad te? Sed in certissima fide require me. Cum enim totam fidem tuam inspexero, tunc non quæro à te quid sit corpus & sanguis filij mei, vel quomodo mysterium hoc in altari consecretur. Et quis quærit te ô homo an in igne ardorem ignis non sentias? Nullus. Sic nec tu in secretis meis temere require me, ne inde lædaris. Quod si ea cum deuotione animi tui quærere volueris, tunc ea in oratione & fletu & ieiunio diligenter quære: sicut & antiqui patres tui illa certissime quæsierunt, & frequenter eis reuelata sunt. Cumque illa hoc modo scrutatus fueris & ea inueneris, tunc quod reliquum est, Spiritui sancto relinques. Sed qui ad sacramenta hęc accedunt, non per deuia sed per rectam viam veniant: ne ab eis proiecti, magnum casum ruinæ patiantur.

61 Quomodo? Nam pessimus deceptor, qui sine electione, & sine consecratione principalis vnctionis cathedram pastoralis officij fallaciter sibi vsurpauerit, & nequissimus raptor, qui pastorem suum expellens per sibilos sibi consentientium cathedram eius violenter inuaserit: isti aut per seipsos sua voluntate graui vindictæ subiacebunt, aut per zelum meum grauem sententiam inde sustinebunt: quia in pessima amaritudine ipsi sunt illum imitantes, qui in seipso maximum honorem habere volens, ab omni gloria fœlicitatis in mortem deiectus est: & quia etiam Baal sequuntur, qui sibi ita illusit, quod se Deum fallaciter nominans, in dissipationem datus est. Et si in hac peruersitate mendacij & præsumptionis suæ sacros ordines meos dare se simulauerint, tunc illi qui ab eis hoc modo potius inficiuntur quam deliniantur, ita in conspectu meo computantur, veluti ij à populo derisui habentur quos pueri in iocis & in ludis suis sibi iocularias personas constituunt. Sed vt hoc in hominibus vanum est, ita & istud apud me ludibrium est, quod huiusmodi inuasores in deceptione sua se facere simulant. Vnde quia ædificatio eorum praua esse probatur, stare non potest, quoniam casura est. Et ideo si in templo meo quicquam in sacris ordinibus ædificare visi sunt, delendum est: quia iustitiam non habens, friuolum esse dinoscitur. Ergo ab hac temeritate sua respiscant, ne in pœnis consortes illius fiant, qui dum plus quæreret quã deberet, ab altitudine in profunditatis abyssũ missus est. Sed & ille laniator, qui vnctionem sacerdotalis officij nõ habens, per insaniã mentis suæ ita furiose ad altare meum accedit, tanquam illusor sim aut ioculator, hic mensam nomini meo consecratam temere tangens, sacram videlicet oblationem offerre volens, quod sui officij non est, filium meum duro cruciatu vulnerare non timet. Quomodo? Vt incredulus sua incredulitate Deum inuadit, & vt vesanus sua insania in ignem currit, sic iste me Deum nesciens, nec ardentem ignem me sentiens, timorem meum abijcit: nec mansuetudinem meam diligit, sed filium meum vulnerat, cum non vnctis labiis sermonem illum dilaniat, quem ipse vnigenitus meus sponsę suæ contulit, cum ei corpus & sanguinem suum in dotem dedit. Vnde huic tam temere eum inuadenti dicitur: Quis tangit filium meum tam contumax & non vnctus? Sed iste qui hoc modo ad altare meum accedit, quoties filium meum prædicto secreto sermone inuocare præsumit, toties eum vulnerare contendit: non quod eum ita vllo dolore cruciet, sed quia eum tam præsumptuose tangere non timet. Qui si in hoc contemptu sine pœnitentia permanserit, inter illos in pœnis stabit, qui filium meum sine causa vulnerauerunt. Quapropter ne hęc tormenta sentiat, lamentationẽ afflictionis sibi assumat, ita tamen ne amodo ad ministerium altaris mei accedere pręsumat. Cæteri autem qui sub sacerdote in seruitio Eccle-

siasti-

siastici officij ministrare contendunt, caueant ne sine modo iustitiæ eidem ministerio appropiare præsumant, ne si rectitudinem illam sibi fallaciter vsurpauerint, tunc informes & impoliti inuenti à constructione Ecclesiasticæ ædificationis iusto iudicio eiiciantur. Volo enim vt ministri mei, sine dolo & sine sorde in conspectu meo mundi appareant. Quomodo? Vt recta electione ad altare meum accedant, & tunc etiam ibi sine immunditia mihi assistant.

62 Quomodo? Ne ad sæcularem copulationem respiciant, quia spiritualem elegerunt. Quomodo? Quia seruitutem meam adierunt. Sed si quis eorum ardenti libidine carnis suæ vritur, corpus suum abstinentia & ieiunio maceret, atque frigore se & flagellis castiget. Quod si tandem in pollutionem mulieris labitur, tunc contaminationem illam velut ardentem ignem & mortiferum venenum fugiat, atque amara pœnitentia vulnera sua detergat: quoniam volo vt mihi in castitate seruiatur. Quomodo? Quia & filius meus castissimus erat, qui & hos omnes ecclesiasticos ordines in seipso demonstrabat. Quomodo? Videlicet obsequendo, precando & offerendo. Quomodo? Quoniam & circumcisio eum suo obsequio tetigit, & prophetia eum suo clamore demonstrauit: ac ipse per seipsum hominibus prædicauit, & tandem viuum sacrificium in ara crucis se obtulit. Et quia ipse seipsum in castitate holocaustum dedit, sic & illi castitatem eius imitentur qui ei ad altare holocaustum offerre conantur. Qui tamen non solum castitatem in alijs tenebunt, sed & in seipsis eam conseruabunt. Quomodo? Vt sacerdos à contagione mulieris se custodire debet, sic etiam à seipso se cõtineat, scilicet cauens ne tactu manuum suarũ pollutionem de se educat, ita ne strepitus libidinis in ipso ærumnose tumultuet. Nam crimen Adæ hominibus mortem inferens, in ipsis sensus fornicationis excitauit: & ideo carnem suam homines cõstringant ne casibus mortis turpiter subiaceant. Quomodo? Quia filius meus mortem superauit, & ipse vitam dedit. Qui quoniam in integritate virginalis pudicitiæ carnem assumpsit, idcirco etiam casti esse debent, qui ipsi famulari desiderant vt ex diuino præcepto scriptum est: *Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis vxoribus vestris.*

63 Quid hoc? Qui Deo singulariter seruire vultis, estote cum voluntate cordis vestri parati in diem serenitatis illius, vbi sancta & ineffabilis trinitas veraciter apparens mirabilia sua in magno miraculo demonstrat. Et ideo si ibi Deo digne appropiare vultis, cauete ne carnali affectu vos coniungatis carnalibus copulis, videlicet ne sanguinem vestrum sanguini fragilioris æstimationis commisceatis. Quod vos ô sacerdotes & cæteri ministri mei qui sub spirituali nomine militatis, cauere debetis: quia etiam nec Apostoli quos subsecuti estis, se in diuersa diuidebant, nec vobis tale exemplum relinquebant.

64 Nolo enim vt duæ copulæ scilicet spiritualis & carnalis studij in sacerdotibus sint, quoniam sacerdos iustitiam Dei sibi copulabit, ita vt vxor eius sit: cum qua cæteros populos enutriet & docebit, vt pater filios suos educare & docere solet. Et quomodo aptum esset vt sacerdos duas copulas in recta mensura exerceret, quæ sibi in diuersitate contrariæ sunt. Quomodo? Vna carnalis & alia spiritualis.

65 Et cum sacerdos pastor & pater illorum hominum sit qui carnale coniugium habent, si tunc ipse æquali modo possideret, quis tunc ipsius sacerdos esse deberet? Nullum alium sacerdotem habere posset qui ipsi præesset, quam diabolum qui sacerdos illius esse deberet, quoniam & eum venenum sub melle abscondentem imitatus fuisset. Quomodo? Quoniam vt diabolus malum sub bono abscondit, ita etiam huiusmodi sacerdos qui turpitudinem suam magis sepuuntur quam castitatem diligant, carnalem copulationem sub spirituali coniugio, quasi venenum sub melle celare nituntur. Sed quia filius meus totus in castitate est, ideo etiam & hi castitatem amare debent, qui corpus & saguinem eius in altari tangunt: quemadmodum scriptum est: *Sacerdos, & scortum & vilè prostibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito, quia consecratus est Deo suo, & panes propositionis offert.*

66 Quid hoc? Ille qui ad hõc positus est, vt sacrificium Deo offerat, iniustitia diaboli qui in omni spurcitia totius iniquitatis communis autor est non diligat, nec etiam sensus suos ita viliter deiiciat, vt cum iugum meum ferre vult voluntatem carnis suæ contra iustitiam Dei, & contra exempla antiquorum sanctorum turpiter amplectendo sequatur, ne ita immunditiam illam quæ repudiata est ab eisdem antiquis patribus suis (cum eam de flatu antiqui serpentis esse cognoscerent) in contumelioſis actibus perficiat. Has ergo sordes ipse deferens, amator iustitiæ Dei sit, quoniam in sanctitate consecratus Deo suo est, videlicet à carnalibus concupiscentiis in operibus nascentium filiorum abstractus. Vnde ita sobrius & impollutus existens, panem illum qui pro salute hominum in mensa consecrationis ponitur, offerre potest. Quid hoc? Scilicet quia sacrificium illud quod est vita viuentium, & refectio animarum, speculumque omnium virtutum: quæ per sanctam innocentiam in forma castitatis perspicuæ sunt ab omni sorde mundissimum est. Quapropter & illi qui idem sacrificium oblaturi sunt, sine spurcitia pollutionum esse debent, se etiam continentes ab epulatione & ebrietate, à ioco & à risu, atque à leuibus & incompositis moribus: sed sintin reuerentia illa, vt successoribus antiquorum patrum de quibus plantati sunt conuenit, & in dignitate illa vt honorabiles patronos decet. Et etiam ita viuant re sint duplices in duabus personis, id est ne simul in sæculari & in spirituali via ambulent: quia difficile est duobus dominis simul famulari, vt etiam filius meus in Euangelio testatur, dicens: *Nemo potest duobus dominis seruire.*

67 Quid hoc? Nullus qui mortalem tunicam indutus est, valet præ teneritudine sensus & corporis sui duobus dominis pariter & æquali obsequio seruitium exhibere. Quid hoc? Quia non potest domi-

domino rectitudinis, & domino iniustitiæ simul famulari. Quare? Quoniam rectitudo iniustitiam abiicit, & iniustitia rectitudinem impugnat. Sic etiam sacerdos non potest simul & pari deuotione habere ancillam & dominam videlicet carnalem copulam & spirituale consortium: quia hęc duo in perfectione simul esse non valent. Quoniam illud quod carnale est, impugnat hoc quod spirituale est, & spirituale deprimit illud quod carnale est. Quod & Paulus amicus meus cognoscens, illud ita esse voluntate mea demonstrat, cum dicit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum.*

68 Quid hoc? Necesse est vt ille qui cæteris hominibus in officio spiritualis magisterij præeminet, ita vitam suam constituat, ne scandalum offensionis & reprehensionis in eo inueniatur. Quomodo? Quia sacerdos duas personas habere non debet, ita vt simul maritus carnalis vxoris, & vir spiritualis coniugis sit: sed vnius vxoris vir scilicet Ecclesiæ in sanctitate erit, quæ vnica in filio meo est, quoniam vna Ecclesia in ipso surrexit. Sed hæc quamuis vna sit, tamen plurimos maritos habet, quia cum sacerdotibus filij mei qui quotidie in officio ipsius sunt, nuptias peragit: virgo tamen in integritate sua permanens, quoniam in ipsa fides incorrupta est. Quapropter & idem Paulus vas meum non dixit vt hæc vxor vnius mariti esset, quia sacerdotibus illis qui vsque ad nouissimum diem in eodem vnigenito meo surgunt, coniuncta est, vsque dum etiam nuptiæ illæ veniant, quæ nunquam vlla mortalitatis instabilitate deficiant. Sed & illi qui sub sacerdotibus in seruitio altaris mei proxime ministrant, eiusdem vxoris mariti sunt, quemadmodum idem Paulus fidelem doctrinam hominibus per me præbens locutus est, dicens: *Diaconi sint vnius vxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.*

69 Quid hoc? Isti qui sui iuuaminis obsequio sacerdotibus assistunt, sint vnius vxoris fideli coniunctione mariti. Et quæ est vxor illa? Videlicet castissima sponsa, quæ nulla corruptione lædi potest, vt mulier illa corrumpitur quæ virginitatis florem & innocentiam suam perdit quam in initio desponsationis suæ habet, cum adhuc cum sponso suo incorrupta manet. Vnde & isti desponsatores cum hac vxore iustitiæ tam fideliter conuersentur, vt & ijs qui adiutorio eorum in spiritu & aqua regenerati sunt, bona exempla virtutum præbeant: vt & etiam officio suo quod ad munimen Ecclesiasticæ mansionis pertinet, fideli solicitudine insudent: quemadmodum sæcularis homo filiis suis & domui suæ omnem deuotionem procurationis suæ intendit. Sponsam enim istam ostendit Paulus amicus meus sacerdotibus & cæteris ministris altaris mei, quatenus illam sibi in vxorem eligerent, & carnalem coniugem non appeterent. Nam nec idem Paulus, nec cæteri discipuli filij mei, nec reliqui patres scilicet eorum sequaces hoc exemplum per semetipsos illis dabant, vt carnalem coniugem acciperent, & illam desererent, quam sibi prius in spiritualem vxorem elegerant. Sacerdos enim qui tam contumax in peccato est, vt mulierem secundum voluntatem carnis suæ illicite accipiat, adulterium perpetrat: quoniam rectam vxorem suam, id est Ecclesiam, quæ sibi spirituali officio desponsata erat, deserit; & aliam secundum libitum mentis suæ impudice ducit. Sed quamuis sibi difficile sit vt in hoc ardore se constringat, tamen propter supernum amorem à concupiscentiis istis se contineat, vt etiam filius meus in Euangelio hortatur, dicens: *Sunt etiam eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat.*

70 Quid hoc? Quoniam sunt aliqui homines, qui de materno vtero ita egressi sunt, quod præ frigiditate vel imbecillitate corporis sui coniuges habere non possunt. Vnde propter hanc continentiam suam, vtilitatem mercedis non accipient, nisi quod solum de opere illius peccati pœnas non sustinebunt: quia de peccato quod non perpetrauerunt, pœnas non habebunt. Et sunt alij homines, qui per voluntatem aliquorum hominum ita in corpore suo debilitati sunt, quod voluptatem carnis suę in hoc coniugali opere exercere non valent, sed & ipsi ita se continentes gloriam laudis inde non merentur, quoniam quamuis hoc opus incendij perficere non possunt, tamen in voluntate sua multoties ardorem turpitudinis sentiunt. Et sunt alij homines scilicet spiritualem vitam aggredientes qui sibimetipsis hoc subtrahũt, quod facile cum corpore suo perficere possent, quoniam propter gloriam supernæ hæreditatis carnalem copulam contemnunt, nec eam habere volunt, & ideo maximam laudem cum mercede beatæ remunerationis inde habebunt. Quapropter & eos sacerdotes mei, & omnes ad officium altaris mei pertinentes plenissima voluntate sua imitari debent, vt coronam continentię cum maximo tripudio superni gaudij percipiant. Et ideo quicunque in voluntate cordis sui potest hoc exemplum capere, ita quod pleno desiderio beatitudinis corpus suum superare valet, & concupiscentias carnales abiicere, ille cum ardentissima deuotione capiat cœleste consortium, in constrictione carnis suæ carnalem copulam fideliter relinquens.

71 Qui autem se non valet continere quin in voluntate carnis suæ ardeat, hic nec propter personam superbiæ, nec propter appetitum diuitiarum, sacerdos aut alius minister sacerdotalis gradus fiat: ne si postea in delectatione carnis suæ ceciderit, magnum detrimentum sui sentiat. Nam ipsi corpus suum à contagione fœminarum continebunt, qui ad ministerium altaris mei accedere solent: nec qualibet occasione matrimonia coniugiorum sibi copulabunt, sed & sua voluntate & seruitij mei rectitudine se caste continebunt: alioquin sanctum seruitium in altari meo vitare debent.

72 Quod tamen seruitium quamuis quibusdam hominibus, qui se prius sæculo subiugauerant, aliquando concessum fuisse reperiatur, tamen in illis apparuisse cernitur qui ante susceptum & non

post

post suscepturn seruitium meum carnali iugo se suppossuerant, ita tamen quod eodem iugo ab eis postmodũ abscisso, deinde in ipsis Spiritus sanctus præconia laudis in mirabilibus suis operatus est: cum hoc in primordio surgentis Ecclesiæ propter paucitatem sacerdotum in miraculo cõcessum sit: sed nunc ipsa adulta & bene confortata, ministris eius multiplicatis, iuxta id quod Ecclesiastica censura de eadem causa ostendit, præcauendum est, secundum hoc exemplum quoniam ab initio nascentis mũdi masculis fœminas de proxima stirpe sua ducere ob raritatem hominum concessum est, quod tamen nec ipsis dilatatis prohibendum est. Quia etiam informes & impoliti lapides in fundamentum ædificij poni solent, cum tamen postea pulchri & bene cõpositi lapides in muro parietum eius exquirantur. Ita etiam in infantia Ecclesiæ sacerdotes secundum quod tunc inueniri poterant, in officium illud positi sunt, sed modo in spirituali populo plenus numerus illorum reperitur qui ad sacerdotale officium apti sunt ita quod sæculari onere terrenæ copulationis occupati non sunt. Quoniam non expedit vt paterfamilias qui præceptum in sæculari coniugio suscipit, nuncius meus in sacerdotio vocetur. Vnde audi similitudinem hanc.

73 Rex quidam multa fortitudine pollens paruum exercitum congregauerat: quem cum diligenter intuitus esset, rudem eum ad exercitium laboris videns, ex eo quendam cum quibusdam aliis communis plebis tollens quos idoneos ad procurationem prospexit, eidem exercitui præfecit, quia excellens germen huius nobilitatis nondum maturuerat. Sed cum deinde iam idem exercitus augmentum sui cœpisset, & cum iam in eo nobiles adulti fuissent, rex ille quodque ius in illo exercitu bene & ordinate dispossuit, ac duces & præsides ex nobilioribus illis ei secundum quamque iustitiam præfecit. Quid hoc? Rex cœlestis cuius fortitudo super omnes est, in plantatione Ecclesiæ modicum agmen credentium coadunauerat. Quod acutissima exquisitione perscrutans infirmum & debile illud adhuc ad sustentandum corporales passiones pro eius nomine considerauit, & ita Petrum qui vnus ex ipso existens prius in terrenis actibus conuersatus fuerat, atque post eum aliquos alios qui etiam aliquando succum terræ gustauerant à sorde temporalium rerum emundans, quoniam eos sagaces & fideles, & ad curam animarum, & ad sustentationem corporum in plantatione sua esse prænouit, fidem Catholicam amplectentes, in officio districtionis & relaxationis prætulit: quia rutilans aurora in ardore castitatis humana contagia exurens, nondum flores suæ dulcedinis in hominibus late diffuderat. Sed iam multitudine Ecclesiastici germinis per circuitus totius mundi late disseminata, & gloria Ecclesiastici honoris iam nobiliter confortata idem rex supernus tam sæcularia quam spiritualia dona hominibus benignissima & decentissima dispositione inspirauit, atque sacerdotes & cæteros ministros diuinorum officiorum sobrietatem & castitatem suam Ecclesiastico iuri secundum iustitiam Dei honestissime conseruantes instituit. Vnde ô homo quia iam inter spirituales homines multi exorti sunt, qui contra sæculum & contra diabolum militare laborant, & qui in castitate & constrictione corporis sui ad altare meum accedere festinant, volo vt sacerdotes mei sine contagione terrenæ copulæ in conspectu meo appareant. Nam cum in veteri Testamento sacerdotibus præceptum sit vt cum ad altare meum accederent se à contagione mulierum continerent, hoc totum in nouo Testamento sacerdotibus meis ad plenam perfectionem perductum est: ita vt quod illi veteres quasi vna hora in castitate cauebant, hoc isti noui ab initio pueritiæ suæ vsque ad finem senectutis suæ compleant. Et cum de veteribus sacrificium in coniunctione mulieris pollutum suscipere nolui, multo magis de nouis sacerdotibus filium meum in castitatis officio tractari volo.

74 Nec quisquam immaturus & inconsecratus Ecclesiam suscipiat, nec etiam plures Ecclesias appetere præsumat, ne si in ætate pueritiæ aut sine consecratione sacerdotalis officij Ecclesiam suscipere præsumpserit, vel vnam habens etiam plures sibi subiugare tentauerit, præuaricator iustitiæ in hoc existens grauissime districtionis iudicio discutiatur: velut ille qui ante legitimum tempus, vel sine legitima desponsatione fornicari non timet, vel legitimam vxorem habens, se polluere cum aliis in adulterio festinat.

75 Sed & de omni populo qui est in Christiano nomine sacerdotes sapientis ingenij & virilis animi eligendi sunt, ita tamen vt recto ordine, & iusta vnctione atque voluntario animo ad seruitutem meam veniant. Hoc tamen esse non debet vt ij ad officium altaris mei accedant, qui in aliquo membrorum suorum debilitate claudicant. Quia nec etiam in regno cœlorum vlla macula diuersorum vulnerum in animabus hominum apparebit. Et ideo nolo vt altari meo assistant, qui aliquo membrorum suorum destituti sunt. Sed quamuis ipsi in corporibus suis debiles sint, tamen pro hac destitutione membrorum suorum à regno cœlorum non separabuntur, si tamen sanitatem animarum suarum habeant: ita si in puritate bonorum operum me quærunt, nolo tamen vt ministerio altaris mei fungantur, sed vt efficaciam bonorum operum humiliter operentur.

76 Sic etiam nec fœminæ ad idem officium altaris mei debent accedere, quoniam ipsæ infirmum & debile habitaculum sunt, ad hoc positæ vt filios pariant, & eos parientes diligenter enutriant. Sed fœmina non per semetipsam sed de viro infantem concipit, sicut nec terra per semetipsam sed per agricolam aratur. Quapropter vt terra semetipsam arare non potest, ita nec fœmina in officio consecrationis corporis & sanguinis filij mei sacerdoti comparanda est: quamuis in laude creatoris sui sonare possit, vt & terra ad irrigationem fructuum pluuiam suscipit.

Et vt terra omnem fructum profert, ita etiam & in fœmina omnis fructus boni operis perficitur. Quomodo? Quia summum sacerdotem, sponsum accipere potest. Quomodo? Virgo desponsata filio meo, sponsum eum accipit, quoniam corpus suum carnali viro concluſit: & ideo in sponso meo sacerdotium & omne ministerium altaris mei habet, atque omnes diuitias ipsius cum eo possidet. Sed & vidua eiusdem filij mei sponsa potest appellari, quæ carnalem virum renuens sub alas protectionis eius fugit. Et vt sponsus sponsam suam valde diligit, sic etiam filius meus sponsas suas dulcissime amplectitur, quæ ad eum amore castitatis solicite currunt.

77 Sed & nullo modo vir fœmineo vestitu induatur, nec fœmina viri habitu vtatur, vt hoc modo vtraque persona discernatur: scilicet vt virilem fortitudinem in se demonstret, & vt fœmina fœmineam infirmitatem in se ostendat. Quoniam hoc ab initio humani generis ita in dispositione mea est, nisi aut vir in periculo mortis, aut fœmina in periculo castitatis sit. Tunc si ad horam illam aut vir secundum fœminam, aut fœmina secundum virum vestitum suum humiliter in timore mortis mutauerint, cum misericordiam meam de hoc facto suo quæsierint eam inuenient. Quia illud non in temeritate, sed in periculo salutis suæ fecerunt. Et quoniam fœmina virili habitu vestiri non debet, ideo etiam ad officium altaris mei non accedet. Quia virilem personam nec in capillis nec in vestitu suo demonstrabit.

78 Qui autem ad altare meum accedunt, in castitate in conspectu meo appareant. Et non solum isti, sed & cæteri qui sacramentum corporis & sanguinis filij mei percipere desiderant, ne seipsos in casum ruinæ mittant Sed multi tam inter spirituales quã inter sæculares inueniuntur, qui se non solum fornicatione mulierum polluunt, sed etiam in contrarietate fornicationis se contaminantes, grauissimum onus districti iudicij sibi imponunt. Quomodo? Vir qui secundum modum fœminæ cum alio viro peccauerit, amare contra Deum peccat, & contra coniunctionem illam quam Deus masculum & fœminã coniunxit. Vnde etiam ambo coram Deo polluti, nigri, atq; luxuriosi, horribiles ac molesti Deo & hominibus: & rei mortis apparent: quia contra creatorem suum, creaturam quę in ipsis est destituunt. Quomodo? Deus virum & fœminam coniunxit, scilicet hoc quod forte & infirmum erat simul copulauit, vt alterum ab altero sustentaretur. Sed isti contrarium adulteri, cum virilem fortitudinem suam in mollitiem contrarietatis transferunt, rectam institutionem maris & fœminæ abiicientes, sathanam in peruersitate sua turpissime subsequũtur, qui illum qui indiuiduus est scindere & diuidere in superbia sua volunt. Nã ipsi alienum & contrarium adulterium in peruersis artibus suis in semetipsis constituunt, & ideo in conspectu meo polluti & contumelioſi apparent. Qui autem eodem modo in hac contraria fornicatione peccauerit cum muliere, voracissimus lupus in ista peruersitate sua est. Quomodo? Nam vt homo ille contrarius & molestus esset hominibus, qui pulcherrimas & mundissimas epulas habens eas abiiceret, & stercus quod in egestione hominis egreditur comederet, ita etiam & isti indigni & immundi coram me sunt: quoniam rectam institutionem coniunctionis in muliere deserunt, & alienam præuaricationem in ea quærunt. Sed & fœmina quæ has diabolicas artes rapit quod se virili officio cum altera fœmina coniugari simulat, vilissima in conspectu meo apparet, simul & illa quæ se huic in tam contumelioso facinore subiicit. Quia cum verecundiam ad passionem suam habere deberent, alienum ius sibi impudice vsurpauerunt. Et quoniam in extraneum modum se transmutauerunt, iccirco transpositæ & contemptibiles mihi sunt. Illi quoque mares qui cum tactu præputij sui semen suum educunt, magnum casum animæ suæ imponunt: quia in hac inquietudine se omnino concutiunt, & ideo velut immunda animalia quæ catulos suos deuorant, coram me apparent. Quoniam semen suum peruerse excutientes illud ad contumeliosam pollutionem deducunt. Quos & fœminæ impudico tactu imitantes, cum in incentiuo ardore ardentis libidinis in constrictione corporis sui semetipsas fatigant, valde culpabiles exinde sunt: quia cum in castitate se continere deberent, se in immunditia polluunt. Vnde tam fœminæ quam viri qui proprio tactu corporis sui semen suum de se excutiunt, in hac sorde sua vlceribus & vulneribus semetipsos in animabus suis inficiunt, cum propter amorem meum in officio castitatis se constringere noluerunt. Quid hoc? Quia cum homo stimulum carnis suæ se pungere senserit, in cauernam continentiæ currat, & scutum castitatis apprehendat, atque ita se ab immunditia defendat. Quomodo? Zizania de tritico eiiciat, id est strepitum libidinis à suauitate castitatis separet. Vnde quisquis gustum libidinis sic à se proiecerit, valde dulcis & amabilis mihi est. Sed vos ô homines castitatem abiicitis & libidinem amatis, cum etiam non solum fornicatores hominum, sed etiam fornicatores pecorum estis ita quod semen vestrum non in illud quod viuit: sed in illud quod mortuum est mittitis, & quod consortem vestri deseritis, & illud quod vobis in seruitute subiectum est appetitis. Quapropter clamant super vos elementa dicentia: Heu heu nostri dominatores miscent se nobis in commixtione seminis sui. Et ita de indignatione mea in operibus vestris tristitiam se habere demonstrant. Cur ergo intelligibilem intellectum vestrum in pecualem stultitiam vertitis, cum scitis vos homines esse? Nunquid creaui vos ad iuncturam pecorum? Nequaquam. Et quoniam illis vos coniungitis, idcirco amarissima consortia nefandorum criminum cadent super vos, quia institutionem meam in iunctura maris & fœminæ contemnitis. Nam quisquis in actibus suis se ita transmutat, quod hoc facit quod facere concupiscit, videlicet quod se ita destituit, quod semen suum cum pecore effundit, hic maximam ruinam sibi inducit, vt etiam sathanas semetipsum per aduersitatem suam delecit,

cum

cum ſimilis Deo eſſe voluit. Quapropter vos omnes qui peruerſo vſu in diuerſis huiuſmodi pollutionibus vos contaminatis, concupiſcentiæ veſtræ reſiſtite, & corpora veſtra caſtigantes amariſsimam & veram pœnitentiam cum planctu magno & ieiunio ac maceratione carnis veſtræ atque cum diris verberibus facite, ne in cumulum crudeliſsimi reatus vos impœnitentes mittatis.

79 Non ſolum autem volo vt homines à vigilanti immunditia ſe emundent, ſed vt etiam à pollutione illa quæ ipſis dormientibus occurrerit, ſe digne purgent. Nam ſi dormienti homini commotio ſeminis in ſomno ſubrepſerit, nolo vt ita in ardenti calore illo in ſacramento officij altaris mei accedat, quouſque ardor ille in eo ſedetur, vt ſcriptum eſt: *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomno, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aquâ, & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.*

80 Quid hoc? Si eſt inter vos (qui ſeruitio meo inſudatis) homo, qui per noctem polluitur in ſomno dormitionis ſuæ, ſeparet ſe de congregatione ſanctitatis illius quæ ad altare meum pertinet, ita vt ſe myſterio illi coniungere non præſumat antequam abeunte noxio calore illo emundetur lauacro pœnitentiæ, in confeſsione & compunctione cordis de incendio libidinis ſuæ. Et tunc pœnitentia illa quę cor ipſius ita illuſtrauerat peracta, redeat in amore caſtitatis ad illos qui ſe fideliter ab immunditia pollutionis defendunt, & ſacramentum illud quod totum in ſanctitate eſt, digne & honorifice adeat.

81 Sed homo ille qui tam dormiendo quam vigilando fortiter in libidine ardet, caueat ne ardori ſuo incendium ſubminiſtret. Quomodo? Scilicet eſcis illis quæ ſibi ſuccum libidinis offerunt, ſe non inflammet, ſed à carnibus illis quę ſine tegmine nudę de matribus ſuis id eſt de pecoribus egreſſę ſunt, humiliter abſtineat: quia in ipſis feruor ardoris eſt, qui tantus non eſt in carne volucrum quæ ſine tegmine non egreditur, ſed cum tegmine teſtæ fracto ouo naſcitur. Vnde etiam minus incendium in ipſa eſt. Sed & ab immoderato vino ſe abſtineat, ne in ſuperfluitate potato, venæ ipſius noxio ſanguine repletæ, in ardore incendij turpiter incaleſcant.

82 Si quis autem in ſuperfluitate cauſarum iſtarum laborat, ſibimetipſi reſiſtere per ſe non valens, deuotiſsima intentione me quærat, ac vulnera cordis ſui humillima detectione mihi demõſtret. Quomodo? Videlicet humili confeſsione coram ſacerdote ea mihi aperiat. Et cur hoc? Quia vera confeſsio, ſecunda reſurrectio eſt. Quomodo? In caſu veteris Adæ humanum genus occiſum eſt, quod nouus Adam in morte ſua excitauit. Quapropter & in morte eiuſdem noui Adæ reſurrectio animarum exorta eſt, ita quod homo peccata ſua confiteri debet: quod vetus Adam non fecit, cum præuaricationem ſuam magis obtexit, quam eam confeſſus ſit. Quomodo? Quia eam non eſt confeſſus pœnitendo, ſed eam obtexit fœminam accuſando. Vnde & confeſsio poſita eſt, vt poſtquam homines ceciderint, de caſu ſuo per eam erigantur. Et ideo quicunque pura confeſsione ſacerdoti in amore meo, peccata ſua confeſſus fuerit, de morte ad vitam reſurgit: vt etiam illa de morte erepta eſt, quę in conuiuio coram filio meo cum lachrymabili pœnitentia de ſordibus ſuis ſe purgauit.

83 Quod remedium purgationis & in antiquis patribus diu præfiguratum eſt. Quomodo? Nam ante legem gratiæ, Patriarchæ & Prophetæ conſolatio hominum erant, & ſub lege, Pontifices & Sacerdotes eruditio ipſorum fuerunt, cum deinde Apoſtoli venientes veram iuſtitiam in filio meo attulerunt, ita quod multi homines ad eos currentes, adiutorium eorum deuote imploraverunt. Et ita ab Adam vſque ad apoſtolatum Apoſtolorum, ſemper ij erant qui per ſupernam inſpirationem, conſolatione & inſtructione ſua miſeriis hominum ſubueniebant. Sed & vt Apoſtoli hominibus ſua prædicatione & multis miraculis oſtendebant, homo qui diabolica ſuaſione in mortem cadens per ſe nunquam erigi potuit, per filium meum à morte ereptus eſt. Quomodo? Quoniam cum in mundo eſſet, multos labores in corpore ſuo perferens, denique pro redemptione mundi in crucem poſitus eſt. Iſtud fideles homines pro ſalute ſua cum ſacerdotibus ſuis imitari debent. Quomodo? Adiutorium filij mei quærent, quia cum poſt baptiſma, vetus crimen Adæ reuocauerint, de caſu ſuo per ſemetipſos ſurgere non valent. Et ideo velut à Patriarchis & Prophetis conſilium quærent, & ab Apoſtolis auxilium accipient, vbi peccata ſua denudatis vulneribus ſuis, in vera & pura manifeſtatione fideliter demonſtrabunt. Quomodo? Peccata ſua ſacerdoti qui miniſter filij mei eſt, deuotiſsimo corde & ore confitebuntur. Et tunc ſacerdos ille remedium eis in pœnitentia ipſorum conferens, ita peccata eorum in morte vnigeniti mei ſepeliet. Sed illi deinde hoc modo ad vitam reſurgentes, reſurrectionem etiam filij mei glorificabunt.

84 Qui autem vulnera peccatorum ſuorum denudare recuſat, ſed tacens per ſemetipſum ſine ſubleuatione alterius ea curare tentat, ſecundum quod tunc cor ſuum velle probat, ſeipſum decipit, quia ſibimetipſi ſacerdos vult eſſe. Quapropter & ſine adiutorio alterius ſurgere non valet, quoniam nec homo per ſemetipſum in ſaluatione erectus eſt, ſed per filium meum ſaluatus eſt. Vnde qui ſaluari deſiderat, nec in fine vitæ ſuæ peccata ſua confiteri deſperet.

85 Quod ſi quis in hora mortis ſuæ poſitus remedia vulnerum peccatorum ſuorum quærit, nec tamen ſacerdotem cui peccata ſua confiteatur, habere poſſit, tunc alij homini quem eodem tempore opportunum habet, ea manifeſtet. Vel ſi tam repente nullum hominem habere poteſt, ea mihi coram elementis cum quibus etiam illa perpetrauit, ex intimo affectu cordis ſui aperiat. Et ego deuotionem cordis eius videns, pœnitentiam eius non abijcio.

86 Quapropter nemo de ponderibus iniquitatis suæ desperet, quoniam si de misericordia mea desperauerit, ad vitam non resurget. Qui autem cum desperatione certauerit, & tandem eam ad nihilum deduxerit, hic se liberauit, quia fortis existent viriliter vicit. Sed qui remedium salutis suæ per tumorem mentis suæ non quærit, huic succurrendum non est, quoniam dum me inuenire posset, me quærere recusauit. Ergo dum homo tempus habet, seipsum non negligat, sed refugium puræ confessionis quærat, vt etiam filius meus præcepit in Euangelio dicens: *Vade & ostende te sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moses in testimonium illis.*

87 Quid hoc? Tu qui in peccatis sordes, cum te ab illis emundari desideras, vade bona intentione, & ostende illa pura confessione sacerdoti qui minister meus est, & offer deuoto corde munus veræ pœnitentiæ: quod ex voluntate Dei præsignauit ille, qui de multis inundationibus terrenæ iniquitatis per diuinam potentiam ablutus est: vt testificentur illi qui te prius in malis actibus viderant sordisse, quod nunc in amaritudine pœnitentiæ ab eis velut in camino examinationis purgatus sis. Quapropter ô homo si peccator facta tua in abscondito cordis sui occultaret, quis tunc pœnitentiæ illius contra accusatorem testis existeret? Nullus. Vnde homo peccata sua manifestet, quatenus pœnitentiæ suæ testem habeat.

88 Sed qui pœnitentiam peccatorum suorum perficere desiderat, eleemosynam sibi in adiutorium assumat. Quomodo? Quia cum corpus homines per imbecillitatem suam in labore pœnitentiæ defecerit, eleemosyna illi in adiutorium accurrat. Et quoniam difficile est homini vt aspere & secundum quod iustum est pœniteat, ideo matrem sibi eleemosynam assumat, quatenus cum ea id perficiat quod corpori suo laboriosum est. Nam quemadmodum mater necessitati filij sui subuenire non cessat, quamuis ille iam educatus esse videatur, ita etiam eleemosyna teneritudini corporis in pœnitentia hominis succurrit, quamuis idem homo in maceratione corporis sui pœnitendo fortis appareat. Attamen mala opera quæ homo in corpore suo per concupiscentiam carnis suæ perpetrauit, illa etiam in seipso corporaliter puniat: vt opus illud quod carni suæ carum & dulce fuerat, per amaritudinem pœnitentiæ fideliter ab eo abstergatur: quoniam amaritudo pœnitentiæ, mortifera vulnera peccatorum cum adiutrice eleemosyna in hominibus sanare debet. Quomodo? Quia cum homo in castigatione se constringit, se quoque per eleemosynam dilatet. Quomodo? Quoniam eleemosyna misericordiam meam designat. Quomodo? Cum fidelis homo pauperibus cum substantia sua propter amorem meum subuenit, præcepta mea custodit, quia indigentibus misericordiam suam propter honorem nominis mei impendit, sicut & ego in puritate cordis sui me quærentibus gratiam meam non subtraho. Qui autem hoc modo refectione eleemosynarum pauperibus motu misericordiæ succurrit, valde mihi amabilis est, quoniam viscera misericordiæ habet hoc implens quod scriptum est: *Pone thesaurum tuum præceptis altissimi, & proderit tibi eleemosyna magis quam aurum.*

89 Quid hoc? Iusta & recta consideratione tolle de materia pecuniæ tuæ quæ in sinu tuo, & in amplexione cordis tui est, diuidens eam secundum præcepta illius qui super omnes est: quia Deus mandauit vt à malo declines & bonum facias. Et ideo in præcordiis tuis per bonam voluntatem tuam hoc modo abundare debes, ne de perditis ouibus sis, sed sanctifica teipsum ante Deum, in refectione deficientibus de tua substantia tribuens: quoniam & tunc Deus misericordiam suam in tuis miseriis super te non continebit. Quod si hoc feceris, tunc maiorem vtilitatem tibi affert compassio illa quam super illum habes qui nullum thesaurum possidet, quam si super magnum montem ascendens multam pecuniam auri in superbia tua possideres. Quomodo? melius enim est tibi vt modicum pusillis in humilitate des, quam regnum mundi cum magna voluptate possideas: quia tunc misericordia in remuneratione Dei ob pondus superbiæ tuæ tibi deesset, quoniam ibi viscera compassionis super pauperem non haberes.

90 Vnde & elementa lacus voluptatum hominum sunt, & mores eorum ostendunt. Quomodo? Quia vindictam Dei illis peccantibus superinducunt. Et ideo ô homo inanitatem naufragantis auaritiæ defere, quia iustissima hæreditas tua in æterna vita est: & malum relinquens, bonum fac, vt maleuolentiam duritiæ dimittas: & vt misericordiam consequaris, de tua substantia indigentibus da, in hoc imitatus Deum qui misericors est.

91 Quapropter etiam ô homo nullus mendax huic contradicere potest, quin vos qui pauperibus ita subuenitis, voluntatem meam in hoc compleatis. Quomodo? Sicut ego vobis gratiam meam impendo, ita & vos pauperibus eleemosynam vestram tribuere debetis. Sed qui eleemosynam accipiunt, eam non in vanum, nec secundum auaritiam sumant. Quid hoc? Quoniam multi sunt qui ignauiam amantes, corporaliter laborare nolunt vt seipsos pascere valeant, nec bona opera spiritualiter facere student vt animabus suis subueniant, sed vt pecora sunt, intellectum iustitiæ nec in anima nec in corpore suo habentes. Vnde etiam indigni ante oculos meos apparent, si hoc modo sine correctione & sine pœnitentia in tepore huius prauitatis perseuerauerint. Sed & multi sunt qui corporaliter necessitatem patientes, eleemosynam cum humilitate in timore percipiunt, atque pro illis orant & laborant, qui eis misericordiam suam impendunt, praua etiam opera immundissimæ sordis deuitantes. Inter hos etiam multi inueniuntur quibus idcirco terrenas diuitias subtraho, quoniam eis cœlestes diuitias dare volo.

92 Qui autem paupertatem propter nomen meum libenter sufferunt, valde mihi amabiles sunt:

qui

qui vero diuitias sæculares propter cupiditatem suam libenter haberent, nec eas habere possunt, hi mercedem huius laboris perdunt. Sed qui ob hoc diuitias quærit vt voluntatem meam & non cupiditatem suam in eis compleat, hic pro bona voluntate sua mercedem honoris apud me reportabit. Ita etiam & ille qui potestatem honoris propter iactantiam superbiæ suæ & non ad gloriam nominis mei appetit, hic mihi velut putridum cadauer est: qui autem idcirco eam quærit, vt non superbiam suam sed honorem meum inde defendat, gloriosus in regno meo ob idipsum apparebit. Quapropter & sacerdotes officij spiritualis regiminis magisterium suum non propter se, sed propter me subire debent, vt populo meo tanto securius & deuotius præesse valeant.

93 Quomodo? Quia populum meum docere, admonere, hortari, & coërcere debent, vt legem Dei digne & laudabiliter custodiant. Et hoc pastores semper ruminabunt, dum populum exhortando mouent, ne sine confessione & sine pœnitentia in peccatis suis perseueret, sed vt mala opera conculcent & bona perficiant. Quod si populus sacerdotes suos in admonitione ista non obaudierit, tunc populus reatum suum sentiet, & sacerdotes de casu negligentiæ huius se eripuerunt.

94 Si vero sacerdotes authoritatem magisterij sui populo non ostendunt, tunc sacerdotes non vocantur sed lupi rapaces dicuntur: quoniam officium suum in rapina habent, sicut & lupus quem crudeliter diripit, ita quod magis voluntatem suam sequuntur quam custodiam omnium suarum amant. Et quia peruerse viuunt, idcirco veram doctrinam populo seminare timent, ita iniquitati vt alicui domino suo consentientes, quod carnales concupiscentiæ sunt, & ostium cordis sui æquitati velut alicui domestico suo claudentes, quod iustitia Dei est.

95 Vnde ô vos pastores vlulate & plangite crimina vestra quæ in iniquitate vestra diram vocem emittunt, ita quod & elementa clamorem eorum suscipiunt, & cum eis coram me reboant. Quomodo enim in officio vestro audetis Dominum vestrum tangere in sanguineis manibus & in contraria spurcitia, & in adulterina iniquitate? Vere vos in immunditia vestra fundum terræ commouetis. Quomodo? Videlicet cum in tantis criminibus sordentes Deum vestrum tangere non timetis, terram in magno dolore opprimo, ita carnem & sanguinem filij mei vlciscens: quoniam non solum terram in hoc horrore crudeliter commouetis, sed etiam cœlum in immunditia vestra pessimè contaminatis. Quomodo? Cum in fœtore immunditiæ vestræ Dominum Deum vestrum tangitis, sicut porcus in stercore margaritas contaminat, tunc cœli iniquitatem vestram suscipientes, vltionem iudicij mei in voluntate mea super terram emittunt. Nam cum vera iustitia & cum diuina lege populum meum præcedere deberetis in bonis operibus ei lucentes, ita vt idem populus meus gradiens post vos pedem suum in nulla offensione contereret, sed vos aliquando maiore iniquitate populum meum contaminatis quam vel ipse se contaminet in quo malum & pessimum exemplum in vobis habet. Vos enim tam lucida gemma esse deberetis, vt credentes in lumine vestro, incedentes viam rectitudinis agnoscere possent: sed vos eis exemplum mortis præbetis, ita vt iniquitate vestra modum inuenire non valeant. Et quomodo esse, potestis cum pastores eorum eos ita seducitis? Quomodo ergo pro eis respondebitis, qui nec pro vobis responsum dare potestis? Vnde plorate & vlulate antequam tempus mortis vos subtrahat. Et quare non consideratis honorem vestrum, qui præ cæteris hominibus vobis datus est?

69 Quid hoc? Quoniam in filio meo præ cæteris claues cœli accepistis, quæ iudicio recti sensus & iusti iudicij in scientia scripturarum sunt, quando rectè consideratis quid sit quid ligare debeatis. Quid hoc? Cum homines se mihi in lege mea pertinaciter opponunt, timorem iudicij mei eis incutere debetis. Et si tunc culpam suam non correxerint, ligaturam vestram super eos extendite. Quomodo? Quia rebelles sunt, ideo apertis vocibus in verbis meis eos ligabitis, & eis ligaturam illam indicabitis: quoniam & pro contumacia sua coram me ligati sunt, vt filius meus primo pastori Ecclesiæ ostendit dicens: *Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

97 Quid hoc? Ego qui potestatem cœli & terræ habeo, tibi qui me deuote imitatus es, per gratiam meam dabo iudicia illa quæ dignitatem regni cœlorum tangunt: ita vt nefas sit hoc, quod iusto iudicio ligaueris super terram, secundum quod homines super terram peccare videris: quia postquam hominis animam de corpore suo abstraxero, tunc iudicium tuum super eam non extendens: quoniam iudicium illud meum est: in nequitia sua victa sit, & in cœlestibus scilicet à cœlo separata & proiecta, quia in superna mansione nulla iniquitas libertatem aut locum habere permittitur. Sed & vinculum hoc quod ita prius in rebellione constrinxisti, cum deinde in pœnitentia delinquentium denodaueris super terram erit solutum & in supernis secretis. Et tunc post mortem hominis, pro anima eius orabis, sed tunc eam à nexibus ligaturæ suæ absoluere poteris: quia gemitus deuoti cordis Deus non abijcit.

98 Vos autem ô sacerdotes qui hoc modo per filium meum potestatem hanc percepistis, neminẽ absq; culpabili causa propter rabiẽ cordis vestri in verbis meis ligabitis; sed acutissime vobis considerandum est, quem ita constringere debeatis: Nam qui nec propter pudorem hominum, nec propter timorem meum, nec precibus nec præceptis vestris cohiberi poterit quin in iniquitate sua perseuerare velit, hunc Ecclesiastica censura in verbis meis ab Ecclesia mea submouebitis. Sed innocentem non ligabitis, quo-

niam si illum constrinxeritis vosmetipsos in nodum diri reatus immittitis.

99 Quod si tamen ille hoc modo inconuenienter constrictus fuerit quamuis innocens sit, tamen humillima subiectionis obedientia propter honorem nominis mei solutionem quærere debet, ne si spretor extiterit, reatum superbiæ sibi contrahat. Sed ligatura ista talis sit. Homo qui nec mihi, nec præceptis maiorum suorum in peruersitatibus suis obedire voluerit, hic in verbo meo à cœlestibus separandus est, velut Adã mihi inobediens existens in præcepto meo de paradiso eiectus est: nec in consortium fidelium recipietur, nisi in pœnitentia obedientiæ: sicut etiam genus humanum in martyrio obedientis filij mei, ad cœlestem patriam reuocatum est.

100 Qui vero ita rebellis est quod in humilitatis officio reuerti non vult, tunc si ita in contumacia sua perdurauerit: consortium illorum habebit qui lapideum cor abijcere recusantes sed in infidelitate sua permanentes, gloriam Ecclesiasticæ beatitudinis habere recusauerunt. Nam qui ita obduratus est quod de nequitia sua nullam misericordiam quærere curat, hic antiquum serpentem imitatur qui misericordiam spreuit & qui primum hominem in paradiso decipiens in seipso ita dicebat.

101 Quamuis ego de cœlis proiectus sum cum contra exercitum altissimi cum Angelis meis præliatus resistere non valuerim, quoniam ab eo victus sum, tamen nunc in terra hominem inueni, in quo iram meam exercens me fortiter vindicabo. In terra enim in homine complebo, quod in cœlis facere volui, scilicet vt altissimo similis essem. Et si Deus iustus est, potestas ista mihi non auferetur, quia homo mihi consentiet & Deo non obediet. Hæc diabolus in seipso loquens, omnes artes suas contra hominem instruxit, vt ille à Deo recederet, qui & diabolum secutus est: vnde & cum sibi tam fortiter alligauit, quod homo illum pro Deo coluit, & Deum creatorem suum abnegauit.

102 Sed cum homo in tanta tenebrositate infidelitatis iaceret, nec se erigere valeret, ad saluationem eius misi filium meum miro modo de virgine incarnatum, verum Deum & verum hominem existentem. Quid hoc? Quia de me patre secundum diuinitatem veraciter exiuit, & quoniam de virgine matre secundum humanitatem veraciter carnem assumpsit. Quid hoc? O homo mollis & tener in tuo corpore es, sed durus & inflexibilis in tua incredulitate manes. Nam lapis poliri ad ædificium potest, tu autem molliri ad fidem non vis. Attende tamen. Sicut homo in arca sua pulcherrimam gemmam habens, eam metallo imponit vt hominibus appareat, sic & ego in corde meo filium meũ habens eum de virgine incarnari volui vt ipse credentibus salutem vitæ conferret. Quod si ei carnalem patrem dedissem, quis tunc esset? Videlicet non filius sed seruus meus. Sed hoc esse non debuit. Ipse autem de virgine natus, comedit, bibit, & dormiens requieuit, atq; alias corporales miserias sustinuit: sed tñ gustũ peccati in carne sua non sensit, quia nõ in mẽdacio sed in veritate carnẽ assũpsit. Quid hoc? Quoniã cæteri homines in præuaricatione Adæ & Euæ per gustum delectationis nascuntur, quod in mendacio & non in veritate est. Non sic filius meus ortus est, sed in sanctitate de castissima virgine ad redemptionem hominum natus est. Nam similis similem de vinculo suo soluere non valeret, nisi maior veniret qui eũ eripere posset. Quid hoc? Quoniam homo natus in peccatis, hominem peccatorẽ de perditione mortis liberare non valuit. Quapropter filius meus sine peccato venit, quia hominem deuicta morte misericorditer de morte eripuit. Sed qui vigilantibus oculis videt & attentis auribus audit hic mysticis verbis meis osculum amplexionis præbeat quæ de me viuente emanant.

VISIO SEPTIMA.

1 DEINDE vidi ardentem lucem tantæ magnitudinis quantæ mons aliquis magnus & altus est, in summitate sua velut in multas linguas diuisam. Et coram luce illa quædam multitudo albatorum hominum stabat, ante quos velut quoddam velum tanquam crystallus perlucidum à pectore vsq; ad pedes eorum extensum apparebat. Sed & ante multitudinem illam quasi in quadam via velut quidam vermis miræ magnitudinis & longitudinis supinus iacebat, qui tanti horroris & furiæ videbatur, vltra quam etiam homo effari potest. Ad cuius sinistram quasi forum erat, vbi diuitiæ hominum atq; deliciæ sæculares & mercatus diuersarum rerum apparuerunt; vbi etiam quidam homines multa celeritate currentes, nullum mercatum exercebant: quidam autem ĩte euntes & venditioni & emptioni ibi insistebant. Vermis autem ille niger hirsutus, vlcerosus & pustulis plenus erat, quinque varietates à capite per ventrem suum vsq; ad pedes in modũ zonarũ descendentes in se gerens: quarũ vna viridis, alia alba, alia rubea, quædam crocea & quædã nigra apparebat plenę cẽs veneno mortifero. Sed caput eius ita contritum fuit, quod & sinistra maxilla ipsius iam dissolui videbatur. Oculi vero eius extrinsecus sanguinei & intrinsecus ignei: aures autem rotundæ & hispidæ: nares vero & os, secundum nares & os viperæ: sed manus, secundum manus hominis: pedes autem, vt pedes viperæ: & cauda breuis & horribilis apparebat. Et collo eius catena imposita fuerat, quæ & manus & pedes ipsius alligauerat: ita quod & illa catena in lapidem abyssi fortissimè firmata, illum tam valide constrinxerat vt se nec hac nec illac secundum nequitiam voluntatis suæ mouere posset. Ex ore autẽ eius multæ flammæ exeuntes in quatuor partes se diuiserunt, quarum pars vna vsque ad nubes ascendebat, & alia inter sæculares homines, alia autem inter spirituales se extendebat, alia vero vsq; ad abyssum descendebat. Sed flamma illa quæ nubes appetebat: contra homines illos præliabatur qui ad cœlos ascendere volebant. Quorum

tres

tres acies videbantur. Nam acies vna prope nubes, & vna in medietate illa quæ inter nubes & terram est, & vna iuxta terram pergebat, omnes repetitis vocibus pergamus ad cœlos vociferantes. Sed à flamma illa hac & illac proiecti, quidam non cadebant, alij autem pedibus suis se vix sustentabant, alij vero ad terram cadentes sed iterum surgentes ad cœlos tendebant: flamma autem illa quæ se inter sæculares homines diffudit, quosdã ex eis comburẽs & in teterrimã nigredinem vertit, quosdam autem suo acumine ita transfixit: vt eos quocunq; voluit inflexerit. De qua tamen quidam se eripientes & ad illos qui cœlos petebant pergentes: O vos fideles præstate nobis adiutorium resumpto clamore vociferabantur; quidam autem ita transfixi permanserunt. Illa vero flamma quæ se inter spirituales extendebat, eos sua caligine obtexit. Quos etiam in sex modis considerabam. Nam alios eadem flamma crudeli incendio læsit, quos autem lædere non potuit illos aut viridi, aut albo, aut rubeo, aut croceo, aut nigro mortifero veneno illo quod à capite vermis vsque ad pedes eius defluebat ardenter afflauit. Sed flamma quæ abyssum petebat, diuersas pœnas illorum in se continebat, qui per fontem baptismatis non loti lucem veritatis & fidei ignorantes, sathanam pro Deo coluerant. Et vidi etiam ex ore eius acutissimas sagittas stridentes, & à pectore eius nigrum fumum exalantem ac à lumbis ipsius ardentem humorem ebullientem, & ab vmbilico eius feruidum turbinem flantem, atq; ab extremitate ventris ipsius velut immunditiam ranarum scaturientem, quæ omnia magnam inquietudinem hominibus afferebant. Sed & de ipso teterrima nebula cum pessimo fœtore egrediens multos homines sua peruersitate infecit. Et ecce magna multitudo hominum in multa claritate fulgentium veniebat, quæ illum vermem fortiter vbique conculcans acriter eum cruciabat, ita tamen quod ipsa nec à flammis nec à veneno illius lædi poterat. Audiuique iterum vocem mihi de cœlo dicentem, Deus omnia iuste & rectè dispensans, fideles populos ad gloriam supernæ hæreditatis vocat, sed antiquus deceptor in insidijs positus eos impedire tentans, artes nequitiæ suæ in ipsos excitat: sed tamen ab eis victus, confusionem præsumptionis suæ accipit, cum illi cœlestem patriam possideant, & ipse infernales horrores subeat.

2 Quapropter vides ardẽtem lucem tantæ magnitudinis quantæ mons magnus & altus est, in summitate sua, velut in multas linguas diuisam, quæ est ardens in fide credẽtium iustitia Dei, in fortitudine potentiæ suæ magnitudinem sanctitatum & altitudinem gloriæ demonstrans, atq; in eadem gloria Sancti spiritus diuersa dona mirabiliter declarans.

Quid lux in linguas diuisa.

3 Et coram luce illa quædam multitudo albatorum hominum stans, est in præsentia iustitiæ Dei turba in fide lucentium hominum per bona opera sua bene & honeste compositorum: ante quos velut quoddam velum tanquam crystallus perlucidum à pectore vsque ad pedes eorum extensum apparet, quia in conspectu suo diuinam legem fortem & splendidam ab intentione bonarum actionum vsque ad completionem earum semper habent: in quibus ita confortantur, quod astutia & deceptione fallacium persuasionum superari non possunt.

Quid multitudo albatorum.

4 Sed quod ante multitudinem illam quasi in quadam via velut quidam vermis miræ magnitudinis & longitudinis supinus iacet, hoc est quod ante notitiam hominum manifeste cognitus in via mundi huius quæ & bonis & malis ad gradiendum proposita est, antiquus serpens non ita in forma sua, sed in significatione mysterij, videlicet magnus in malitia, longus in insidijs proiectus apparet: sursum hians, vt eos qui ad cœlestia tendunt per deceptionem suam dejciat: sed tamen iacens, quoniam per filium Dei vires eius protritæ sunt, ita quod in eis stare non valet: quamuis tanti horroris & furiæ videatur, vltra quam etiam homo effari potest: quia venenosum furorem & malitiosos conatus in multiplicitate diuersitatis eius, æstimatio mortalis hominis explicare non valet.

Quid vermis in via supinus.

5 Vnde & ad eius sinistram quasi forum est vbi diuitiæ hominum atq; deliciæ sæculares, & mercatus diuersarum rerum apparent, quoniam in morte quæ illius proditoris sinistra intelligitur forum cernitur quod nequissima opera ipsius sunt mortis: ita quod ibi in diuitijs corruptibilibus superbia & vana gloria & in delicijs transitorijs lasciuia & concupiscentia vt in mercatu vẽditiones ac emptiones multarum varietatum terrenarum cupiditatum feruent, ita vt qui diabolicum terrorem palam exhorruerit, ab his latenter decipiatur: videlicet cum ei multæ suasiones vitiorum leuiter offeruntur, veluti cum per mercatorem diuersa mercimonia hominibus ostenduntur, vt per hoc delectati, tanto ardentius emant quod sibi oblatum viderint. Nam diabolus artes suas hominibus fraudulenter offert. Sed qui tunc eas concupiscunt, ij eas emunt. Quomodo? Bonam conscientiam suam quasi vendentes abijciunt, & mortifera vulnera animarum suarum quasi ementes sibi contrahunt.

Quid in sinistra eius forum.

6 Sed ibi quidam homines multa celeritate currentes nullum mercatum faciunt, quia ipsi Deum cognoscentes, thesaurum bonæ voluntatis, & aromata virtutum portant & sibi ea virilissime comparant: ita quod sæculares voluptates & & diabolicas spurcitias velociter in mandatis Dei transeuntes, dulcedinem carnis suæ contemnunt: quidam autem lente euntes & venditioni & emptioni ibi insistunt, quoniam hi tarditatem in bonis operibus habentes, per teporem corporis sui cœleste desiderium velut illud vendẽtes in semetipsis extinguunt, & voluptatem carnis suæ quasi eam ementes in se enutriunt. Quapropter illi mercedem bonæ operationis accipient, & isti pœnas iniquitatis suæ sustinebunt: quemadmodum Ezechiel ostendit dicens: *Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.*

Quid homines vel ociter currentes.

7 Quid hoc? Fulgida opera puri hominis illum in sanctitate perfundunt, & quasi mille oculi aspicien-

spicientes in altum atque in profundum vbique eum circumdant, sursum ferentes eum in magnũ honorem & in voluptatis suæ mortificationem, prout Spiritus sanctus illi inspirauerit, veluti ala volucrem sursum in aërem tollit quocunque illi placuerit. Sed vipereum venenum, nequitiæ sunt sæuissimæ viperæ, quæ conspumat cœlum, margaritam luto inuoluens, & super pulcherrimum omnium speciosorum fremens: eum vero qui illud infideliter subsequitur, de nobilissimo opere digiti Dei, & ab omni honore & à beatitudine supernæ visionis abijcit: atque eum exulem faciens, à viuente fructu & à radice iustæ arboris abscindit.

Quid vermis hirsutus, vlcerosus, niger.

8 Quod autem vides quod vermis ille niger, hirsutus, vlcerosus & pustulis plenus est, hoc indicat quod idem serpens antiquus in nigredine tenebrarum infidelitatis, & in pilis abscessionum deceptionis, atque in vlceribus immunditiarum pollutionis, & in pustulis cauernarum furoris abundat: quinque etiam varietates à capite per ventrem suum vsque ad pedes in modum zonarum descendentes in se habet, quia quinque sensus hominum diuersis passionibus vitiorum, à deceptione illa cum se primum implere studuit vsque ad consumationem illam cum insania eius finem accipiet afflare non cessans sed fallacem rectitudinem simulans, homines ad decliuia immundarum artium suarum trahit: quarum vna viridis, alia alba, alia rubea, quædam crocea, quædam nigra apparet plenæ omnes veneno mortifero, quoniam in viriditate sæcularem tristitiam, in albedine ineptam irreuerentiam, in rubore fallaciæ gloriam, in croceo mordacem detractionem, atque in nigredine turpem simulationem ostendunt, cum plenitudine aliarum peruersitatum quæ mortem animabus hominum sibi consentientium inferunt.

Cur caput eius contritum.

9 Sed quod caput eius ita contritũ est quod & sinistra maxilla eius iam dissolui videtur, hoc est quod superbia illius in incarnatione filij Dei ita deiecta est, quod & aduersitas mortis iam euacuata fortitudinem amaritudinis suæ exercere non valet.

Quid oculorum deformitas. Quid aurium.

10 Oculi vero eius extrinsecus sanguinei & intrinsecus ignei apparent, quia intentio peruersitatis ipsius velut extrinsecus sanguineum nefas corporibus hominum incutit, & velut intrinsecus igneum iaculum animabus eorum infert: aures autem ipsius rotundæ & hispidæ sunt, quoniam hominem quasi in rotunditate pilis artium suarum circumdat vt cum celerrimè deijciat si quid in illo quod suum est deprehenderit: nares vero & os eius secundum nares & os viperæ apparent, quia indiscretos & fœtentes mores hominibus ostendit, per quos in multis vitijs eos transfigiens crudeliter occidit.

Cur manus vt hominis, pedes vt vipere appareant.

11 Sed manus eius secundũ manus hominis videntur, quoniam machinationes artium suarum in operibus hominum exercet. Pedes autem ipsius vt pedes viperæ sunt, quia itineribus hominum in insidijs suis diabolicas lacerationes inferre non desinit: & cauda eius breuis & horribilis apparet, quæ est potestas ipsius parui sed tamen pessimi temporis in filio perditionis, qui plus apprehendere bacchando cupit quam perficere possit.

Cur catena iniecta collo.

12 Et quod collo eius catena iniecta est quæ & manus & pedes ipsius alligat, hoc est quod diabolica fortitudo per potestatem omnipotentis Dei ita fracta & contrita est, quod & pessima opera & nequissima itinera illius in quibus homines seducit, in contritione sua compressi sunt: ita quod & illa catena in lapidem abyssi fortissime firmata illum tam valide constringit, quod se nec hac nec illac secundum nequitiam voluntatis suæ mouere potest, quoniam potestas Dei in stabilissima æternitate sine defectione manens, diabolum tanta fortitudine in saluatione animarum opprimit, quod ille nec exterioribus nec interioribus instrumentis nequissimi conatus sui, salutẽ redemptionis à fidelibus animabus remouere valebit, quin in locum gaudij quem ipse pertinaciter amisit perueniant.

Quid flãma erũpẽtes ex ore.

13 Quod autem ex ore eius multæ flammæ erumpentes in quatuor partes se diuidunt, hoc est quod ipse ex rapacissima voracitate sua, pessimum & multiplex malum crudelissimi incendij iniquæ persuasionis emittens, in quatuor plagas totius mundi inter homines vt ipsum sequantur varie spargit. Quarum pars vna vsque ad nubes ascendit, quia illa diabolica afflatio, cœlum toto desiderio mentis suæ petentes suo acumine retrahit: & alia inter sæculares homines se spargit, quoniam ipsa in terrenis causis conuersantes, sua diuersitate decipit: alia autem inter spirituales se extendit, quia illos spiritualibus disciplinis insudantes, sua simulatione inficit. Quędam vero vsque ad abyssum descendit, quoniam ipsa infideles sibi consentientes in infernalia tormenta sua seductione mittit: quia ipsi viam falsitatis & deceptionis euntes, viam rectitudinis non tenuerunt, nec vero Deo debitam reuerentiam exhibuerunt, quemadmodum Dauid testatur dicẽs: *Contritio & infœlicitas in vijs eorum, qui viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.*

14 Quid hoc? Innocentia & fortissima opera Dei quæ in viuo & purissimo fonte militant, illos qui Deum à corde suo cum nequissimis & damnabilibus operibus expellunt ita conterũt, velut magna pluuia rem quampiam dimergit, ita quod amplius non appareat. Et ideo etiam in conspectu Dei non fulminant, quoniam infœlicitas cum infœliciſſima consuetudine est in itineribus eorum quocunque se cum pastu mortis extenderint. Quomodo? Videlicet gustando & comedendo hoc quod malum est. Vnde & viam illam quæ in calore solis ascendit, in operibus suis nesciunt, quia dulcedinem Dei in honore nec in amore gustant, vbi timorem eius quasi timorem alieni abiiciunt, cum ipsum nec videre nec aspicere desiderant.

Quid flãma nubes petens.

15 Vnde & vt vides flamma illæ quæ nubes petit contra homines illos prælietur qui ad cœlos ire volunt, quia nequissimum illud incendium cum mentes fidelium hominum sursum tendere senserit, aduersus eos suis artibus crudelissime

bacchа-

bacchatur, ne ad illa cœlestia quæ ipsi multis suspirijs quærunt, perueniant.

Quid tres acies.

16 Quorum tres acies vides: quoniam ipsi veram & ineffabilem trinitatem (quamuis in suis certaminibus plurimum fatigentur) colere non cessant. Nam acies vna prope nubes pergit, quia isti fortissime contra diabolum pugnantes, mentem suam de terrenis actibus ita sursum ad cœlestia tollunt, quemadmodum & nubes super terram fluere solet: & vna in meditate illa quæ inter nubes & terram est discurrit, quoniam ipsi quadam moderatione se continentes, nec ex tota mente cœlestibus, nec ex toto desiderio terrenis insudant: sed in his modum sibi imponentes, & interiora quærunt nec tamen exteriora respuunt: & vna iuxta terram pergit, quia isti caduca perfecte non deserentes, caducis aliquantulum adhærent: ita vt in eis valde laborantes, multas fatigationes passionum in ipsis sentiant, sed tamen superno auxilio victores existant: omnes repetitis vocibus pergamus ad cœlos vociferantes, quoniam & isti & illi in multis suspirijs desideriorum suorum, vt tendant ad illa quæ in supernis secretis sunt seipsos exhortantes, quamuis artibus antiqui serpentis in hac intentione sua multoties fatigentur. Sed à flamma illa hac & illac proiecti, quia à flatu diabolicæ tentationis in diuersitatem morum agitati: quidam tamen non cadunt, quoniam ipsi fortissimi pugnatores existentes, ab his illusionibus se viriliter defendunt: alij autem gressibus suis se vix sustentant, quia hi in viam rectitudinis itinera sua ponunt, sed in multis laboribus fatigati vix tamen diabolicas artes superantes in mandatis Dei perseuerant: alii vero ad terram cadentes sed iterum surgentes ad cœlos tendunt, quoniam ipsi in diuersitate vitiorum prolapsi, sed postea per pœnitentiam erecti, spem suam cum bonis operibus in Deum ponunt.

Quid flamma cõburens.

17 Quod autem flamma illa quæ se inter sæculares homines diffundit, quosdam ex eis comburens in teterrimam nigredinem vertit, hoc est quod idem incendium nequissimæ deceptionis ad illos qui terrenis causis insistunt tendẽs, quosdam illorum suæ peruersitati subiiciens, pessimis vitiis tenebrosæ iniquitatis eos inficit: ita quod ipsi claritatem veræ fidei despicientes, & seipsos amara morte interficientes, in terram cadunt & nefandissima opera in actibus suis perficiunt: quosdam autem suo acumine ita transfigit, quod eos quocunque vult inflectit, quoniam eos sua nequitia ita domat, quod ipsos ad vniuersa vitia prauitatis suæ inclinat, videlicet sæcularem dulcedinem in amplexione ardẽtis libidinis eis suggerens: ita quod & diuersos mores multiplicium rituum suorum, scilicet in verbis, in capillis, in veste, in incessu & in cæteris his similibus habent. Vnde tortuosi efficiuntur, iustitiam Dei negligentes, & præuaricatores legis existentes, nec sibimetipsis circumcisionem mentis imponentes, quia superfluitatem in libidine quærunt: nec vllum tempus legis vt eis à Deo constitutum est seruant, sed vt mare à vento in inquietudinem concutitur, ita & ipsi de flatu antiqui draconis in diuersa vitia mouentur. De qua tamen quidam se eripiunt, ad illos qui cœlos petunt pergentes. O vos fideles præstate nobis adiutorium resumpto clamore vociferantur, quoniam de turpi & noxia consuetudine se abstrahentes & eos qui mentem suam cœlestibus infigunt imitantes, vt suam solicitudinem impendant, ipsisque iuuamen corde & voce desiderant. Quidam autem ita transfixi permanent, quia ipsi diuersis vitiis irretiti in malis perseuerant.

Caligo spiritualis tegens.

18 Sed quod illa flamma quæ se inter spirituales extendit eos sua caligine obtegit, hoc est quod eadem afflatio diabolicæ persuasionis incendia sua ad illos qui toto nisu spiritui seruire deberent emittens eos peruersitate vitiorum suorum obnubilat, quatenus magis carni quam spiritui inhiant. Quos etiam in sex modis consideras, quoniam antiquus hostis tam quinque exteriores sensus eorum quam interiorem deuotionem cordis ipsorum velut sextum modum peruertere conatur. Nam alios eadem flamma lædit, quia diabolus artes suas eis immittens, carnalibus desideriis & voluptatibus eos afflat, ita quod eos ad libidinem & ad pollutionem multæ immunditiæ accendit. Quos autem lædere non potest, hos aut viridi aut albo aut rubeo aut croceo aut nigro mortifero veneno illo quod à capite eiusdem vermis vsque ad pedes eius descendit ardenter afflat. Quomodo? Quoniam cum voluptates pollutionum recusant, aut tristitiam sæculi quasi pullulantem viriditatem per quam ita opprimuntur, quod nec in spiritualibus nec in sæcularibus rebus valent, eis infundit: aut irreuerentiam vitiorum velut ineptam albedinem, ita quod nec coram Deo nec coram hominibus tupitudinem suam abscondunt, ipsis immittit: aut recordationem terrenæ gloriæ quasi fulgentem ruborem, vnde amaritudinem & anxietatem cordis habent, eis ostendit: aut detractionem proximorum velut tepidum crocum, ita quod susurrones & bilingues inde efficiuntur, ipsis inducit: aut simulationem iustitię quasi horridam nigredinem, per quam in cordibus suis miserabiliter ob enebrantur, eis imponit. Quæ omnia mortiferæ pestes sunt, ab initio deceptionis eiusdem perditoris vsque ad finem illum cum iam insania ipsius finem in mundo accipiet, procedentes per quas noxium ardorem vitiorum hominibus infert.

Flamma petens ad byssum.

19 Sed quod flamma quæ abyssum petit, diuersas pœnas illorum in se habet qui per fontem baptismatis non loti lucem veritatis & fidei ignorantes sathanam pro Deo colunt, hoc est quod incendium illud perditioni adhærens, dira & amara tormenta illis animabus infert, quæ in fonte salutis non emundatæ claritatem supernæ hæreditatis & fidem Ecclesiasticæ institutionis non videntes, illum qui in insidiis positus animas hominum in mortem mittere conatur, pro illo qui hominibus vitam, & salutem tribuit, venerari non cessant.

Sagittæ stridentes ex ore.

20 Vt vides ex ore ipsius acutissimas sagittas stridentes, quæ sunt à diabolica rabie pessimæ & nequissimæ infixiones procedentes, & multis iniqui-

qui-

quitatibus bacchantes: & à pectore eius nigrum fumũ exalantẽ, qui est à malitiosis conatibus eius teterrimæ iræ & inuidiæ emissio: acà lũmbis ipsius ardentẽ humorẽ ebullientẽ, qui est ab imũdi tia ipsius in prelatis feruẽtissimæ libidinis effusio

Ad vmbilico feruidus turbo

21 Et ab vmbilico eius feruidum turbinem flantem, qui est à voracitate eius in subiectis ardentissimæ fornicationis suffocatio: atque ab extremitate ventris ipsius velut immunditiam ranarum scaturientem, quæ est à perditione peruersæ absorbitionis eius in obduratione desperationis fœtida egestio cum ipse antiquus insidiator se subsequentes ad omnem voluntatem suam perduxerit: quæ omnia magnam inquietudinem in hominibus faciunt, quoniam huiusmodi peruersitates maximam calamitatem miserrimæ irretitionis illis imponunt, qui spem suam non cœlestibus sed terrenis affigunt.

Nebula cũ fœtore.

22 Sed quod de ipso teterrima nebula cum pessimo fœtore egrediens multos homines sua peruersitate inficit, hoc est quod ab eodem diabolo nigerrimus error fœtentis conscientiæ procedens, stultos homines per iniquam credulitatem exagitat Quomodo? De abscisione capitis Ioannis Baptistæ, filium Dei esse remissorem vulnerum peccatorum ostendentis, pessimus error exortus est: vbi diabolus multos homines in diuersis imaginibus seducit, hoc verum esse putantes quod ipse eis secundum æstimationem ipsorum fallaciter demonstrat. Vnde & multi secundum hunc modum decipiuntur, quia & fides ipsorum semper in infirmitate vacillat. Sed ô vos filij mei si iuste & pie viuere volueritis, hunc nequissimum errorem fugite, ne amarissima mors in incredulitate vos apprehendat.

23 Fugite etiam illos qui morantur in speluncis, inclusæ cohortes diaboli existentes: væ illis væ illis qui sic perseuerauerint, quia viscera diaboli sunt, & præcurrens germen filij perditionis. Quapropter ô vos dilecti filij mei omni deuotione & omni virtute animæ & corporis vestri illos deuitate, quoniam antiquus serpens sua arte illos pascit & vestit: quia eum pro Deo colunt, & quia in eum per fallacem deceptionem confidunt. Ipsi sibi pessimi homicidæ, ita quod illos qui eis simpliciter adhæserint, occidunt, antequam eos errorem suum declinare permittant: & sunt in seipsis turpissimi fornicatores, semen etiam suum in homicidio mortificantes & diabolo offerẽtes: ita etiam in scismatibus suis & in plenitudine vitiorum suorum Ecclesiam meam inuadentes, cum baptisma & sacramentum corporis & sanguinis filij mei, & cætera instituta quæ Ecclesia mea habet, in turpibus machinationibus suis nequiter derident. Sed quamuis propter timorem populi mei his institutis meis aperte non repugnent, tamen in cordibus & factis suis ea pro nihilo ducunt. Nam diabolica illusione sanctitatem se habere simulant, in quibus à diabolo decipiuntur: quoniam si diabolus se eis palam demonstraret, ab eis cognosceretur, ita quod illum deuitarent. Vnde ipse sua arte quædam eis ostendit velut bona & sancta sint, & sic eos illudit. O væ illis qui sic in morte hac perseueraue-

rint. Sed quia diabolus nouit se modicum tempus erroris sui habere, idcirco nunc festinat infidelitatem in membris suis perficere: quæ vos pessimi deceptores estis, qui fidem Catholicam subuertere laboratis. Vos instabiles & molles ad deuitandũ venenosas sagittas humanæ pollutionis estis, quas secundum voluntatem vestrã contra legem exercetis. Vnde postquam venenoso semine fornicationis libidinem vestram euacuatis, tunc ficte oratis & sanctitatem vobis fallaciter imponitis, quod oculis meis fœtente luto indignius est. Certe schisma quod exortum est in Oreb vbi Iudaica plebs sculptile faciens in diabolica irrisione ludere cœpit, sic etiam & adhuc quidam petulanter ludere solent: & schisma quod fuit in Baal in quo multi perierunt, & schisma fornicationum vbi cum Madianitis turpia facta perpetrata sunt, & cætera his similia super vos cadent, quia in his omnibus in malis vestris partem habetis, peiores priore populo existentes: quoniam veram legem Dei cernentes, eam pertinaciter abijcitis. Sed ô vos qui salutem vestram desideratis, ita quod baptisma suscepistis, & vnctus mons Dei estis, sathanæ resistite, & de monte saluationis vestræ descendere nolite.

24 Homo autem qui tantæ duritiæ est quod adiutorium Dei ad repugnandum diabolo contemnit, huic ipse insidias suas ponere non desistit, cum etiam in eo nigredinem iniquitatis surgere videt, quæ toti corpori illius tantam amaritudinem infert quod etiam corpus eius inde in infirmitate arescit. Vnde cum homo cœperit malum ruminare & seipsum ita in desperationem conterere, quasi sibi non sit possibile malum deuitare & bonum facere, tunc diabolus hoc videns dicit: Ecce homo qui nobis similis est, Deum suum negans & se ad nos conuertens, nos iam sequitur. Quapropter properemus omnes & ad eum festinanter curramus, ita ipsum nostris artibus coërcentes, ne à nobis aufugere possit. Nam Deum suum deserere vult, & nos sequi. Sed homo qui his malis per diabolicam suggestionem impugnatur, videlicet qui homicidio, adulterio, voracitate, ebrietate, & superfluitate omnium vitiorum, polluitur, si tunc in his impœnitens perseuerauerit, in mortem cadit: qui autem diabolo repugnans, his vitijs pœnitendo se subtraxerit, ad vitam resurgit. Nam qui cupiditatem carnis suæ secutus fuerit, & bonum desiderium spiritus sui neglexerit, de hoc fabricator orbis dicit: Iste me despicit & carnem suam cum peccato diligit, nolens scire quod à perditione se debet auertere, & ideo abijciendus est. Qui vero bonum ardorem spiritus sui dilexerit, & voluptatem carnis suæ abiecerit, de illo dicit creator mundi: Hic ad me respicit & corpus suum in sordibus non enutrit, desiderans scire quod à morte se debet submouere, vnde ei succurrendum est. Quomodo? Vt Salomon in voluntate mea dicit. *Peccatores persequuntur malum, & iustis retribuentur bona.*

25 Quid hoc? Ruentes in lapsu, & cadentes in ruina vndique mortiferi morbi inuadunt, ita quod prudenter in hoc quod verum est non aspi-

aſpiciunt, ſed illud negligenter abijciunt. Vnde quia non ſunt digni Deum aſpicere, nec vllam fœlicitatem in Deo aut in hominibus habere, quoniam Deo reſpuunt & diabolum eligunt, idcirco multam aduerſitatem illis infert id malum quod operantur. Sed in bonis rectus ſenſus & iuſta cogitatio in excelſo ædificat, ita quod in ſinu ſuo ſuſcipiunt hæreditatem patris: quoniam ſupernum lumen attendunt, fallaces in irriſione fori quomodo hoc vel illud ſine comparatione venundetur non exiſtentes, ſed id quod in Deo verum eſt habentes.

Qui vermem conculcant.

16 Sed vt vides quod magna multitudo hominum in multa claritate fulgentium venit, quæ prædictum vermem fortiter vbique conculcans diro cruciatu eum afficit: hoc eſt quod fidele agmen credentium ſed in humana miſeria procreatorum, in fide baptiſmatis & in beatis virtutibus multo ornatu & decore ad ſuperna deſideria properat, ita quod ipſi in factis ſuis hunc antiquum ſeductorem fortiſſima contritione circundantes deijciunt, & eum diro cruciatu cõminuunt, veluti ſunt virgines, martyres, & cæteri huiuſmodi veri Dei cultores qui toto niſu terrena conculcant & cœleſtia deſiderant: ita tamen quod ipſa nec à flammis nec à veneno illius lædi poteſt, quia iſti tanta fortitudine & conſtantia in Deo muniti ſunt, quod nec ab apertis incendijs, nec ab occultis perſuaſionibus diabolicæ iniquitatis contaminari valent: quoniam magna fortitudine virtutum vana figmenta deſerunt, & ſanctitati, iuſte viuentes adhærent. Sed qui vigilantibus oculis videt, & attentis auribus audit, hic myſticis verbis meis oſculum amplexionis præbeat quæ de me viuente emanant.

(·.·)

Secundi Libri Viſionum Sanctæ Hildegardis

FINIS.

LIBER III.

SANCTAE HILDEGARDIS VIRGINIS.

VISIO PRIMA.

1 ET ego homo ſumpta ab alijs hominibus, quæ non ſum digna nominari homo propter tranſgreſſionem legis Dei, cum deberem eſſe iuſta & ſim iniuſta, niſi quod Dei creatura ſum ipſius gratia, quæ me etiam ſaluabit, vidi ad orientem, & ecce illic conſpexi veluti lapidem vnum totum integrum immenſæ latitudinis atque altitudinis, ferreum colorem habentem: & ſuper ipſum candidam nubem, ac ſuper eam poſitum regalem thronum rotundum, in quo ſedebat iuuenis perlucidus mirabilis gloriæ, tantæque claritatis vt nullatenus eum perſpicue intueri valerem: habens quaſi in pectore ſuo limum nigrum & lutulentum, latum inſtar humani pectoris, circumdatum lapidibus pretioſis atq; margaritis. Et de ipſo lucido ſedente in throno protendebatur magnus circulus aurei coloris vt aurora (cuius amplitudinẽ nullo modo comprehendere potui) gyrans ab orientẽ ad ſeptentrionem, & ad occidentem atq; ad meridiẽ, ita ſe reflectẽs ad orientem ad ipſum lucidum, nec vllum habens finẽ. Et circulus ille erat à terra tantæ altitudinis, vt eum comprehendere non poſſem, ex ſe reddẽs ſplendorem valde terribilem, ſcilicet lapidei, calybei, igneique coloris vndique ſecundum amplitudinem ſuam ſurſum in altitudinem cœli, & deorſum in profundum abyſſi ita ſe extendentem, vt nullum finem eius videre ſufficerem. Vidi etiam tunc de ſecreto ſedentis in throno ſtellam magnam, plurimi ſplendoris ac decoris prodeuntem, & cum ea plurimam cãdentium ſcintillarum multitudinem? quæ cum ſtella illa

la illa omnes eductæ ad austrum, inspiciebant sedentem in throno quasi alienum, seque ab eo auertentes magis inhiabant ad aquilonem quam in eum inspicere vellent. Sed statim in ipsa auersione inspectionis suæ, omnes extinctæ sunt, sic versæ in carbonum nigredinem. Et ecce ventus turbinis ortus est ab ipsius, qui eas mox ab austro retro sedentem in throno proiecit ad aquilonem, præcipitans in abyssum, ita vt earum amplius nullam videre valerem. Splendorem autem illum magnum qui eis abstractus est, vidi subito in earum extinctione reuerti ad ipsum sedentem in throno. Et audiui eum qui sedebat in throno mihi dicentem: Scribe quæ vides & audis. Et respondi de interiori scientia eiusdem visionis: Rogo te mi Domine, vt mihi des intellectum, quatenus possim enarrabiliter proferre hæc mystica; & ne derelinquas me, sed confirma me in aurora tuæ iustitiæ, in qua manifestatus est filius tuus: & da mihi quomodo possim, & qualiter debeam proferre diuinum consilium, quod in antiquo consilio ordinatum est: quomodo filium tuum voluisti incarnari, ita vt homo sub tempore fieret: hoc volens ante omnem creaturam in simplicitate tua & in igne columbæ scilicet Spiritus sancti, vt ipse filius tuus, quasi splendida solis forma mirabiliter surgens, in incipiente capite virginitatis veraciter indueretur humanitate propter hominem sumpta hominis forma. Et iterum audiui eum dicentem mihi: O quam pulchri sunt oculi tui in diuina narratione, dum ibi consurgit aurora diuino consilio. Et iterum respondi de interiori scientia visionis ipsius: Ego mihi appareo in sinu animi mei, vt cinis cinereæ putredinis: & sicut puluis instabilitatis: vnde sedeo pauens in vmbra sicut penna, sed ne deleas me de terra viuentium vt peregrinam, quia in magno sudore laboro in hac visione, & quia etiam de vilitate mei stulti sensus qui meus est in carne, reputo me frequenter in minimum & in viliſſimum locum, ita quod non sim digna vocari homo, quia valde timeo non audens tua mysteria narrare. O bone ac mitis pater doce me quæ tua voluntas sit, quid debeam proferre ô tu metuende Pater, & ô tu dulcissime, & ô tu plene omnis gratiæ, ne derelinquas me, sed conserua me in tua misericordia. Et iterum audiui eundem mihi dicentem: Nunc dic quomodo edocta es. Volo vt dicas: quamuis cinis sis. Dic reuelationem panis qui filius Dei est, qui vita est in igneo amore, omnem mortuum suscitans in anima & corpore, & dissoluta peccata relaxans in serena claritate: ipse initium suscitationis sanctitatis in homine existens, antequam in se exsuscitetur. Vnde etiam magnificus & gloriosus ac incomprehensibilis Deus dedit magnum præsidium mittens filium suum in pudicitiam virginitatis, quæ non potuit habere vllam varietatem macularum in sua virginitate vnde ipsa molliretur. Ibi non potuit nec esse debuit vlla pollutio carnis in mente virginis, quia interfectrix & mortificatrix mortis generis humani, ipsamet ne sciente, vt in somno, decepta est, quando filius Dei in magno silentio venit in auroram, videlicet in humilem puellam. Mors quasi secura processit nescius vitam, quam illa dulcis virgo portauit, quia sibi abscondita erat eius virginitas. Ipsa enim virgo erat pauper in terrenis opibus, quia diuina maiestas eam ita inuenire voluit. Nunc scribe de vera agnitione creatoris in bonitate ipsius sic.

2 Deus qui cuncta creauit & hominem ad gloriam illam de qua perdirus Angelus cum suis imitatoribus proiectus est ordinauit, ab omni creatura sua maximo honore, & timore venerandus & metuendus est: quia iustum est vt creatori omnium veneratio à creatura sua exhibeatur, & Deus super omnia fidelissime adoretur. Quod & lapis ille quem vides certissime designat. Ipse est enim in mysterio magnitudo timoris Domini, qui purissima intentione in cordibus fidelium semper oriri & perseuerare debet. Sed quod vides eum totum integrum & immensæ latitudinis atque altitudinis ferreum colorem habentem, hoc est quod eadem firma & grandis magnitudo timoris Domini firmissime tenenda est: quia Deus metuendus est ab omni creatura in tota integritate, vt cognoscatur vnus & verus Deus esse, cum nullus præter eum est, nec similis illi: in quo est immensa latitudo, quoniam incomprehensibilis est in omnibus & super omnia: & altitudo, cum sanctam diuinitatem nullus comprehendere, nec ad eam pertingere cum altitudine sui sensus potest, quia ipsa est super omnia. Quod autem est similitudinis ferri coloris, hoc est quod onerosum & durum est humanis mentibus Deum timere, illud valde graue existens molliciei fragilis cineris: quia humana creatura ipsi rebellis est. *Quid lapis ferrei coloris.*

3 Super lapidem vero ipsum candida nubes, clara sapientia humanæ mentis est: ac super eam positus regalis thronus rotundus, est fortis & principalis fides circuiens in Christiano populo, cui Deus fideliter cognitus est: quia vbi timor Domini radicat, ibi etiam sapientia humanæ mentis super apparebit, & deinde Deo opem afferente, fides super hanc imponetur, in qua ipse Deus sibi requiem parat. Cum enim Deus timetur per sapientiam humanæ mentis, in fide intelligitur, quia cum his tangendus est vt sedes tangit Dominum suum. Et tunc in his Deus parat sibi sedem, summus existens super omnia, quia neque potestate neque dominatione comprehendi potest: sed residet in vnica & pura fide, quoniam vnus est qui credendus Deus super omnia. *Quid candida nubes.*

4 Vnde sedens in throno iuuenis perlucidus, mirabilis gloriæ, tantæque claritatis vt nullatenus eum perspicue valeres intueri, habens quasi in pectore suo limum nigrum & lutulentum latum vt magni hominis pectus, circumdatum lapidibus preciosis atque margaritis. Est super omnia regnans vnus Deus, lucens in bonitate, & mirabilis in operibus suis: cuius immensam claritatem in profunditate mysterii sui, nullus *Quid iuuenis lucidus.*

nullus hominum perfecte potest intueri, nisi quantum fide comprehenditur atq; portatur, sicut sedes continet ac circumdat dominum suū: quæ ita illi subiecta est, vt nec se eleuare possit contra dominum suum, sic fides non desiderat superbe aspicere in Deum, sed tantum intima deuotione tangit eum.

Quid in pectore limus.

¶ Et quasi in pectore suo, id est in sapientia mysterij sui habet per amorem filij sui infirmum & debilem ac pauperem limum qui homo est, nigrum in nigredine peccatorum, & lutulentum in pollutione carnis, & latum secundum similitudinem pectoris hominis, quod est dilatatio profundæ & magnæ sapientiæ in qua ipse Deus creauit hominem: illos respiciens qui sunt in saluatione animæ per pœnitentiam, in qualicunq; crimine contra Deum sint in sua debilitate calcitrantes, quia tandem ad eum peruenient. Hi sunt circumdati compluribus ornamētis illorum qui inter eos surgunt, vt lapides pretiosi in magnis personis, qui sunt martyres ac virgines sanctitatis: & vt margaritæ, qui sunt innocentes & pœnitentes filij redemptionis: cum quibus idem limus valde ornatus est, dum in humano corpore fulgent tantæ virtutes, quæ in Deo sunt fulgentes in omni claritate. Nam qui constituit spiraculum & vitam hominum, ille inspexit semetipsum. Quomodo? Scilicet cum redemptione dum præsciuit in sua prædestinatione filium suum incarnari: ita quod in eius corpore deberet abstergi omnis maculosa varietas criminum. Et sic videt etiam animas quæ iustificabuntur post multiplicationem superfluorum peccatorum dū adhuc in corporibus suis sunt, & quæ consuescent in iustitia Dei ambulare post diuersitatem errorum suorum qualiter consistant in Deo, ac qualiter desistant de multa obliuione, & quomodo reuertantur de vnoquoque vitio quo ipsæ sunt vulneratæ cum immortalibus ceciderunt in peccatis: & sicut sunt videntes quod multi populi surrexerunt de errantibus vijs in quibus ambulabant pleni vulneribus in plagis pessimis restaurati de morte fœditatis criminum, sic etiam multi veniunt qui in amaritudine acerbi doloris peccati tam grauiter sunt vulnerati, quod ipsi etiam in consuetudine malorum morum in quibus supra modum peccauerunt sunt ita tædiosi, quod nequeunt vltra respirare in fluctibus, ad operandum mortiferum opus in adulterio, & homicidio, & superfluitate omnium malorum.

6 O miseri, nonne veniunt ipsi quasi peregrini de longinqua regione sicut scriptura habet in Euangelio: vbi adolescentior filius dixit: *Surgam & ibo ad patrem meum & dicam illi: Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis?* Hoc tale est. Homo qui de lapsu peccati per admonitionē Spiritus sancti reuertitur in se dicit: Volo surgere de importabilibus peccatis, quæ à me nullatenus sunt sustinenda, de graui culpa: sed reuertar in recordatione mentis meæ plangens ac mœrens peccata mea, sic veniens ad patrem meum: qui pater meus est, quoniam creauit me: & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, id est in cœleste opus quod ego sum quem formasti in voluntate tua, me sic tangendo in creatione ipsa, quod ego etiam cœlestis debui esse in actibus meis: sed feci me contractum cum turpissimis operibus: peccans etiam coram te, quia humanam naturam destitui in me. Quomodo? In multis abominationibus: ideo sum & ego reus in mea perditione & in tua maiestate, & non sum dignus nominari filius tuus: quia propter nequitiam cordis mei creaturam tuam duxi in me in alium modum quam à te constitutus sum. Sed nunc fac mihi vt tuo redempto seruo in mercede sanguinis filij tui, qui ipsum dedisti in tantā mercedē quam mors nunquam rependere poterit vlla compensatione: sed dimittit peccatores per pœnitētiam: quæ in passione filij tui orta est, quia rectam hæreditatē filiorum amisi in Adam, qui creatus filius, in iustitia destitutus est gloria fœlicitatis. Nunc autem debet pœnitentia redimere hominis peccata, cum sanguine filij tui. Istud est dicendum ab ijs qui iterant casum Adæ & post hæc reuertuntur per pœnitentiam sic pertingentes ad saluationem, & memores sunt quod multas monitiones adierunt, quæ de scripturis sunt narratæ & de cruciatu & de sanguine redemptoris eorū: & recordantur gementes quod transgressi sunt cum auditu, quo cum studio debuerunt percipere quomodo seruarent verbum Dei, cum ipsi negligerent legem eius quæ eis erat instituta ad custodiendum, in constitutione præcepti reculantes inspicere quid deberent facere vel quod deberent dimittere propter timorem Domini: qui tamen veniunt ad veritatem, recordantes ea quæ audierunt vel sciuerunt à Deo: quamuis prius ita cæcati essent, quod omnino nollent scire iustitiam ipsius, vt se ad hoc declinarent quod ipsam præponerent peccatis suis, cum spernerent eam, & cum reijcerent retro verbum Dei, respuentes legem eius. Multi de his erunt superabundantes in bonis, ita vt nec satientur, nec eis sufficiant epulari in domo Dei celebrando diuinum officium & operando iustitiam eius superabundanter: ita quod semper sunt flentes & memores in doloribus malorum quæ in anteactis rebus perpetrarunt, dum colebant illicita opera, transeuntes legis Dei licita.

7 Iste est luteus limus, quem vides in pectore pij patris. Quomodo? Filio Dei qui de corde patris exiuit veniens in mundum, adest credens populus, adhærens ipsi hac intentione qua credit in eum. Certe propterea sic etiam isti apparent in pectore pij patris, vt non spernat Angelus nec vlla creatura hominem, quia summi Dei filius incarnatus habet formam hominis in seipso. Beatus enim Angelicus chorus propterea in indignatione habet hominem quia nimium sordescit in peccatis suis, cum ipsi beati Angeli inuiolabiles sint absque vlla transgressione iustitiæ, semper attentissime videntes faciem patris. Et quod amatur à patre, hoc etiam ipsi amant in filio. Quomodo? Scilicet quod Dei filius natus est homo. Nam ego pater filium meum ex virgine natum posui in saluationem

tionem & in restaurationem hominis, vt vobis annunciat Esaias Propheta seruus meus: *Sicut pastor gregem suum pascit in brachio suo, congregabit agnos & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

8 Hoc tale est. Sicut pastor gregem suum pascit, sic pascet filius meus pastor bonus redemptum gregem suum. Quomodo? Ipse pascit eum lege sua, quam ipsemet per me plantauit. Vnde etiam in sua extensa potestate vt in brachio suo, quia idem filius meus est homo, congregabit innocentes agnos de culpa Adæ per innocentiam baptismi, cum ab eis exuitur vetus homo cum operibus suis: & leuabit ipsos in virtutibus suis & in lege sua in sinu suo. Quomodo? Videlicet quia leuat eos super excelsa cœlorum tali modo quod fiunt membra eius. Quapropter sic in interiori secreto Deitatis apparet homo in forma sua, quod nec Angeli habent nec vlla alia creatura, quia vnigenitus meus propter redemptionem generis humani in virginea carne formam assumpsit hominis. Ipse portabit etiam fœtas in corpore suo. Quomodo? Ipse filius meus portat homines in sanguine suo, sic quod salui facti sunt per quinque vulnera eius: quia quodcunque peccauerint per quinque sensus suos, hoc abstergetur per summam iustitiam post pœnitentiam: quoniam ipsemet eos ita portauit, quod incarnatus est, & quod passus est quinque vulnera in cruce, & quod mortuus & sepultus est, & quod à mortuis resurrexit. Ipse porrexit etiam ipsis manum suam, cum eos retraxit ad se. Quomodo? Scilicet quia filius meus assumpsit humanitatem pro illis, qui se putabant propter casum Adæ in æternum perijsse. Idem vnigenitus meus vicit etiam mortem, sic quod non potuit amplius dominari super eos. Vnde & ipse ita nouit eos in virtute claritatis suæ, vt venturi sunt in purgatione pœnitentiæ. Quod autem eos vides in sinu patris apparere, hoc est quod filius hominis perficitur cum membris suis in secreto patris. Quomodo? Cum enim mundus complebitur, tunc electi etiam Christi qui membra eius sunt, perficiuntur. O quam pulcher ille est, vt etiam Psalmista ait: *Speciosus forma præ filijs hominum.*

9 Hoc tale est. Pulcherrima pulchritudo fulget in eo clarissimæ formæ sine vlla macula peccati, & absque liquore humanæ fœditatis, & sine vlla concupiscentia facti operis in desiderijs peccatorum, quæ exigit caro mortalis infirmitatis. Hoc nunquam tetigit hunc hominem. Et forma illa filij hominis nata est in simplicitate præ alijs hominibus, ita quod illæsa virgo genuit natum suum in ignorantia peccati, se nesciens in ærumna habere filium. Quomodo? Quoniam non sensit vllum contactum in peccatis, ideo ignorabat se habere dolorem in partu, sed intus in ea corporis sui integritas gaudebat. O quam speciosus forma. Sed noscant homines ibi carnalem pulchritudinem non fuisse maiorem nisi quatenus ordinatio, profundæ sapientiæ constituit formam hominis: quia Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus Deus in tribus personis non delectatur in pulchritudine carnis, sed in magna humilitate qua filius Dei se induit humanitate. In forma autem filij hominis non erat vlla maculositas, vt aliquando distorquetur homo molesta facie in diuersitate corporis, quod est in iudicio Dei, scilicet cum membra hominis diuisa sunt non recte ordinata vt debilium quod non est secundum naturam formationis in corpore hominis, sed secundum iudicium Dei. Et fortis quidem natura existit in recta formatione, infirma autem defluit in diuersitatem formationis contrariæ formæ: quod non erat opus in homine filio meo. Sed in quam magna diuersitate sint homines in suis membris, ita quod ipsi sunt nigri, fœdi, polluti, leprosi, hydropici, & pleni vitijs, habentes etiam rubiginem maleficij in suasione diabolicæ artis, & insipientes & duri videre bona Domini, & accusandi atque culpandi de multa oblitione quod iustitiam debuerunt operari & operantur malum, ac dimittunt bonum, despicientes crucem & martyrium Domini sui. Deus tamen pater inspicit intentione suæ bonitatis factum opus de limo sicut pater respicit ad filios suos dum eos eleuat in sinum suum. Et quoniam ipse Deus est, habet pij patris dilectionem ad filios suos. Talienim modo est ei interior dilectio cordis ad homines, quod filium suum misit ad crucis opprobrium quasi agnũ mansuetum qui portatur ad victimam occidendus, ita quod filius meus reportauit perditam ouem, quam è faucibus lupi tulit, supra humerum suum assumpta humanitate in magnis eam portans doloribus, cum dignatus est mori pro ouibus suis. In illis autem hominibus sunt multi circumdati ornamentis, qui & decorati sunt pretioso ornatu virtutum, qui sunt martyres, virgines, innocentes & pœnitentes ac subiecti magistris suis, vt iam dictum est & qui seipsos conscios reddunt in criminibus suis, in his se cruciantes cum inexpugnabili certamine, dum negant in seipsis quod sunt. Ibi non est dicendum qui sunt, vel vbi sunt electi, nam omnes computati sunt. Quis est ille cui possibile sit videre in profundam sapientiã altissimi & in discretionem scientiæ eius quid ipse habeat in numero saluandorum. Incomprehensibilia sunt iudicia eius omnibus hominibus. Vobis currendum est, quia paratum est vobis regnum Dei. Nam secundum studium fidelium operantium iustitiam Dei qui sunt abluti in baptismo cognitiq; in fide, talis etiam merces eorum erit.

10 Quod autem vides quod de sedente in throno protenditur magnus circulus aurei coloris vt aurora, cuius amplitudinem nullo modo cõprehendere potes, hoc est quod ab omnipotente patre extenditur fortissima potestas & fortissimum opus eius omnia comprehendens in potentia ipsius, cum qua est operans in filio suo quem semper in maiestate diuinitatis apud se habuit, per eum ordinans ac perficiens omnia opera sua ante mundum & in mundo ab initio: qui pulcherrimi fulgoris velut aurora rubet, quia filius in sapientissima virgine quam aurora significat

Quid circulus vt aurora.

ficat incarnatus est, inspiratione digiti Dei qui Spiritus sanctus est, in quo etiam factum est omne opus patris. Huius gloriæ circuitum nulla ratione comprehendere vales, quia nec ipsius potestas nec opera, nec vlla est mensura vlius bonitatis, vel potestatis ad illam mensurandam quæ sit, vel fuerit, vel fieri debeat in vlla creatura, nisi quod Deus est inæstimabilis & incomprehensibilis in potestate sua, & inuictus ac mirabilis in opere suo.

Circulus partes orbis gyrãs.

11 Et idem circulus gyrans ab oriente ad septentrionem, & ad occidentem atque ad meridiem se reflectens ad orientem ad ipsum sedentem in throno nec habens vllum finem, hoc est quod potestas ac opus Dei circueunt, comprehendendo omnem creaturam. Quomodo? In voluntate patris qui cum filio & Spiritu sancto Deus vnus est, ortæ sunt omnes creaturæ, quæ omnes sentiunt eum in potestate, Quomodo? Omnes sunt eum in creatione sentientes scilicet gyrantem ab oriente quod est in ortu omnis iustitiæ, & tendentẽ ad septentrionem in confusionem diaboli & ad occidentẽ vbi tenebræ mortis lucem vitæ volunt opprimere, luce tamen iterum resurgente deuicta tenebrarum caligine, & ad meridiẽ vbi ardens ardor est iustitiæ Dei in cordibus fidelium, se conuertendo tandem ad ortum iustitiæ quasi ad orientem se recipit. Quid hoc? Dum per summam potestatem opus Dei secundum præordinatum à Deo tempus completum fuerit in hominibus in hoc mundo, tunc etiam implebitur circuitus ipsius mundi, perfectus in fine temporis in nouissimo die: refulgebunt omnia opera Dei in electis eius sedente in throno non habente finem: quia Deus perfectus est in potestate ac in opere suo, qui erat & est & permanebit absque vlla inceptione vllius temporis in diuinitate, ita quod non fuerit sed est.

Cur immensa altitudinis

12 Et quod ille circulus, à terra est tantæ altitudinis vt eum comprehendere non possis, hoc est quod superna potestas ita excelsa est super omnes vitas creaturarum in sensu & in intellectu hominis, & ita incomprehensibilis in omnibus & super omnia, quod nulla creatura eam poterit metiri vlla capacitate sensus quin ipsa sit multo sublimior quam ei sit cognoscẽdum Vnde etiam Angeli frequẽter resonant Deum in laudibus. Ipsi enim vident eum in sua potestate & gloria, sed non possunt eum perfectè intuentes comprehendere quasi ad finem perueniant neq: vnquam valẽt fastidio satietatis capi tam magnitudinis quam pulchritudinis eius.

Splendor calybei coloris.

13 Quod autem ex se reddit splendorem valdè terribilem scilicet lapidei, calybei & ignei coloris, hoc est quod diuina potestas ex se demonstrat duram virtutem in magna seueritate contradissimulatam & impœnitentem ac impunitam iniquitatem, formidabilem: & velut calybeum, quia Deus est perspicua iustitia quæ non habet vllam iniustitiam cedentis mollitiei (tanquam puluis (vt dicitur) iniustum est quod Deo non placet) sed ipse est illa iustitia quæ quasi calybe confirmauit omnem aliam iustitiam: quæ multo fragilior est iustitia eius quam ferrum calybi cedit: & etiam quasi igneum, quia ipse est iudicialis ignis comburens peccatum ob omnem iniustitiam quæ se nunquam conuertere voluit ad illum quærens eius misericordiam. Est etiam Deus quasi lapis in homine, quoniam ipse est verus & iustus absque vlla mutatione: quia vt lapis in molliciem non potest conuerti, ita ille non habet vllam mutationem: & est velut calybs, scilicet in efficacitate pertransiens omnia absq; vlla mutatione vllius aut loci aut temporis, quia ipse est Deus super omnia existens: est etiam quasi ignis, quoniam inflammat & incendit & illuminat omnia absque vicissitudine succedentis temporis in nouitate, quia ipse Deus est.

Splendor infinitum extensus.

14 Et quod ipse splendor vndique secundum amplitudinem suam sursum in altitudinem cœli & deorsum in profundum abyssi ita se extendit vt nullum finem eius videre possis, hoc est quod virtus potestatis ac operis Dei, & iustitia atque rectissimum iudicium eius vbique in incomprehensibilitate sua nec in superioribus cœli, nec in inferioribus abyssi vllum finem habet qui comprehendi possit humano sensu cũ super omnia sit.

Quid stella præcedens.

15 Vides etiam de secreto sedentis in throno stellam magnam plurimi splendoris ac decoris prodeuntem, & cum ea plurimam multitudinem cadentium scintillarum, quia præcepto omnipotentis patris Lucifer Angelus qui nunc est sathanas, in ortu suo magna gloria ornatus & multa claritate ac decore vestitus prodijt, & cum eo omnes scintillæ sui agminis tunc candentes in lucis fulgore, nunc autem extinctæ in caliginis tenebrositate: quoniam pronus ad malum, non aspexit in me solum perfectum, sed existimabat confidens in seipsum, posse incipere quod vellet, & perficere quod inciperet. Vnde quod sedenti in throno debebat honoris quia per eum creatus est, hoc retorsit in seipsum, atque in hoc ipso declinabat se ad malum. Quod vero cum stella illa omnes eductæ ad austrum, inspiciebant ipsum sedentem in throno quasi alienum, seque ab eo auertentes magis inhiabant ad aquilonem quam eum inspicere vellent, hoc est quod Lucifer omnisque comitatus eius mirabiliter creatus in ardente bono Dei constitit, quasi per obliquum, in superbia videlicet dedignans regnantem in cœlo: quia ipsi omnes orti in creatione, ab initio gustauerunt impietatem quę ad perditionem se vertit: Deum inspicientes non sic quod eum scire vellẽt in bonitate, sed quod se super eum velut super alienum vellent eleuare, cum flagrante scilicet elatione se à cognitione eius auertentes, & plus tendentes ad casum suum quam Deum in gloria sua cognoscere desiderarent. Sed quod statim in ipsa auersione inspectionis suæ omnes extinctæ sunt sic versæ in nigredinem carbonum, hoc est dum Deum superbè dedignarentur scire, ipse Lucifer cum omnibus sequacibus suis in malitia sua extinctus est à fulgore clari splendoris, quo per diuinam potentiam indutus erat, delens

in seipso interiorem pulchritudinem, qua debuit vsus esse ad bonum: & se porrigens ad deglutiendam impietatem, ita extinctus est ab æterna claritate vt caderet in æternam perditionem. Vnde omnes versi sunt in nigredinem carbonum extincti ignis, quia cum duce suo scilicet diabolo exuti claritate sui splendoris sic extinctæ sunt in perditione tenebrositatis carentes omni gloria beatitudinis: vt carbo caret omni luce igneæ scintillæ. Quod autem ventus turbinis ortus est ab ipsis, qui eas mox ab austro retro sedentem in throno proiecit ad aquilonem præcipitans in abyssum, ita vt earum amplius nullam videre valeres, hoc est quod maximus flatus impietatis erexit se in ipsis Angelis iniquitatis, cum Deo vellent prævalere & eum per superbiam opprimere, qui exufflatus est in amarissimam nigredinem perditionis: & eos de austro, id est de bono proiecit retrorsum, quod est in obliuionem Dei cuncta regentis: quasi ad partem aquilonarem, vt vbi superbe exaltari volebant, ibi confusi casum inuenirent, propter superbiam suam præcipitati in abyssum mortis æternæ: quæ perditio ipsorum est, vt in nulla claritate amplius videantur, vt per seruum meum Ezechielem saltui meridiano qui ardenter fructum iustitiæ debuit & non attulit locutus sum dicens: *Ecce ego succendam in te ignem & comburam in te omne lignum viride: & omne lignum aridum. Non extinguetur flāma succensionis, & comburetur in eo omnis facies ab austro vsque ad aquilonem. Et videbit omnis caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.*

16 Hoc tale est. O stulte qui in superbia tua te erexisti contra me, ego qui nec initium nec finem habeo, faciam vt in zelo meo accendatur in te ignis indignationis meę per quem comburam in te omnem viriditatem tuam qua voluisti opus incipere, in falso vigore magis confidens in te quam in me: quia elegisti in tua stulta scientia esse secundum superbiam tuam, comburamque in te omnem ariditatem illam peccati tui & aliorum perditorum cum peccatum in bono aridum suggeris homini qui cinis est: quia suggestio tua non recipiet in te vllam saluationem, sed fiet in te ignis æternus. Nec restat vlla tibi muneratio salutis, nec illis qui te sequuntur in exēplo tuo. Et non extinguetur illa succensio pœnarum in supplicijs suis, sed comburet præcipitē superbiā quasi in facie concupiscētiæ aspectus honoris quē concepisti velle habere in teipso, qui eiectus es ab omni gloria tua, ab austro scilicet surgēs in ardente clarissima luce, & cadēs in tenebras aquilonis, id est inferni. Et hoc videbit omnis homo, videlicet electi & reprobi cognoscentes gehennam: quoniam electi eam cognoscunt: quia illā effugerunt: reprobi autem, quoniam cū ea in pœnis permanebunt, sciētes quia ego Dominus omnipotēs succendi eam ad retributionē malorū tuorū ô diabole, nec extinguetur in malis tuis nec sequētium te. Et sic perditio diabolicę superbiæ proiecit sathanā & Angelos eius in exteriores tenebras æternorum tormentorum sine vlla consolatione luminis, ita vt illi nullus sit locus inuentus in æterno lumine: & tu ô fragilis homo horrens & stupens, eorum vltra nihil conspice e potuisti, sicut etiam idē Ezechiel in spiritu meo regi Tyri sub mystica significatione dicit: *Omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te. Nihil factus es, & non eris in perpetuum* Hoc tale est. Omnes recti corde qui viderint te diabole inebriatum vitijs in illis gentibus qui te amplexantur in prævaricatione legis Dei, arescent obstupescentes in tua sorde, quomodo polluis suggestione tua templum in ædificatione Dei quod homo est. Et propterea nihil factus es per superbiam tuam in qua cecidisti ab omni gloria saluationis, quia omnino nullus vigor es, in nulla fœlicitate, neq; eris inuentus vllam gloriā amplius habens in æternitate cœlestium, quia tu confusus es in illis in perpetuum sine fine.

Splēdor reuertēs ad sedentem in throno

17 Sed quod splendorē illum magnum qui eis abstractus est, vidisti subito in earū extinctionē reuerti ad ipsum sedentē in throno, hoc est quod perspicuus & magnus fulgor quem diabolus propter superbiam & contumaciā suam perdidit cū in ipsum & omnes sequaces eius intrauit germen mortis (erat enim Lucifer purioris luminis quam cæteri Angeli) reuersus est ad Deum patrem vnde prodierat, seruatus in secreto eius: quia locus gloriæ splendoris illius non debuit esse vacuus, sed Deus seruauit eum alteri factæ luci. Nam eius quē Deus nudum surgere iussit atq; non coopertū carne qui diabolus est cum omni comitatu eius in splendore tamen clarum, splendorē seruauit limo quē formauit in hominem, tegens ipsum vilissima natura terræ, ob idipsum ne se extolleret in similitudinem Dei: quia quem clarum creauerat in multo fulgore sed non coopertum tā fragili & tam misero tegmine quo & homo, hic non potuit stare in elatione sua: quia non est nisi vnus Deus sine initio & sine fine in æternitate. Ac ideo scelleratissimum est præ cæteris criminibus, quo quis se Deo simulat. Nunc autem ego Deus cœlestis seruaui illustre lumen quod retraxi à diabolo propter malum eius, hoc diligenter abscondens apud me, & dedi illud limo terræ quem formaui ad imaginem & similitudinem meam: quemadmodum aliquis homo facit, cum filius eius moritur cuius hæreditas non transit in natos eius, quia absq; liberis decessit, hæreditatem filij attrahit sibi pater & proponit eam in mente sua alij suo filio nondum sibi nato, daturus eam illi cum natus fuerit ex ipso.

18 Nam diabolus cecidit absque hærede, quod est in recta intentione bonum opus, quia nunquā aliquid boni fecit nec incepit: & ob hoc accepit alter hæreditatem eius: qui etiam cecidit, habens tamē hæredem scilicet inceptionem obedientiæ: quoniam eam suscepit cum deuotione, quamuis opus ad hoc pertinens non perfecerit, sed gratia Dei perfecit illud opus in incarnatione saluationis populorum, in restaurationem bonæ hæreditatis. Atq; ideo recepit homo hereditatem suam in Christo, quia non dedignatus est in initio præceptum Dei: cum omnino diabolus non desiderauit seruitium creatoris sui in bono, sed honorem in superbia, vnde non recepit gloriam suam sed in perditione perijt.

Et

19 Et sicut Goliath surrexit despiciens Dauid, ita erexit se diabolus in præsumptionem in seipso, volens similis esse altissimo. Et vt Goliath ignorans vires Dauid eum prorsus nihili reputans vilipendit, sic cumulata superbia diaboli contempsit humilitatem in humanitate filij Dei, qui in mundo natus, non gloriam suam sed gloriam patris per omnia quæsiuit. Quomodo? Diabolus non desiderauit imitari hoc exemplum, vt se subderet suo creatori quemdmodum se filius Dei subdidit suo patri. Attamen Dauid amputauit caput Goliath in secreta fortitudine Dei, vt Spiritu sancto inspirante scriptum est: *Assumens autem Dauid caput Philistæi attulit illud in Hierusalem arma vero eius posuit in tabernaculo suo.* Hoc tale est. Spolia & direptiones diaboli accepit fortissimus filius meus, cum deiecit caput eiusdem serpentis antiqui. Vbi? In vtero virginis quę hoc caput contriuit. Per quē? Per eundem filium suum. Quæ est hæc contritio? Sancta humilitas, quæ in matre & filio apparens percussit primum initium superbiæ, quod est caput diaboli. Et sic filij mei secundum carnem victrix humilitas attulit ipsum caput in sanctam Ecclesiam quæ est visio pacis, ei ostendens quod per ipsam fortissimam humilitatem interfecta esset superbia diaboli: fortissima vero arma eius sunt multiformia eius vitia, quibus ille superauit genus humanum quod eum pro Deo coluit, sic exterrens in viciosis artibus suis vt arma exterrere solent homines. Hæc confregit filius meus ponens ea in tabernaculo suo, id est in passionem corporis sui dum pateretur in cruce. Vnde ipsam pugnam dimisit etiam in tabernaculis simul in corporibus electorum membrorum suorum, vt & ipsi distribuant arma diaboli cum ipso. Quomodo? Vt sicut ipse deuicit diabolum in passione sua, sic & ipsi eum deuincant se constringentes in desideriis, & non sint consentientes vitiis illius. Et secundum similitudinem hanc, vt gloria Goliath data est Dauid, ita gloriam quæ ablata est primo Angelo, dedi Adæ & generi eius, quod confitetur me seruans præcepta mea, interempta superbia diaboli. Qui autem interioris sensus perspicaces audiendi aures habet, hic in ardenti amore speculi mei, ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO SECVNDA.

1 DEINDE vidi inter ambitum circuli qui protendebatur de sedente in throno quasi montem magnum coniunctum radici illius immensi lapidis super quem nubes cum throno & sedente in eo posita erant, ita quod lapis in altitudinem erectus & mons in latitudinem extensus videbatur. Et super ipsum montem stabat velut quoddam ædificium quadrangulum ad similitudinem vrbis quadratæ formatum, aliquantulum obliquum habens situm, cuius angulus vnus respiciebat ad orientem, & alius ad occidentem & vnus ad septentrionem & alius ad meridiem: ædificium autem circuitu suo murum vnum biformem gerebat, cuius forma vna erat quasi splendor lucidus vt lux diei, & altera quasi compaginatio lapidum adinuicem coniuncta in angulo orientali & in angulo septentrionali, ita vt pars illa lucida muri protenderetur ab angulo orientali & finiretur in angulo septentrionali, tota integra & non habens vllum locum interruptum, & pars alia scilicet lapidea extenderetur ab angulo septentrionali ad angulum occidentalem & ad angulum meridianum & finiretur in angulo orientali, habens duo loca interrupta inter angulum videlicet occidentalem & angulum meridianum. Longitudo autem ædificij erat centum cubitorum, & latitudo eius quinquaginta cubitorum, & altitudo ipsius quinque cubitorum, ita vt eius duo parietes in vtroque latere ipsius essent vnius longitudinis, & alij ipsius duo parietes in fronte & in fine eius, vnius latitudinis. Sed & ijdem quatuor parietes vbique in circuitu ipsius ædificij æqualis erant altitudinis, exceptis propugnaculis eius quæ aliquantulum eminebant altitudinem ipsius. Latitudo autem inter ipsum ædificium & splendorem ex prædicto circulo se in profundum abysi extendentem, erat in vertice orientalis anguli vnius palmi, alibi autem id est in septentrionali & in occidentali atque in meridiana parte tanta vndique erat latitudo inter idem ædificium & splendorem, vt eius amplitudinem nullo modo conprehendere possem. Et hæc me admirante, qui sedebat in throno iterum dixit ad me: Fides quæ in antiquis sanctis cum opere iustitiæ per bonitatem patris desuper ædificato, velut in pallore apparuit, incarnato Dei filio aperta manifestatione cum ardentibus operibus ardenter in lucem processit: quando filius Dei caduca non concupiscens, ea exemplo suo conculcari & cœlestia amari perdocuit: cum priores patres mundum non fugientes, nec se ab eo separantes Deum simplici tantum credulitate & humili deuotione colebant, quia nondum vt omnia deserent eis ostensum fuerat.

Mons coniunctus dicilapidis

2 Vnde etiam quod vides intra ambitum circuli qui protenditur de sedente in throno, montē magnū coniunctum radici illius immensi lapidis super quem nubes cum throno & descendente in eo posita sunt, ita quod lapis in altitudinem erectus & mons in latitudinem extensus videtur hoc est quod in potente ac forti opere potestatis superni patris qui potenter operatur, stat mons significans fidem: quæ magna est in virtute, palamque surgens in circumcisione Abrahæ, & ita proficiens vsque in filium superni Dei post ruinam serpētis antiqui per Spiritum sanctum inspirata hominibus, vt in bonitate patris fideliter operantes illum credant omnipotentem esse Deum, qui tam magnum hostem superare potuit, ita quod per eandem credulitatem subleuati ad gloriam illam pertingant, de qua diabolus per superbiam suam deiectus periit.

3 Atque idem mons positus est ad radicem prædicti lapidis mysterium timoris Domini habentis: quia fides coniuncta est stabilitati timoris Domini, & timor Domini etiam fortitudini fidei, scilicet cum de patre missus est filius nasci ex virgine,

& cum de filio pullulabat vera fides primum fundamentum boni operis: quam timor Domini profert cum omnibus virtutibus tangens Deum in altitudine sua, ita vt in sapientia fidelium mentium Deus super omnia regnans fideliter colatur. Quomodo? Quoniam timor Domini secreta cœli visu circumspectionis acute penetrat, quia ipse initium iustæ intentionis est, cum qua etiam beata fides apud Deum in latitudinem perfectionis extenditur cum in bonis operibus ad sanctitatem dilatatur.

Aedificiũ supra mõtem.

4 Sed quod super ipsum montem stat ædificium quadrangulum ad similitudinem vrbis quadratæ formatum, hoc est quod super fidem bonitas patris bona opera ædificans, multos fidelium per quatuor angulos terræ colligens trahit ad cœlestia, sic munitos in stabilitate virtutum vt cœlestis pater in sinu suo, hoc est in interiori potestate & in mystico consilio suo eos benigne componat cum quatuor quadris in fide.

5 Quomodo? Ego qui sum altissimus, ordinaui in opere meo primum quadrum hominum, videlicet Adam, cuius genus ipso dormiente per magnum schisma se debilitans, processit vsque ad secundum quadrum id est ad Noë sub quo diluuium factum est, vbi & mysteria filij mei in arca prænostraui. Sed in eo quadro quæ est Noë, per admonitionem meam manifestaui illam lucidam partem muri prædicti ædificij, quia ibi in diluuio suffocans peccatores innui hominibus vt mortem fugerent & vitam appeterent, sic eis palam aperiens speculatiuam scientiam cognitionis duarum viarum. Quid hoc? Homo viret & viget in viuente vita quæ anima est, per quam speculatur & cognoscit duas semitas videlicet bonum & malum: quoniam homo tangitur alterutra parte harum, ita quod manens in corpore siue bonum siue malum cum anima & corpore operatur: quod quidem ipse incipit per operationem animi sui, voluntatem suam ita in opere complens. Et sic in nos ostensa est per admonitionem meam speculatiua scientia duarum viarum, scilicet acutissima consideratione malum spernere & bonum diligere, quæ ita cum emissione circũcisionis tendit in præcursu voluntatis Dei, vsque ad tertium quadrum, in quo Abraham & Moses coniuncti sunt in circumcisione & lege: quæ circumcisio & lex ita procedebat vsque ad quartũ quadrũ sanctæ trinitatis, in quo vetus testamentum in filio Dei finitum est cum exteriori significatione. Vnde etiam surrexit interius germen per filium Dei in Ecclesia, qui natus & passus pro salute hominum resurgens etiam & rediens ad patrem, angulum illum qui in casu Adæ absconsus & attenuatus erat restaurauit in saluationem, per animas hominum.

Aedificiũ inobliquũ

6 Quod autem ædificium aliquantulum est in obliquum situm, hoc est quod homo qui opus Dei est, non potest præ fragilitate sua incedere firmiter sine peccato, & audacter sine timore fragilis carnis diabolum superando: sed eum oportet illum humiliter deuitare, & insidias eius sapienter fugere ne peccet, atque fideliter se coniungere bonis operibus, & sic constare in filio Dei: qui quasi in angulos sedens lapis angularis est, hoc pacto opus electum in homine coniungens.

Quorsum angulus respiciens.

7 Sed quod angulus vnus respicit ad orientem & alius ad occidentem & vnus ad septentrionem & alius ad meridiem, hoc est quod filius Dei natus est ex virgine & passus in carne, vt in ortu iustitiæ homo restauraretur ad vitam cui omnis iustitia apposita est, quod est angulus orientalis inde surgente saluatione animarum: vt Deus compleuit in filio suo omnem iustitiam quæ ab Abel vsque ad ipsum præfigurata est, in quo finita est constitutio carnalis obseruationis veteris testamenti, iam veniente salute fidelium hominum per fidem, quam filius Dei attulit missus à patre in mundum in fine temporum, quod est angulus occidentalis. Contra diabolum quoque in Abraham & in Mose eleuauit se iustitia qui præmonstrabant promissam gratiam per quam homo saluatus est quem diabolus deceperat, occidendo eum vt latro in lapsu Adæ, quod est angulus septentrionalis: vnde & miserabilis ac mortalis casus qui factus est in humano genere, postea per supernam gratiam nobiliter & magnifice restauratus est pleno fructu in ardente opere Dei & hominis, quod est angulus meridianus. Angulus etiam meridianus est, quia primus homo Adam à Deo creatus est. Sed quod ab hoc angulo speculatiua scientia cognitionis duarum viarum non incipit fulgere, id est ab ipso Adam, hoc ideo est, quia genus suum incompositum erat, non colens Deum in scientia sua officiosum seruitute legis, sed tantum propriam voluntatem suam adimplens cum summo malo: ita vt nec in recta scientia Dei nec in vera beatitudine esset fulgens, immo in morte iacens: sed absconditum erat tantum in corde patris, quid cum homine facere decreuisset.

Quid angulus in oriente.

8 Angulus etiam in oriente designat Noë, vbi se iustitia ostendere incepit: & vbi etiam aperte manifestata est præmonstrata speculatiua scientia, ostendens omnem sanctitatem quæ postea in filio Dei perficienda erat. Et quia vnaquæque iustitia in filio Dei qui est verus oriens erat incipiens, ideo est hoc ædificium primum appellandum ad orientem in honore sanctitatis, quæ primum etiam in Noë veraciter declarata est. Angulus quoque in septentrione est Abraham & Moses, qui aduersus sathanam cum operis executione prædictam speculatiuam scientiam circumtegebant quasi eam circumædificarent cum preciosis lapidibus, & cum desuper aurato opere perspicuæ iustitiæ Dei quod erat circumcisio & lex: quia iustitia ante circumcisionem & legem, quasi nuda erat absque opere. Et quartus angulus occidentalis prefigurat etiam veram Trinitatem, quæ palam manifestata est in baptismo saluatoris, qui erexit plenam & sanctam ciuitatem Hierusalem cum omni opere suo, recurrens ad cœlum in saluatione animarum.

Qui murus riuiformis

9 Sed quod ipsum ædificium in circuitu suo murum vnum binæ formæ habet, cuius vna est quasi splendor lucidus vt lux diei & altera quasi compaginatio lapidum ad inuicem coniuncta in angulo orientali & in angulo septentrionali, hoc est

quod

quod per bonitatem patris hominibus ex omni parte data est quasi securitas vna, id est munitio & defensio in bonis operibus vt ipsis circumdati & confortati carnales concupiscentias deserant, & ad vnum Deum qui munimentum eorum est confugiant. Qui murus in duabus est formis quia vna forma muri est veluti speculatiua scientia duarum viarum: quoniam illam scientiam in acutissima & certissima exquisitione speculationis animi sui habet homo, vt sit circumspectus in omnibus viis suis: & etiam alia forma muri est veluti cinerea caro hominis: quia à Deo creatus est homo operans factum opus in operatione.

10 Et hæc speculatiua scientia lucet in splendore lucis diei, quin per eam homines actus suos vident & considerant: quia splendidus radius est humanæ mentis, se caute circumspicientis: in homine siquidem apparet hæc præclara scientia vt candida nubes permeans mentes populorum in celeritate sicut & nubes cito difflatur in aëre: lucensq; vt lux diei quoniam ipsa candida declaratur propter splendidissimum opus quod Deus benigne operatur in hominibus: scilicet vt cum ipsi deuitant malum, perficiant bonum quod in eis quasi lux diei lucet: In ipsa quoque scientia procedit vnumquodque opus in homine. Quomodo? homo habet duas vias. Quomodo? Ipse est sciens bonum atque malum cum sensibilitate: qui dum transit de malo, operando bonum, imitatur Deum faciens bonum in ipso, qui iustus est nolens iniustitiam. Sed dum operatur malum, implicatur per seductorem diabolum in peccatis, qui non vult desistere nisi sentiat illum in vinculo malorum operum, quoniam diabolus quærit iniquitatem, fugiens sanctitatem. Si autem homo abstrahit se à malo & operatur bonum, tunc suscipit eum summa bonitas: quia seipsum propter amorem Dei superauit, qui filium suum tradidit pro eo in mortem crucis. Vnde etiam scientia hæc est speculatiua, quia ipsa est quasi speculum hoc modo: quoniam vt homo aspicit faciem suam in speculo vtrum sit in ea pulchritudo an maculositas, sic inspicit ipse in scientia bonum & malum in facto opere, quod considerat intra se: quia hæc consideratio est in rationali sensu quem Deus inspirauit in homine, cum in faciem eius inspirauit spiraculum vitæ in anima. Nam viuere pecorum deficit, quia rationale non est: anima autem hominis nunquam deficit, quia in æternum viuet quoniam rationalis est. Vnde etiam homo sentit in consideratione boni & mali, quod ipse opus sit reprobum vel electum, per gratiam Dei formatus & inspiratus rationali sensu in ortu creationis suæ: illa gratia eum iterum restaurante in electione baptismi, & in saluatione animæ noui testimonij vt dicit Paulus amantissimus meus de illa electione gratiæ, *Reliquiæ secundum electionem gratia saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non est gratia.*

11 Hoc tale est. Reliquiæ quas laqueus mortis non comprehendit, vt declinarent ad exemplum diaboli, illæ saluæ factæ sunt aperta saluatione, dum Deus misit filium suum incarnari quod est electio gratiæ pro salute manifestata hominum. Quomodo? Gratia Dei constituit hominem, sed ille lapsus est in prauis operibus. Tunc ostensa est electio gratiæ in electo vase, cum ex virgine filius Dei natus est, in quo possibile non erat fieri vllum lapsum. Nam si quisquam hominum rem aliquam vtilem facit quæ ipsi ab alio abstrahitur, tunc eligit sibi aliam vtiliorem, quam ei nullus auferre possit, & in qua ipse plene abundet. Sic fecit gratia Dei. Ipsa enim formauit Adam primum hominem, quem diabolus abstraxit ab innocentia operis, sed eadem gratia fecit postea plenitudinem bonorum operum per filium Dei in saluatione animarum. Si autem gratia Dei fecit saluationem, tunc saluatio non est facta ex merito hominum. Quomodo? Iustitia operis defecit in Adam, ita quod homo nunquam rediret in saluationem per merita operum suorum, nisi recuperaretur per eandem gratiam in iustissimo filio Dei per opera ipsius, quia obediens factus est patri suo: & nisi homo etiam mundaretur per baptismum quod filius Dei tradidit hominibus cum bono opere: quod opus gratia Dei operatur cum homine, & homo opus illud cum illa. Ideoque est gratia Dei cum hoc opere, & hoc opus ortum est de gratia. Quod si saluatio esset ex merito hominum & rectum opus hominis esset proprium ei à seipso, ita quod gratia Dei opus illud non accenderet, tunc gratia non esset gratia. Quomodo? Tunc esset homo à seipso & non à Deo, & nulla creatura redderet gratias Deo, & gratia Dei nihil esset. Nunc autem gratia Dei constituit hominem rationalitate subnixum vt iustitiam operetur in scientia boni & mali, quatenus hac scientia appetat bonum abiiciens malum & vt sic cognoscat vitam & mortem per hoc eligens in qua parte remanere desiderat vt Salomon in intellectu sapientiæ inquit: *Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.*

12 Hoc tale est. Deus apposuit homini in prima suscitatione animæ vim magnam & acutam videlicet notitiam malorum & bonorum: quæ sunt aqua & ignis. Nam sicut aqua semper inundat & celat in se multa mortifera animalia plurimaque inutilia, ita est etiam homo inundans in malis factis suis, celans ea ne diuulgetur. Et vt etiam ignis vrit non perferens intra se vllam impuritatem incombustam, & vt faber per ignem puriora facit monilia sua ablata rubigine, sic etiam bonum facit hominem purum, euellens ab eo rubiginem nequitiæ. Nam aqua & ignis dissentiunt, suffocantes & necantes seinuicem. Sic etiam facit homo. In malo enim necat bonum, & in bono necat malum atque in vtroque semper occultat intra se silenter sua desideria, hac aut illac versans illa.

13 Et in ipsa commotione desideriorum habet optionem voluntatis illius viæ quam desiderat, & ad illam conuertit se cum voluntate operis, quasi manum ad hoc porrigendo scilicet bonum opus perficiens adiuuante Deo per gratiam, & malum perageris insidiante diabolo per suggestionem artium suarum, ipso quidem homine hæc inspiciente in scientia rationalitatis suæ. Nam in illa scientia inspi-

inspicit bonum & malum, & inde oritur in ipso desiderium optionis è duabus viis boni videlicet & mali, secundum voluntatem ipsius. Quid hoc? Optio est quod homo videt in desiderio animi sui quasi in speculo res aliquas dicens intra se, vtinam possem hoc vel illud agere ad quod nondum accedit per opus, sed habet illud in scientia sua, positus quasi in capite duarum viarum, quod est scientiam habens occasionum boni & mali: & ita secundum desiderium suum tendit tandem ad opus illud siue sursum siue deorsum.

Altera forma.

14 Et altera forma muri quam vides quasi compagination lapidum ostendens genus humanum, designat etiam rectas institutiones quæ surrexerunt in mentibus hominum, vt in Abraham & in Mose ac in cæteris, qui erant præcedens germen legis Dei, cum omnibus appendiciis iustitiæ Dei in lege vsque in nouissimum tempus. Quomodo? Scilicet quod opus Dei est in homine & per hominem, ita quod Deus misit filium suum propter saluationem hominum in fine legis, sine peccato & operantem in humano corpore, atque ponentem fundamentum fidei super seipsum, hoc modo quod portauit genus humanum cum primo homine eiecto de paradiso propter præuaricationem iustitiæ, faciens omne hoc mirabile in homine per legem suam vbi comprehendis Christianam multitudinem quæ hæc ædificatio est in bonitate patris, & quod homo reponendus est in cœlesti Hierusalem.

Duæ formæ coadunatæ.

15 Vnde & ipsæ duæ muri formæ in vnum coadunatæ sunt in parte orientis & septentrionis, quoniam in speculatiua scientia & in humano opere est communis terminatio iniustitiæ, in qua genus humanum erat in obliuione Dei implicatum: quæ se erexit primum ab Adam cum insana iniustitia ante diluuium, ita quod ipsa depressa est cum omni sua gente propter magnam iniquitatem in diluuio aquarum: vbi scientia speculatiua apparere incepit per inspirationem meam cum scientia boni in Noë vt in angulo orientali vt prædictum est. Sed quamuis se in Noë admonitio Dei erexerit, tamen ceruix & appetitus mali in recordatione ipsius processit exitialiter ad aquilonem, ita quod iniquitas rebellionis contra Deum non est conculcata vsque ad Abraham in quo suffocata est vt in angulo septentrionali, cum in eo orta est acutissima acies iustitiæ Dei. Quod vero illa lucida pars muri protenditur ab angulo orientali & finitur in angulo septentrionali, tota integra, & non habens vllum locum interruptum, hoc est quod speculatiua scientia in munitione mentium hominum ab angulo orientali id est à diebus Noë incepit apparere, cum prius ante Noë studebat iniquitas hoc adimplere quod perpetrare posset in irritatione Dei, hominibus magis concupiscentias suas sequentibus quam cultura Dei amantibus: quia primum genus hominum ab Adam vbi speculatiua scientia absconditа erat, deglutiuit diabolus in omni voluntate sua vsque ad Noë: in quo illa scientia aperte ostensa est vt dictum est: nihilominus tamen adhuc confidebat diabolus, quod esset habiturus omne genus humanum, iniquitate ita in præcepto eius procedente vsque ad angulum septentrionalem, hoc est ad Abraham & Mosen: quoniam ante eos in speculatiua scientia erat iniquitas quasi integra in sua nequitia, & nondum interrupta aut contrita per constitutam iustitiam legis Dei, quia necdum circumcisio aut lex data fuerat: in quibus tunc patribus ipse diabolus incepit confundi, cum prius quasi confidenter in mundo regnaret: sicut aperit Paulus meum lucidum vas electionis: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ qui est forma futuri.*

16 Hoc tale est: Mors regnauit nullo contra eam militante, nulloq; eam superante bello, ab Adam vsque ad Mosen. Quomodo? Quia austeritas & cultura legis ante Mosen data non erat, excepto quod circumcisio in Abraham iussione Dei facta, ipsam leuiter præmonstrauerat, sed mortis vitium processit de errore in errorem, vt sibi placuit. Tũc surrexit in volũtate Dei fortis miles Moses, & præparauit fortia arma iustitiæ, in quibus mors in suo cultu destructa est per instrumenta legis: quia lex abscondit in se omnem saluationem animarum, cum præsignificatione filij Dei: quia etiam mors dominabatur in innocentibus, qui præ simplicitate moderationis suæ nesciebant in actibus suis opus præuaricationis Adæ in nationibus, qui est forma futuri. Quomodo? Adam à Deo fuit creatus iustus & innocens ab omni conceptione & inceptione peccati, sic etiam filius Dei natus est ex virgine Maria, veniens absque vlla macula peccati.

Lapidea pars muri

17 Sed vt vides quod illa lapidea pars muri extenditur ab angulo septentrionali ad angulum occidentalem & ad angulum meridianum, & finitur in angulo orientali, hoc est quod recta opera hominum cum quibus in Deum muniti sunt, processerunt quasi de angulo septentrionali id est de circumcisione Abrahæ cum lege Mosi & cum appendiciis iustitiæ eorum, in hominibus vsque ad angulum occidentalem, vbi surrexit perspicua iustitia in incarnatione filij Dei, abinde vltra extensa vsque ad angulum meridianum, vbi ardens opus per baptismum & per reliquam iustitiam electæ & nouæ sponsæ eiusdem filij Dei ad restaurandum Adam in saluationem accensum est, iterum inde vltra prolongata terminumq; ponens in primo angulo orientali, ita reuertendo ad summum patrem. Quomodo? Ipse summus pater erat in mysterio suo vnamquamque iustitiam ordinans quomodo redire deberet primi hominis casus in saluationem animarum reuertendo ad Deum. Quia homo ceciderat, ideo surrexi in misericordia & misi filium meum in restaurationem saluationis animarum, sicut seruus meus Psalmista Dauid ostendit dicens: *Sed in lege Domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

18 Hoc tale est. In lege iustitiæ quam Vnigenitus meus natus ex virgine demonstrauit mundo: qui cum Patre & Spiritu sancto vnus Deus existens omni dominatur sæculo, ita quod ipse filius patris incarnatus & homo visibilis visus, dominus & eleuatus in carne super omnem creaturam fuit volun-

voluntas patris in saluatione. Quomodo? Quia filius Dei ante sæcula à patre genitus, postea in mundo natus ex matre in fine temporum necdum incarnatus manebat, in patre inuisibilis, vt voluntas inuisibilis est in homine antequam exeat in opus: visibilis deinde apparuit in carne pro salute hominum, ita cum filio suo meditatur omnipotēs pater omnem iustitiam contra primum casum Adæ. Vbi? In dilectione filij Dei, qui ante tempora in diuinitatis gloria manens in patre, mirabiliter postea sub statuto tempore mundi, incarnatus est, quem pater de corde suo in mundum misit summum sacerdotem super omnem iustitiam. Vnde & legem iustitiæ ipse filius collegit vt eam accepit à patre facta lege hominū in eum credituro rum. Sed in illa lege quam pater in filio suo constituere atque condere voluit, meditatur in die. Quomodo? Scilicet in die quæ ipse est, cum nulla obscuritas iniquitatis erat in vlla creatura priusquam vllam creaturam conderet sæculorum, meditatus est istam legem filij sui. Et etiam in nocte. Quomodo? Quia in facta creatura dum se incepit erigere malum quod est quasi obscuritas noctis, in Angelo & in homine meditatur etiam pater vsque in nouissimum diem in quem pertingunt opera sua quæ ineffabiliter operatur, ostendens & aperiens legem filij sui: cum in ipso perficit omnia bona, quæ in homine perfici debent.

Pars muri interrupta.

19 Sed vt vides quod lapidea pars muri habet duo loca interrupta inter angulum videlicet occidentalem & angulum meridianum, hoc est quod opus humani generis in munitione defensionis suæ, duobus modis adhuc imperfectum est: cum membra incarnati filij Dei constant adhuc quasi imperfecta in electis suis, quod est primus interruptus locus velut ab occidente, quoniam filius Dei missus est in mundum in fine temporum: & cum deinde Ecclesia similiter adhuc quasi imperfecta est in omnibus virtutibus suis, vt consistere & ædificari debet in cœlesti Hierusalem, quod est alter interruptus locus velut ad meridiem, cum Ecclesia perficietur in cœlestibus.

Longitudo ædificij centum cubitorū.

20 Quod autem longitudo ipsius ædificij est centum cubitorum, hoc est quod denarius numerus attenuatus erat in præuaricatore homine, & recuperatus est in filio meo per multiplicem denarij centenarium numerum multiplicium virtutum in saluatione animarum: de quo denario per centenarium, deinde ascendit millenarius numerus perfectus in omnibus virtutibus, vt plene euacuentur mille artes diaboli, cum quibus seducit omnem gregem amabilium omnium omnipotentis Dei. Quid hoc? Ego omnipotens constitui initio ardentia & viuentia lumina quæ lucerent in splendoribus suis, sed quædam perstiterunt in amore meo, quædam autem ceciderunt despiciendo creatorem suum. Sed non decuit me creatorem vt institutionem meam, vacuam & irritam relinquerem. Quomodo? Angelica scilicet creatura superbientis agminis hoc bonum quod creator suus ipsi indulsit ad cognitionem suam, illud sibiipsi deputauit in fallacem gloriam, se posse similem esse creatori suo, vnde cecidit in mortem. Tunc præuidit Deus, quia quod in perdito agmine illo cecidit, fortius restaurandum esse in alio. Quomodo? Quia creauit hominem de limo terræ viuentem in anima & corpore vt ad gloriam illam pertingeret, de qua præuaricator diabolus cum suis imitatoribus eiectus est: quoniam homo valde charus est Deo: cum & eum fecerit ad imaginem & similitudinem suam, ita vt in perfectione sanctitatis operaretur omnes virtutes, sicut & Deus condidit creaturas omnes: & vt etiam impleret operando in humillima obedientia & in opere virtutum sub ministratione laudis inter glorioſos Angelos ordinem: vt in hoc beatitudinis culmine, adornaret laudem supernorum spirituum, qui assidua deuotione sunt laudantes Deum: atque in eadem beatitudine sua hoc adimpleret, quod perditus Angelus in præsumptione sua ruens euacuauit. Ideoque est homo plenus denarius numerus, qui hæc omnia per virtutem Dei perficit. Sed denarius numerus in sua natura multiplicat centenarium in hac intentione, quia homo diabolica seductione corruens, à Deo tandem diuina miseratione & inspiratione admonitus strenue incepit Deum agnoscere cum lege & prophetia veteris testamenti, & deinde acutius cum sanctitate ac omnibus ornamentis inuictæ constantiæ Ecclesiæ. Sicq; incepit homo operari omnes virtutes ab Abel ita eas perficiendo vsque ad nouissimum iustum, quod est centenarius numerus longitudinis huius ædificij, quod Deus in mystica figura demonstrat hominibus: ne desperent prolapsi in iniquitatibus suis, sed vt surgentes ab eis fortiter laborent in opere Dei: quia & vnusquisque cadens in peccatis, cum se erigit ab eis, fortior erit quàm prius esset: sicut & Deus maiores & fortiores virtutes restituit in homine, filium suum mittens in mundum ad erigendum collapsum genus humanum, quàm primus homo operatur. Vnde & homo fortius operatur in anima & corpore quam si esset sine corporali grauedine: quoniam militat in seipso in multis periculis perficiens fortissima bella, & victorioſus existens cum Domino Deo suo fideliter militans ei, sic ipsum cognoscens in militia sua, corpus suum castigando: quia Angelus carens grauedine terreni corporis, est tantum miles cœlestis harmoniæ lucidus & purus perseueràns in visione Dei: homo verò grauatus corporali putredine est fortis & glorioſus sanctusq; miles cum restaurato opere: qui operatur propter Deum in anima & corpore, ita per centenarium numerum præsentis laboris pertingens ad millenarium futuræ retributionis, videlicet cum in nouissimo die plenam mercedem accipiens sine fine in anima & corpore gaudebit in cœlesti habitatione. Sic ergo denarius attenuatus numerus, recuperatus est per filium meum, qui natus ex virgine & passus in cruce hominem reduxit ad cœlestia, vt ipse in Euangelio dicit: *Quæ mulier habens dragmas decem, si perdiderit dragmam vnam, nonne accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Et cum inuenerit conuocat amicas & vicinas dicens. Congratulamini mihi, quia inueni dragmam quam perdideram.*

Hoc

21 Hoc tale est. Sancta diuinitas habuit dragmas decem, id est in electis Angelis & in homine decem ordines supernarum distinctionum: sed dragmam vnam perdidit, cum homo magis diabolicam seductionem, quam diuinum præceptum secutus in mortem cecidit. Vnde ipse accendens lucernam ardentem, scilicet Christum verum Deum & verum hominem, splendidissimumque solem iustitiæ, euertit per eum domum, id est Iudaicum populum, & inter legem quæsiuit diligenter omnem sanctificationem quæ fuit in saluatione, in qua instituit nouam sanctificationem, & sic inuenit dragmam suam, hominem scilicet quem perdiderat. Tunc conuocauit amicas, id est sæculares iustitias & vicinas id est spirituales virtutes dicens: Congratulamini mihi laudabiliter & congaudenter & ædificate cœlestem Hierusalem ex viuis lapidibus, quia hominem inueni, qui perierat deceptione diaboli.

Latitudo quinquaginta cubitorum.

22 Sed vt vides quod latitudo huius ædificij est quinquaginta cubitorum, hoc est quod omnis latitudo vitiorum hominum, qui in opere Dei ædificare debuerunt, magis tamen concupiscentias suas sequentium quam opus Dei colentium, in diffusis quinque vulneribus filij mei quæ in cruce passus est, misericorditer abstergitur & remittitur: ita quod vulnera manuum eius opera manuum inobedientiæ Adæ & Euæ deleuerunt: & vulnera pedum eius liberauerunt itinera humani exilij: & vulnus lateris eius de quo orta est Ecclesia, deleuit culpam Adæ & Euæ, quoniam de latere Adæ Eua creata est. Vnde & filius meus in ligno fixus est, vt ea aboleret quæ per lignum præuaricatio facta est: atque aceto & felle potatus, vt gustus pomi noxialis dilueretur.

Altitudo quinque cubitorũ.

23 Et altitudo eius est quinque cubitorum, qui est excellentia diuinarum scientiarum in scripturis quæ propter opus Dei sunt in quinque sensibus qui sunt in homine, quos inspirauit Spiritus sanctus ad vtilitatem hominum: quia homo cum quinque sensibus suis respicit ad altitudinem diuinitatis, discernens vnumquodque, bonum scilicet & malum.

Duo parietes vnius longitudinis.

24 Vnde & eius duo parietes in vtroque latere ipsius sunt vnius longitudinis, quoniam in ædificio bonitatis Dei quasi in duobus parietibus animæ & corporis vtriusque lateris, prosperi scilicet & aduersi, hominem constantissime oportet laborare. Quomodo? Vt deuitet malum & operetur bonum. Quomodo? Quia profunda & incomprehensibilis diuina potestas instituit hominem, vt totis viribus suis & toto sensu suo colat Deum æquali deuotione in longitudine intelligibilis rationalitatis: quoniam dignum est vt creator omnium, ante omnia, & super omnia dignissime colatur Deus.

Alij duo vnius latitudinis.

25 Quapropter & alij eius duo parietes in fronte & in fine eius, vnius sunt latitudinis, quoniam in opere Dei sapientia & discretio sunt velut duo parietes, videlicet sapientia quasi in superiori & discretio quasi in inferiori parte: quas Deus aspirat æquo & iusto dono suo in magnitudinem latitudinis humanæ mentis, ad cognoscendum se.

Propugnacula parietibus eminentia.

26 Sed quod quatuor illi parietes vbique in circuitu ipsius ædificij æqualis sunt altitudinis exceptis propugnaculis eius quæ aliquantulum eminent altitudinem ipsius, hoc quod homo in quatuor elementis positus, vbique fidem Catholicam per bonitatem patris æquali deuotione & cultura in alto habebit, Filium cum Patre & Spiritu sancto, videlicet colens, qui omnia opera sua operatur in ipsis. Quomodo? Omne opus quod filius Dei operatus est & operatur, hoc perficit per bonitatem Patris in Spiritu sancto. Quid hoc? Quoniam secundum voluntatem patris erat filius redimens hominem per incarnationem suam, quæ est magna bonitas: quia pater sic ordinauit vt Filius eius nasceretur ex virgine de Spiritu sancto conceptus, humanitatem assumens propter amorem hominis, vt eum reduceret in restaurationem vitæ: quatenus homo cum Deo partem haberet, cum qua intraret in saluationem per ipsum in recta & Catholica fide, in qua Pater & Filius & Spiritus sanctus cognosci debet, vnus & verus Deus.

27 Sed & ibi sunt propugnacula præstantioris altitudinis. Quomodo? Quia cum homo respicit in culmen bonæ mentis, tunc ædificat altitudinem murorum fidelium, in virtutibus operis Dei ascendens super intelligibilem fidem, Deum videlicet sciens esse in potentia diuinitatis suæ: super quam fidem deinde construit altiorem staturam virtutum, præstantissimorum propugnaculorum. Quomodo? Nam ædificat altiores virtutes, sibi non sufficiens vt solummodo fidem habeat in Deum, sed ascendit in virentem palmam, quod est de virtute in virtutem quibus exaltata & decorata est rectissima fides quasi ciuitas propugnaculis.

Latitudo in vertice orientalis anguli.

28 Quod vero latitudo, inter ipsum ædificium & splendorem ex prædicto circulo se in profundum abysi extendentem, est in vertice orientalis anguli vnius palmi, hoc est quod amplitudo supernorum secretorum est inter opus filij Dei quod demonstrauit quasi ædificium, conuersatus sine peccato corporaliter in sæculo, scilicet faciens virtutes multas in bonitate patris & inter potestatem patris quasi splendorem in maxima virtute sua se in inferiora & in superiora extendentem: cum filium suum misit in mundum in capite scilicet anguli qui respicit ad orientem, hoc est, in iustitia quæ primum præsignata est in Noë per admonitionem Spiritus sancti præfigurantem perfectam illam iustitiam, quæ declarata est in incarnatione filij Dei: ita quod in his secretis erat quasi spacium vnius staturæ vt extenta manus est à pollice vsque ad alios digitos, quod est ordinatum tempus in paternis visceribus quando vnigenitum suum mittere voluit in manu fortissima, vt ipse ita circuiret cum omnibus articulis digitorum qui sunt omnia opera eius in Spiritu sancto vt perficeret voluntatem patris sui passus in cruce propter miseram ac contemptibilem inobedientiam, quam diabolus primo homini instillauit in sua suggestione: cum propter hoc ad redimendum hominem misericordia Dei se inclinauit ad terram: per humanitatem filij Dei incomprehensibili altitudine diuinitatis.

Sed

Latitudo incomprehensibilis.

29 Sed quod alibi id est in septentrionali & in occidentali atque in meridiana parte, tanta vndique est latitudo inter ædificium & splendorem vt eius amplitudinem nullo modo comprehendere possis, hoc est quod nullus hominum mortali corpore grauatus poterit scire elationem mali in visceribus aquilonaris diaboli, nec finitum eius in operante creatura in occasu cadentis hominis, nec initium aut finem ardentis meridiei quod est supernæ iustitiæ, nec considerare quomodo hæc dilatata & discreta sint inter opus & potestatem scientiæ meę in omnibus populis, scilicet aut in electis aut in reprobis, qui omnes positi sunt in æquisima perscrutatione, ita quod acutisima & diligentisima districtione examinabuntur in præceptis meis: cum tamen ipsi omnes accurate debent confidere, quod eos pasco in omnibus necessitatibus suis: quia hæc omnia in secretis meis ita occultata sunt, quod amplitudinem profunditatis eorum, nec sensus aut intellectus hominis vllo modo comprehendere vel intelligere valeat, nisi quantum permissione mea conceditur. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet hic in ardente amore speculi mei, ad verbá hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO TERTIA.

POST hæc vidi & ecce quasi in medio longitudinis prædictæ lucidæ partis muri designati ædificij stabat velut turris ferrei coloris ipsi muro exterius impositа, latitudinis quatuor cubitorum & altitudinis septem cubitorum in qua conspexi quinque imagines singulariter stantes in singulo quoque arcu desuper quasi turritum conum habentes, quarum prima respiciebat ad orientem, secunda autem ad aquilonem, tertia vero ad septentrionem, & quarta ad columnam verbi Dei, in cuius radice Abraham Patriarcha residebat: ac quinta ad turrim Ecclesiæ & ad illos homines qui in ipso ædificio huc & illuc discurrebant. Similitudo autem vna erat eis in hoc, singulæ earum vestitæ erant solummodo quasi singulis vestibus sericinis & calceatæ calceamentis candidis excepta quinta quæ omni ex parte armata videbatur. Secunda vero & tertia nudo erant capite, dissoluta coma & candida carentes amictu palliorum: prima autem & tertia ac quarta indutæ erant tunicis candidis. Sed dissimilitudo ex hoc erat eis. Prima imago gestabat in capite suo Pontificalem infulam, sparsis capillis & albis, induta quasi pallio albo, inferius in duabus oris eius purpura contexto. In dextera vero gerebat lilia & alios flores, in sinistra autem palmam. Et dixit: O dulcis vita & ô dulcis amplexio æternæ vitæ & ô beata fœlicitas in qua sunt ęterna prędmia, quæ semper es in veris delitiis, ita tamen quod nunquam possum impleri, nunquam satiari interiori lętitia quę est in Deo meo. Secunda autem induta erat purpurea tunica, stans vt adolescens qui nondum est ad plenum virilis ætatis, sed tamen magnæ grauitatis. Et dicebat: Me non terrebit horribilis inimicus qui est diabolus, nec inimicus homo, nec hoc sæculum in disciplina Dei, cuius conspectui semper assisto. Tertia vero tegebat faciem suam alba manica dexterę manus suæ. Et aiebat: O spurcitia & ô immunditia huius sæculi, abscondite vos & fugite ab oculis meis, quia dilectus meus natus est de pura virgine Maria. Quarta autem erat velata capite albo velamine more muliebri, & circumamicta pallio crocei coloris. In pectore vero suo gerebat imaginem IESV CHRISTI, circa quam in pectore suo scriptum erat: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Et dicebat: Porrigo manus semper ad peregrinos & egenos ac ad pauperes & debiles, atque ad gementes. Quinta porro armata erat galea superposita capiti suo, induta quoque lorica & ocreis, atque ferreis chirothecis ferens etiam in sinistra sua clypeum ab humeris pendentem, accincta quoque gladio & hastam manu dextera tenens. Sub pedibus autem eius iacebat quasi leo hians ore, lingua extensa ex ore eius, & etiam velut quidam homines, quorum alij tubis resonabant, alij quibusdā instrumentis ludicris ioculariter concrepabant, & alij diuersis ludis ludebant, quos imago illa simul & ipsum leonem pedibus suis conculcans, hasta quam dextera tenebat acriter transfodiebat. Et dixit: Vinco fortem diabolum & te odium & inuidiam, atque te ô spurcicia cum ludentibus fallaci deceptione. Sed intra illud ædificium vidi duas alias imagines versus hanc eandem turrim stantes, quarum prior apparebat stans supra pauimentum ipsius ædificij, quasi in arcu ignei splendoris diuersis imaginibus malignorum spirituum interius depicto, & contra prædictam turrim posito: altera vero ipsi arcui exterius tantum collateralis in nullo arcu consistens, ambæ videlicet interdum ad prædictam turrim aspicientes, & interdum ad homines ædificium intrantes & exeuntes. Vestitæ autem erant etiam ipsæ sericinis vestibus & velatæ in ligatura capitis albo velamine more fœmineo, non circumamictæ palliis, indutæ vero calceamentis albis. Sed prior earum habebat in capite suo quasi triangularem coronam rubentem, vt rubeus hyacinthus rubet in colore suo, induta quoque tunica niuea cuius implicamenta erant viridi colore vbiq; distincta. Et ait: Vinco in oriente cū fortissimo filio Dei, qui exiuit à patre veniens in mundum pro redemptione hominum, & qui iterum rediit ad patrem, cum in maxima ærumna moriens in cruce resurgensque à mortuis ascendit in cœlum: ideoque nolo confundi, fugiendo miserias & dolores huius sæculi. Altera vero induta erat tunica alba sed aliquantulum pallidi coloris. Et in dextero brachio suo portabat crucem cum imagine saluatoris IESV CHRISTI caput suum inclinans super illam. Et dicebat: Hic infans pertulit multas miserias in hoc sæculo, & idcirco volo semper plorare & habere mœrorem propter gaudium æternæ vitæ, in quam bonæ oues adducendæ sunt per nobilem filium Dei. Et vidi quod omnes prædictæ imagines singula verba sua per mysterium Dei dicebant ad admonitionem hominum.

Tunc iterum sedens in throno qui mihi hæc omnia ostendebat, dixit mihi: Per fortitudinem & constantiam voluntatis Dei, diuinæ virtutes in veteri testamento celeriter pullulabant: sed ibi se velut in ignorantia colentibus nondum plene suauem & dulcem gustum præbebant, quia tunc tantum austeritas legis delinquentes acriter corripiebat: postmodum autem per gratiam Dei in noua lege plurimum fructum proferentes, fortem & perfectum cibum & in amore cœlestium esurientibus cum summa dulcedine exhibebant, cum prius vt dictum est quædam occulta ostensio & signum futurorum essent, secundum quod etiam spectaculum hoc cum appositionibus suis demonstrat.

Quid turris in longitudine muri.

2 Nam hæc turris quam vides quasi in medio longitudinis prædictæ lucidæ partis muri designati ædificij stantem, habet typum præcursus voluntatis Dei: quæ in circumcisione multis modis & diuersis significationibus manifestata est, ita quod Deus in signum eiusdem circumcisionis demonstrauit legem, & per legem gratiam Euangelij: quoniam fide propalata in fideli Abraham, surrexit in ipso etiam circumcisio in mysterio veræ præfigurationis: quia per diuinam potentiam instruxerunt se fortes virtutes incipientes in Abraham quasi in medio longitudinis specularium scientiæ duarum humanæ optionis viarum sub munitione firmissimæ bonitatis superni patris, cum postmodum apertæ futuræ erant per voluntatem Dei, illud in figura præsignantes quod Deus facere voluit priusquam hoc manifeste ostenderet in opere. Quæ ferrei coloris est, ipsique muro exterius imposita, quæ est iustitia Dei fortis & inuincibilis, se in ipsa speculatiua scientia quasi exterius ostendens per circumcisionem quæ se foris carnaliter formauit posita cum beatis virtutibus in spiritualibus spiritualis muri, quem constituit Deus in hominibus.

Qua latitudo turris.

3 Et eadem turris est latitudinis quatuor cubitorum, quia per voluntatem Dei ipsæ virtutes operantur in homine, posito sub extensione quatuor elementorum, cum quibus vegetatur corporaliter in corpore: & altitudinis septem cubitorum, quia in altitudine septem donorum Spiritus sancti tanta firmitas est, vt se ipsa turris ita erigeret, quod ex ea prodiret Ecclesia in incarnatione filij mei, præfigurata in circumcisione veteris testamenti.

Qua altitudo.

Quid imagines quinque.

4 Quod autem conspicis in ea quinque imagines singulariter stantes, in singulo quoque arcu desuper quasi turritum conum habentes, hoc est quod in turri hac id est in fortitudine circumcisionis pendebant quinque fortes virtutes, non quod vlla virtus sit viuens forma in seipsa, sed solummodo prælucida sphæra à Deo fulgens in opem hominis: quia homo perficitur cum virtutibus, quoniam ipsæ sunt opus operantis hominis in Deo. Vnde ipsæ quinque virtutes ad similitudinem quinque sensuum hominis in hac turri positæ sunt, quia multo zelo tangebant circumcisionem, abscindentes ab ea iniquitatem, vt quinque sensus hominis, in Ecclesia circumciduntur per sacratissimum baptisma: sed tamen in hominibus non operantes per seipsas, quia homo cum illis operatur, & ipsæ cum homine: sicut etiam quinque sensus hominis non operantur per se, sed homo cum illis & ipsi cum homine, ita inuicem fructum facientes. Et sunt singulariter, maximo studio desudantes in singulari scilicet statura magisterij turritum apicem habente, id est præcellentem & bene compositam dignitatem validissimæ constantiæ. Et prima imago respicit ad orientem, quia virtus illa prospexit ad filium Dei planctu amoris, vt quandoque veniret, hoc aperte loquens de æterna vita quam circumcisio habuit in abscondito. Secunda autem imago videt ad aquilonem, quoniam ipsa considerauit partem orientis & partem aquilonis, in magna disciplina aspiciens ad Deum quasi ad orientem, dedignando inconuenientiam indisciplinatæ lasciuiæ, scilicet quod Deus non habebatur in veneratione, despiciendoque quod lex Dei digne non habebatur in populo illo, quasi in aquilone. Tertia vero tendit ad septentrionem, quia fortissime illa prosternit superfluam fornicationem, despiciendo eam, & seipsam ab illa protegendo legali institutione. Quarta autem imago, vertitur ad columnam verbi Dei: in cuius radice Abraham Patriarcha residet, quoniam ipsa versa fuit adhærens in incarnatione filij Dei: quam velut in fundamento Abraham tetigit, cum præsignificatione miræ profunditatis, ariete pendente in spinis. Quinta vero respicit ad turrim Ecclesiæ, & ad illos homines qui in ipso ædificio huc & illuc discurrunt, quia illa erexit se victoriose destruere omnem iniustitiam quæ orta est in Adam, respiciens ad fortitudinem Catholicæ Ecclesiæ, vt victoriose & sine intermissione pugnet contra vitia diaboli, & ad homines qui in ea diuersa varietate morum discurrunt, ostendens eis in pertimescendo zelo Dei vt oues iustitiæ esse perseuerent.

Cur omnium vna similitudo.

5 Quod autem similitudo vna est in eis, hoc est quod pari deuotione Deum colunt in operibus hominum. Nam singulæ earum, vestitæ sunt solummodo quasi singulis vestibus sericinis, quia vnaquæque earundem virtutum, habet in se dulcedinem & suauitatem quibus nullatenus grauant nec constringunt homines: sed vt suauiter ballamum sudat de frutice suo, sic molliter operantur dulcedinem cœlestis regni in humanis mentibus sine sorde & duritia iniustitiæ. Et sunt calceatæ calceamentis albis, quoniam recte sequuntur iustitiam meam in albedine cœlestis regni, transeundo, subiectionem diaboli, & omnino conculcantes vestigia eius in hominibus. Sed quinta virtus ex omni parte armata videtur, quia ipsa prospicit ad Ecclesiam, in qua fortissimæ pugnæ aduersus diabolica vitia perficiuntur, extendens in ea vbique victoriam suam, cum pretiosissima armatura quæ est inuictissima fortitudo Dei: quę pertranseundo occidit omnem iniustitiam, in confusione diabolicæ fraudis. Quod vero secunda & tertia sunt nudo capite, dissoluta coma & alba, hoc est quod nullum supplicium laboris,

nec

nec onus diuitiarum aut concupiscentiæ sibi imponunt pro amore meo : sed nudo capite, id est aperta conscientia sua aperiunt mihi omne occultum suum, ardentes semper in dilectione mea, cum omnem confusionem & lasciuiam concupiscentiæ carnis à se abiiciunt : hoc incipientes in albis crinibus, quod est claritas mentis, bona opera desiderantis. Et carent amictu palliorum, quoniam à se proiiciunt mores paganorum, cum impudicitia & spurcitia diaboli & cum omnibus curis sæcularibus : quia sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Prima quoque & tertia ac quarta indutæ sunt tunicis albis, quod est apprehensio innocentiæ præfigurantis incarnationem filij Dei mei cum suauitate castitatis : qui morti substraxit hominem, induens eum vita in saluatione. Quod autem dissimilitudo est eis, hoc est quod vis earum vicissim est in dono Spiritus sancti, cum virtus hæc habet hoc instrumentum animæ, & virtus alia aliud : vnum tamen studium existentes in Deo, ita quod cœlestis Hierusalem perfecte construatur cum eis quia ipsæ sunt opus quod homines operantur, per quod ad Deum perueniunt.

Quid prima imago

6 Vnde hæc prima imago designat cœlestem amorem, quia ipse præ animi cura inesse debet hominibus : gestans in capite suo Pontificalem infulam sparsis capillis & albis, quia valde coronata est in summo sacerdote IESV CHRISTO, & in summis sacerdotibus veteris testamenti : & in illis qui eidem filio Dei dixerunt, vtinam disrumperes cœlos & descenderes : stans denudatis capillis sine muliebri velamine capitis in albedine apparentibus, præfigurans in eis quod sacerdotale officium denudandum esset coniugali officio in aduentu filij mei, ipsius qui imitandus est à sacerdotibus suis in castitate propter saluationem : quia ipsi perfectissimo cœlesti amore sic semper adhærere debent, vt excutiant prauos mores hominum, à contagione peccati, clara & candida pars existentes in spirituali dono Dei. Quæ etiam induta est quasi pallio albo : inferius in duabus oris ipsius purpura contexto, hoc est quod eam circumdedit gratia Dei in albedine lenitatis, subnixa & ornata in finibus protectionum suarum cum decoris ornamentis charitatis : quia comprehensio diuinæ gratiæ inesse debet termino vniuscuiusque boni operis, constans in duabus partibus videlicet in virtute dilectionis Dei & hominis. Quod vero in dextera sua habet lilia & alios flores, hoc est quod in bono opere habet candida præmia liliorum æternæ vitæ, & claritatem æterni luminis, & alios sanctitatis flosculos qui sunt sodales sui, qui se illi coniungunt cœlesti amore. Sed quod in sinistra sua gestat palmam, hoc est quod ipsa in recordatione mortis habet palmam ascendentem de occulto beatæ virtutis : cum qua mortem quasi torrentibus lapidibus obruit, vt etiam declarat in verbis suis ad filios Dei, vt supra dictum est.

Quid secunda.

7 Secunda autem, prætendit disciplinam, quoniam post ardentem cœlestis vitæ amorem oritur constrictio carnalium concupiscentiarum in disciplina magnæ contritionis. Quæ induta est purpurea tunica, quia circumdata est lege mea & mortificatione carnis in hominibus : quod est exemplum filij mei in purpureo indumento, vt idem filius meus ex purissima virgine natus est in charitate, quæ omnimodo operata est in ipso. Constat etiam vt adolescens qui nondum est ad plenum virilis ætatis, sed tamen magnæ grauitatis, quoniam disciplina semper est in puerili timore, vt puer est in constrictione timens magistrum suum sub magistratione. Vnde & ego omnipotens, semper magister fum disciplinæ, quia ipsa erga me est quasi non virilis : quoniam non vult esse potens in officio propriæ voluntatis suæ, sed semper fideliter timere in magna districtione reuerentiæ, sicut etiam manifestissime ostendit in supradictis verbis suis.

Quid tertia.

8 Tertia vero declarat verecundiam, quoniam post disciplinam surgit pudor verecundiæ, à se fugans confusionem peccati. Quapropter tegit etiam faciem suam alba manica dextræ manus suæ, quia protegit interiorem conscientiam suam quasi faciem animæ, fugiens à fornicatione & à pollutione diabolica, se defendens candida veste innocentiæ & castitatis : eam habens in dextera, quod est in saluatione operis sui, quoniam ipsi potenter adhærent contemptus omnis spurcitiæ sathanæ, quam omnimodo abiicit à se, vt etiam declarat in prædictis verbis suis monitionis suæ.

Quid quarta.

9 Quarta autem significat misericordiam, quia post verecundiam eleuat se ad egentes virtus misericordiæ, quia etiam in corde æterni patris est vera misericordia gratiæ eius : quoniam ipse per eam hoc ordinauit in antiquo consilio suo quod primum ostendit misericorditer Abraham in circumcisione, educens eum de terra eius & præcipiens ei vt circumcideretur ipse & genus suum : quando illi demonstrauit magna mirabilia in vera trinitate, per quæ & filium suum prænunciauerat in figura : quod totum est illa misericordia quam idem Abraham præsignauit offerens Isaac. Et est velato capite ex albo velamine capitis more muliebri, quod est tegmen & initium saluationis, quasi caput miserantis perditas animas de exilio mortis reducentis sub candore pii velaminis : quoniam albas facit animas & hominem fulgentem, dum coopertus fuerit cum misericordia à Deo : quia illis hominibus qui Deum in indignatione habent dum adhuc in peccatis sunt, his fulget post illatam eis cœlitus misericordiam, vt radius solis in blanda suauitate : quoniam misericordia in muliebri persona fœcundissima mater est animarum de perditione. Nam vt mulier operit caput suum, ita deprimit misericordia mortem animarum. Et sicut mulier suauior est viro, sic & misericordia suauior vesana insania criminum in insania peccatoris priusquam cor eius visitetur à Deo, sicut & eadem virtus in muliebri forma apparet : quoniam in fœminea castitate clausa virginea materia surrexit in ventre Mariæ suauissima misericordia, quæ semper erat

obumbrata in Patre, donec Pater eam visibilem ostendit per Spiritum sanctum in vtero virginis. Et circumamicta est pallio crocei coloris, quia circumdata est splendidissimo sole quod est signum filij mei fulgentis de cœlo in mundum, sicut solis splendor in terram: quoniam idem filius meus verus est sol illuminans mundum cum sanctificatione Ecclesiæ. Quod vero in pectore suo habet imaginem ipsius vnigeniti mei, hoc est quod in pectus misericordiæ inclinaui eundem filium meum, dum eum misi in vterum Mariæ virginis. Vnde & circa eam in pectore virtutis eius scriptum est: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Quid hoc? Quia vbique in circumeunte potestate mea demonstratur in secreto scientiæ pectoris misericordię, quod filius meus vera misericordia est. Quomodo? vt prædictum est in verbis Zachariæ serui mei in Euangelio dicentis: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Hoc tale est. Per viscera paternæ misericordiæ saluatio est: quia absconditum in corde patris erat, vt viscera manent in homine, quod filius eius in fine temporum incarnaretur vbi visitauit Deus homines. Quomodo? Cœlesti scilicet pane qui filius eius est natus in carne ex Maria virgine: qui veniens ex lato, id est de corde patris exiens, præbuit maximam quærentibus se misericordiam: sicut etiam ipsa virtus in supradictis verbis suis filios Dei alloquitur.

Quidimago quinta

10 Quinta vero imago præfigurat victoriam, quoniam post misericordiam quam ostendi in circumcisione filium meum volens mittere in mundum, erexit se victoria in eadem circumcisione, ita procedens cum maiore virtute vsque ad filium meum, atque cum ipso in nouissimum diem. Nam in filio meo superaui antiquum serpentem, qui super caput suum extulit se, humanũ genus rapiens per mille nequitias, quibus illud comprehendit quasi in catena sua: quia illas nequitias vnigenitus meus deuicit per omnia bellicosa arma quę surrexerunt in incarnatione eius qui est flos omniũ virtutum. Quid hoc? Post misericordiam surgit victoria cum seipsum homo deuincit & aliena vitia. Quomodo? In prędictis vitiis quinque virtutibus: primus est amor cœlestis, scilicet in hoc quod homo scit & agnoscit Deum, diligens eum super omnia. Deinde causa illius fidei ligatur idem homo in legem disciplinæ, de qua ipse compescit crimina peccandi per bonam & rectam verecundiam. In his ergo tribus virib. iustificabitur homo in corde suo, sic inspiciens aliam rem quæ est angustia proximi sui quę procurabit in omnibus necessitatibus eius vt se. Vnde & mox surgit homo fortissimus miles cum his tribus viribus in quibus perfectus est in mente sua imitando in misericordia filium meum verum Samaritanum sic in victoria pertransiens vires diaboli cum armis victoriosissimarum virtutum, cum seipsum vincit & proximum suum regit, in ipsis virtutibus occidens omne malum, abiiciendo videlicet superbiam quæ Adam expulit de paradiso. Et eadem virtus armata est galea superposita capiti suo: quia homo pleno cœlesti desiderio ad Deum qui est caput omnium suspirare debet vt salutem consequatur æternam. Induta est quoque lorica, vt homo resistat diaboli constringens iniustam voluntatem carnalium desideriorum suorum, in vero timore & cum iusto tremore subiectus Deo: fideliter metuens districtum iudicium eius vt per me commonitus dicit Dauid: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est & contremuit terra.* Hoc tale est. Effulserunt mirabilia & secreta tua ô Domine cunctorum, & mirifice apparuerunt. Quomodo? Vt coruscatio quæ ex parte videtur & ex parte occultatur, quoniam mysteria tua nunc intelliguntur nunc autem nesciuntur. Nam non est gens diffusa in latitudine totius orbis qui in tua voluntate mirabiliter creatus est, quin ad eam nomen gloriæ tuæ & potentia maiestatis tuæ diuersis modis & admirandis signis mirifice peruenerit, etiam si eam lumen fidei & veritatis nedum perfecte ad salutem sui illustrauerit. Quapropter homo in magnis suspiriis commotus auertit se à voluntate sua, deseritque concupiscentias suas tremendo videlicet supernum iudicium, quia ipse prius in terrenis actibus ambulans suiipsius imprudenter oblitus erat, cum nunc sapienter redit ad se. Est etiam præfata virtus induta ocreis, vt recta via sibi denunciata effugiat itinera mortis, per castigationem corporalem. Induta est & ferreis chirothecis, quatenus effugiat opera diaboli per circumcisionem mentis, & per rectissimam fidem: ita vt in Deum credat, sic euadens laqueos truculentissimi inimici. Habet etiam in sinistra sua clypeum ab humeris pendentem, quoniam in sinistra parte quę est diabolica pugna contra hominem, circumdata ex gratia fortissimorum præceptorum Dei: quibus homo tanta fidei fortitudine circumdetur & defendatur, ne diabolus eum corrumpat suasionibus suis, & ne ipse homo se subiiciat vitiis illius protectione Dei: ab humeris circumdatus, quoniam gratia Dei adhæret rectæ fortitudini animæ ad Deum in ligatura dilectionis Dei & proximi. Et accincta est gladio, qua homo debet se constringere castigatione corporis, in austeritate sermonis Dei, & à se & ab aliis abscindens iniquitatem. Hastam quoque manu dextera tenet, quod est vt homo cum fiducia sit audax in Deo superare omnem sapientiam diaboli: hoc faciens cum fortissima pace Domini quę vera iustitia est contra nequissimum certamen diaboli & hominis, quod difficile debellari potest nisi adiutorio Dei. Quod autem sub pedibus eius iacet quasi leo hians ore, hoc est diabolus quem victoria pedibus recti itineris vitæ & veritatis prostrauit, cum idem sathanas acerrima, & amarissima crudelitate hians deglutiret genus humanum. Lingua vero extensa ex ore eius, est existimatio ipsius qua terribili iniquitate putabat omne genus hominum ab Adam procreatum omnino deuorare. Et quod etiam sub pedibus eius iacent velut quidam homines, hi sunt sub agilitate eius torpentes fistulæ diaboli, quæ se flectunt ad initium omnis mali: quas ipsa protexit in zelo Dei recte procedens in iustitia, quia eædem peruersæ

ma-

machinationes in diuersis moribus se subdũt diabolo illi famulantes. Quorum allij tubis resonant, quoniam bacchantur sonitu omnium malorum, & insaniunt elati flagrante mente odio habentes iustitiam Dei, genus scilicet super genus hoc faciens in magna superbia Et alij quibusdam instrumentis ludicris ioculariter concrepant, quia fallaces sunt in illusionibus phantasticis ad diabolum pertinentibus, & quoniam pertinaces sunt in tortuosa lasciuia elationis inuidentis disciplinæ Dei. Alij quoque diuersis ludis ludunt, quoniam versantur in diuersitate & spurcitia vitiorum, quæ secundum libitum voluntatis suæ excogitantes in seipsis per insidias diabolicas adimplent. Et hos omnes eadem imago simul & ipsum leonem pedibus suis conculcat, quia nimio zelo omnes has vanitates artium propellit & suasiones sathanæ conterit in iustitia Dei. Sed & hasta quam dextera tenet eos acriter transfodit, quoniam per fiduciam & audaciam ad Deum fortissime transfigit superando & vulnerando in doloribus omnes has immunditias: quia à Deo deluduntur & ad nihilum deputantur, vt ipsa etiam in prædictis verbis admonitionis suæ demonstrat.

Quid alia dua imagines.

11 Sed quod intra ipsum ædificium vides duas alias imagines versus hanc eandem turrim stantes, hoc est quod intra opus illud quod cœlestis pater operatus est per filium suum, palam eum ostendens in aperto opere qui in circumcisione ostensus est, in obumbratione duæ virtutes surrexerunt quod est exemplum Christi in vna & sequi vestigia eius, in altera obuiam præcursui voluntatis Dei maxima fortitudine & reuerentia apparentes, quia in seipsis declarant fructum qui præfiguratus est in circumcisione. Et prior earum apparet stans supra pauimentum ipsius ædificij quasi in arcu ignei splendoris diuersis imaginibus malignorum spirituum interius depicto, & contra prædictam turrim posito, quia eadem virtus perficitur in terrenis rebus eas conculcando in bonitate patris, cum diligenter pertransit desideria carnis in exemplo filij Dei. Quomodo? Quia in multa tolerantia pertransit aduersa mundi fortiter examinata & excribrata in arcu, id est in excellentia sæcularis potestatis, quæ ignea est in terroræ detrahentis superbiæ quam diabolica turba subsequitur, interiora animæ sæcularium desideria carnalia diligentium attrahens suæ voluntati: cum etiam idem arcus per terrenam potentiam in multis modis interdũ opponat se iustitię, repugnans vero testamento quod ædificatum est in Deo, quæ tamen omnia superat victrix virtus per adiutorium Dei in bonis hominibus quamuis multum impugnentur & fatigentur ab insidiis malignorum. Altera vero ipsi arcui exterius tantum collateralis in nullo arcu consistit, quoniam cum prior virtus tumidam potestatem patienter deuincit quæ ipsi multas pœnas intulit, procedit virtus hæc foris eandem potentiam: quia de pœnis quas illa pertulit, hæc quasi extra eandem potestatem orta est rabiem eius effugiens: sed tandem iuxta eam, quod est recordatio ærumnarum vnde originem duxit: sine depressione arcus consistens, quoniam libera est à potestate huius sæculi, palam crucem Christi baiulans. Quod autem ambę interdum ad præfatam turrim aspiciunt, hoc est quod ipsæ sunt plenum opus præfiguratum in præcursu voluntatis Dei, in circũcisione veteris testamenti, considerantes initium radicis suæ: maiores tamen eodem initio suo quod in circumcisione habuerunt existentes, quia fulgens opus præcellit inceptionem doctrinæ: interdum etiam aspicientes ad homines idem ædificium intrantes & exeuntes, quod est admonitio earum in Spiritu sancto ad populos qui ad Deum in via legis iustitiæ ambulant, & ad illos qui sunt in criminibus diaboli volentes recedere de via iusta: vnde exhortantur ab eis, vt eas in bono imitentur.

Cur serico vestita.

12 Vestitæ sunt etiam ipsæ sericinis vestibus, quia habent suauitatem illam, vt homo non grauetur in indignatione laboris persecutionum. Et sunt velatæ in ligatura capitis albo velamine more fœmineo, quoniam iustum est vt homo subiectus sit Deo capiti suo, ipsum menti suæ iugiter circumponens in candore dilectionis: ita vt eum in gaudio & lætitia amplectatur, sicut mulier virum suum habet in honore timoris & amoris vt constituit Deus. Sed non sunt circumamictæ palliis, quia carent omni solicitudine sæculari se tantum declinantes post illa quæ sunt æterna in Deo in vita futura. Indutæ sunt autem calceamentis albis quoniam lucent in itineribus iustitiæ per albedinem fidei in mentibus hominum, vt & ipsi sequantur vestigia exempli earum.

Quid prior designat.

13 Prior autem imago designat patientiam, quia illa surrexit in cornu Abrahæ, quod est in inceptione obediendi cum obediendo Deo in circumcisione primum sonum obedientiæ post casum Adę significauerit præcurrentem operantem obedientiam in vero verbo, quod est in filio Dei, vt sonus verbum præcurrit: in septentrionali parte, videlicet oppositā nequitiis & inquietudini antiqui serpentis. Et habet in capite suo quasi triangularem coronam rubentem, vt rubeus hyacinthus rubet in colore suo, quoniam in principio mentis fidelium hominum per fidem sanctæ trinitatis valde coronata est: qui carnem suam contemnentes pro amore Dei & vera fide sanguinem suum fundere non dubitant, quia & filius Dei apparens in carne, mortem deuicit cum rubore sanguinis sui per quem Ecclesia decorata est, quasi cum nobili rubente hyacintho in decore suo. Induta est quoque tunica alba cuius implicamenta sunt viridi colore vbique distincta, quia sibi induit vestimentum operis Dei in albedine perpetui luminis ornatum, scilicet in implicamentis suis: quæ sunt ærumnæ & gemitus dicentis: O quando veniam ad aspectum veri luminis? quod desiderium fœliciter in præsenti vita habetur in adobumbrato exemplo: per quod decorantur ipsæ aduersitates fidelium in viriditate animæ multis calamitatibus distinctæ, propter Deum in patientia hæc omnia sufferentes, vt etiam eadem virtus declarat in prædictis verbis suis.

Quid altera prætendit.

14 Altera vero imago prætendit gemitum: quoniam post patientiam contrariorũ, eleuat se in electis

ctis meis gemitus recordationis vitæ, surgens admonitione mea, vt de corde meo filium meum misi propter gemitum populi mei. Nam populus meus in veteri & in nouo testamento habebat & habet hanc recordationem mentis, quam gemitus comprehendentis in lamentabili ornamento suo, quoniam ipsa vera compunctio cordis est: Propter quod etiam stat in septentrionali plaga, vt repugnet dissolutæ immunditiæ diabolicarum insidiarum. Et induta est tunica alba, sed aliquantulum pallidi coloris, quia circumdata est bonis operibus in candore fidei: turbulentum tamen pallorem ostendentis, quoniam semper suspiria & fletus habet pro æterna fœlicitate. Quod autem in dextero brachio suo portat crucem cum imagine saluatoris caput suum inclinans super illud, hoc est quod in dextera, id est in recta parte fortis operis sui amplectitur passionem filij mei toto desiderio intentionis suæ anhelans, & se inclinans ad eum, imitando ipsum in doloribus & ærumnis: sicut etiam in supradictis verbis exhortationis suæ demonstrat. Vnde etiam vides quod omnes prædictæ imagines singula verba sua per mysterium Dei dicunt ad admonitionem hominum, quia in omnibus virtutibus dulcissima suauitate pietas Dei docet, exhortando mentes populorum vt dimittant malum, erigentes se ad bonum. Qui autem acutas, aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO QVARTA.

1 ET deinde vltra prędictam turrim pręcursus voluntatis Dei, sed cubito vno infra angulum qui respicit ad septentrionem, vidi quasi columnam calybei coloris præfatæ lucidæ parti muri eiusdem ædificij exterius appositam, valde terribilem aspectu, tantæque magnitudinis ac altitudinis vt mensuram eius nullo modo discernere possem. Et illa columna tres angulos habebat ab imo vsque ad summum quasi gladium acutos: quorum primus respiciebat ad orientem: secundus autem ad septentrionem: & tertius ad meridiem, exterius ipsi ædificio aliquantulum coniunctus. Ex angulo autem qui respiciebat ad orientem procedebant rami à radice vsque ad cacumen eius: iuxta cuius radicem vidi in primo ramo Abraham sedentem: in secundo vero Mosen: in tertio Iosue: ac deinde reliquos Patriarchas & Prophetas ita sursum singulos in singulis ramis ordinate sedentes, secundum tempus quo in hoc sæculo sibi inuicem successerant: qui se omnes conuertebant ad angulum eiusdem columnæ qui respiciebat ad septentrionem, admirantes ea quæ in spiritu futura viderunt in ipsa. Sed inter hos duos angulos vnum scilicet vergentem ad orientem & alterum ad septentrionē, erat ante facies ipsorum Patriarcharum & Prophetarum illa columna ab imo vsq; ad summū quasi tornatilis & rotunda, plenaq; rugarum, vt de arboris cortice solet germen pullulare. A secundo vero angulo respiciente ad septentrionem exiuit splendor miræ claritudinis se extendens & reflectens ad angulum qui respiciebat ad meridiem. Et in illo splendore in tam magnam latitudinem se diffundente, conspexi Apostolos, Martyres, Confessores & Virgines, atque alios plurimos sanctos, in magno gaudio ambulantes. Tertius vero angulus qui respiciebat ad meridiem, erat in medio latus & extentus, in imo autem & in summitate aliquantulum gracilior & constrictus, secundum modum arcus qui extenditur ad sagittas iaciendas. In cacumine autem ipsius columnæ vidi tantam claritatem luminis vt humana lingua effari non possit, in qua apparuit columba habens in ore suo radium aurei coloris, multo fulgore columnam illam irradiantem. Cumque illuc aspicerem audiui vocem de cœlo, magno terrore me redarguentem & dicentem: Quod vides, diuinum est. Ex qua voce ita contremui, vt amplius illuc aspicere non auderem. Vidi etiam tunc intra prædictum ædificium velut quandam imaginem coram hac eadem columna super pauimentum illius ædificij stantem, & aliquando ipsam columnam, aliquando etiam homines illos qui in ipso ædificio discurrebant inspicientem: illa autem imago tanti fulgoris & claritatis erat, vt præ nimio splendore qui in ipsa lucebat, nec faciem eius, nec vestimenta quibus induebatur considerare valerem: excepto quod tantum vt cæteræ virtutes in forma hominis apparuit. Et circa eam conspexi pulcherrimam multitudinem, angelicā formam & alas habentem & in tanta veneratione stantem, vt & eam timerent ac diligerent. Sed ante faciem eius vidi aliam multitudinem in humana forma, tenebrosa veste apparentem, atque in multa constrictione timoris stantem. Et prædicta imago inspexit homines illos qui de mundo venientes, in eodem ædificio noua veste induebantur, dicens vnicuique eorum: Considera indumentum quod induisti, & noli obliuisci creatoris tui qui te creauit. Cumque hæc admirarer, ille qui sedebat in throno, iterum mihi dicebat: Verbum Dei per quod omnia facta sunt, ipsum ante tempora ex corde patris genitum, sed post in fine temporum vt veteres sancti prædixerunt ex virgine incarnatum, quamuis humanitatem assumpserit, diuinitatem tamen non deseruit, sed cum Patre & Spiritu sancto vnus & verus Deus existens, mundum sua dulcedine dulcorauit, ac eum suæ claritatis fulgore illustrauit.

2 Quapropter & hæc columna quam vltra prædictam turrim præcursus voluntatis Dei vides, designat ineffabile mysterium verbi Dei: quia in vero verbo, id est in filio Dei, impleta est omnis iustitia noui & veteris testamenti: quæ fideliter credentibus hominibus enucleata sunt per diuinam inspirationem ad salutem ipsorum, cum idem filius superni patris ex suauissima virgine incarnari dignatus est: quia postquam per præcursum voluntatis Dei in initio circumcisionis se potentes virtutes ostenderunt, tunc etiam declaratū est in stricta iustitia mysterium verbi Dei, insi-

Quid columna vltra turrim.

insinuatum videlicet per sonum Patriarcharum & Prophetarũ: qui prædixerunt ipsum cum omni iustitia manifestandum, & cum omnibus administrationibus, Deo subiectis, atque cum maxima austeritate quæ tetigit incidentem iustitiam Dei, nullam iniustitiam dimittentem illæsam, quin abscindat eam in legalibus præceptis.

Cur infra angulum vno cubito.

3 Sed cubito vno infra angulum qui respicit ad septentrionẽ stantem, quod est in humano & singulari cursu præcellens vicinitas, quæ fuit de Patriarchis loquentibus strictam iustitiam eiusdem verbi Dei in significationibus suis, vsq; ad legem quasi in septẽtrionali parte diabolo repugnãtem.

Cur calybei coloris.

4 Vnde & calybei coloris est præfatæ lucidæ parti muri illius ædificij exterius appositæ, quia inuicta ac insuperabilis est fortitudo verbi Dei: cui nullus resistere valet per inanem rebellionẽ aut per vilem superbiam: ita quod etiam speculatiuæ scientiæ per munitiones & actiones iustitiæ, id est antiqui patres quasi exterius coniuncti erant, nondum infixi ignito & perfecto operi se in filio Dei erigenti: quod ipsi tantum in exteriore sono verborum suorum præmonstrabant.

Cur terribilis.

5 Est quoque valde terribilis aspectu, quoniam iustitia in verbo Dei metuenda est humanæ scientiæ in impio iudicio iniustorum iudicũ secundum seipsos solummodo iudicantium. Tantæ est etiam magnitudinis ac altitudinis, vt mensuram eius nullo modo discernere possis, quia ipsum verbum filius scilicet Dei in magnitudine gloriæ suæ, & in altitudine diuinitatis suæ omnes creaturas superexcellit in paterna maiestate, ita vt hoc nullus hominum in corruptibili carne perfecte possit considerare.

Quid tres anguli.

6 Quod autem eadem columna tres angulos habet ab imo vsque ad summum instar gladij acutos, hoc est quod circuiens & volubilis in gratia fortitudo verbi Dei quam vetus testamẽtum præsignauit in nouo declarandam manifestauit per Spiritum sanctum, tria incidentia acumina id est antiquam legem & nouam gratiam atq; enucleationẽ fidelium doctorum in quibus sanctus homo quod iustum est operatur, ab initio videlicet inceptionis suæ vt in imo cũ bonum incipit, ita sursum tendens ad perfectum quasi ad summum cum hoc consumat: quia omne quod iustum est, fuit & est, & permanet in æternum in simplicissima Deitate quæ omnia penetrat: ita quod nulla potestas potest constare in malitia sua quam vult deuincere pietatis eius gloria.

Quorsum quisque angulus respiciat.

7 Et primus angulus respicit ad orientẽ, qui est primus ortus inceptionis cognoscere Deũ in diuina lege, ante perfectum diem omnis iustitiæ. Secundus autem ad septentrionem, quoniam post inceptionem bonæ & institutæ operationis, Euangelium filij mei & alia præcepta in me patre surrexerunt contra partem aquilonis, vbi omnis iniustitia orta est. Tertius vero ad meridiem exterius ipsi ædificio aliquantulum coniunctus, qui est roboratis operibus iustitiæ profunda & ex quisita sapientia principalium magistrorum per calorem Spiritus sancti qui obscura in lege & Prophetis apparuerũt, & qui in Euãgeliis ostenderunt germen quod fructuosum secerunt ad intelligẽdum: tangentes exteriorem materiam scripturarum in opere bonitatis patris, & suauiter ruminantes in ea mysticam significationem.

Quid rami.

8 Quod autem ex angulo qui respicit ad orientẽ, procedunt rami à radice vsque ad cacumen eius, hoc est quod in ortu cognitionis Dei per legem iustitiæ, quasi in angulo orientali apparuerunt rami, tempore scilicet Patriarcharum & Prophetarum: quia illa acuta columna diuinitatis, hæc omnia extendit ab initio radicis, id est bonæ inceptionis in mentibus electorum suorum: vsque ad cacumen eius, quod est vsque ad manifestationem filij hominis, qui omnis iustitia est. Vnde etiam iuxta radicem eius vides in primo ramo Abraham sedentem, quia per omnia subeuntem diuinitatem expirabatur hoc tempus quod primitus ortum est in Abraham, cum quieta mente reliquit patriã suã obediẽs Deo. In secundo vero Mosen, quoniam deinde plantatio surrexit inspiratione Dei in initio datæ legis per ipsum Mosen in præfiguratione filii altissimi: & in tertio Iosue, quia ipse postmodum habuit spiritum hunc à Deo, vt consuetudinem legis Dei confirmaret robustiorem in præcepto diuino. Ac deinde vides reliquos Patriarchas & Prophetas ita sursum singulos in singulis ramis ordinate sedentes, secundum tempus quo in hoc sæculo sibi inuicem successerunt, quoniam in vnoquoq; tẽpore subsequentium Patriarcharum & Prophetarum inspirauit Deus desuper ad altitudinem præceptorum suorum vniuscuiusq; singulare germen: cum ipsi in diebus suis dispositè & ordinate in ostensa sibi iustitia quiescebant, diuinæ maiestati fideliter subiecti, vt in temporibus suis venientes erant.

Cur ad se ptentrionem se conuertunt.

9 Et hi omnes conuertunt se ad angulum columnæ qui respicit ad septentrionem, admirantes ea quæ in spiritu futura vident in ipsa: quia omnes admoniti spiritu, per Spiritum sanctum se verterunt & viderunt ad Euangelicam doctrinam fortitudinis filii Dei diabolo repugnantis, de incarnatione eius loquentes, & admirantes quod ipse veniens ex corde patris & de vtero virginis in magnis mirabilibus se ostendit in suo opere & sequentium qui ipsum in noua gratia mirabiliter imitantes caduca conculcabunt, & ad æternorum gaudia fortiter anhelabunt.

Quid columna tornatilis inter duos angulos.

10 Sed quod inter hos duos angulos (vnum scilicet vergentem ad orientem & alterum ad septentrionem) ante faciem ipsorum Patriarcharũ & Prophetarum est columna illa ab imo vsque ad summum quasi tornatilis & rotunda, plenaque rugarum vt de arboris cortice solet germen pullulare, hoc est quod inter binas summitates videlicet inter manifestatam cognitionem meam & subsequentem doctrinam filii mei, latuit per typum præfigurationis in animabus antiquorum patrum in legibus meis commorantiũ, vnicum verbum qui est filius meus à primo electo vsq; ad vltimum sanctum: in mystica coronatura circumornatus, quia ipse omnia instrumenta sua bene composuit ac limauit scilicet per nobilem gratiam omnibus se pium manifestans: vt

præfigurabatur in rugis circumcisionis, quæ fuit vmbra futurorum in appositis significationibus per austeritatem legis in se habentis rectissimam germen latens, summæ & sanctissimæ incarnationis.

Quid splẽdor se reflectens.

11 Quod vero à secundo angulo respiciente ad septentrionem exit splẽdor miræ claritatis se extendens ac reflectens ad angulum qui respicit ad meridiem, hoc est quod ab altero nouo scilicet testamento diabolo opposito, exeunt verba filij mei quæ egrediuntur de me & reuertuntur ad me: quia micãte sole in carne, qui est filius meus, fulget lumen sancti Euangelij in prædicatione eius, ab ipso & à discipulis eius se diffundens in fructum benedictionis, & se retorquens in fontem saluationis, sic perueniens vsque ad rectores videlicet ad profũdos scrutatores verborum veteris & noui testamenti: ostendentes quod sapiẽtia erecta est in ipso sole mundum illustrante, qui in suo latere valde ardet, velut meridies in electis suis.

12 Et in eodem splendore in tam magnam latitudinem se diffundente, conspicis Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, atque alios plurimos sanctos in magno gaudio deambulantes, quia in perspicuo lumine dum filius meus fuit prædicans & dilatans lumen veritatis, facti sunt Apostoli administratores veri luminis, & Martyres robusti milites sanguinem suum fideliter fundentes & Confessores officiosi post filium meum, ac Virgines supernum germen sequentes, atque alij electi mei lætantes in fonte lætitiæ & in fonte salutis, dum Spiritus sanctus eos perfundit, ita vt sint flagrantes & manentes de virtute in virtutem.

Cur tertius angulus in medio latus.

13 Sed quod tertius angulus qui respicit ad meridiem est in medio latus & extentus, in imo autem & in summitate aliquantulum gracilior & constrictus secundum modum arcus qui extenditur ad sagittas iaciendas, hoc est diffuso Euangelio ardens in feruore Spiritus sancti illa sapientia sanctorum quam in profunditate quærebant: vt per eam reperirent typicum germen profunditatis, scilicet quod eis esset intelligendum in verbo Dei: ipsa immediata videlicet lata, quia confortata & roborata fide in populo Christiano, quasi in medio erat latus sensus exiens de animabus sanctorum doctorum, qui profundam asperitatẽ scripturarum scrutantes, protulerunt eam in scientiam multorum qui ab eis discebant: ita quod dilatabant sensum suum in extensione sapientiæ & scientiæ diuinæ scripturæ, quæ in initio quasi in imo Ecclesiasticæ institutionis erat adhuc gracilioris & minoris studij: quia populi nondum eam amplectebantur tali amore, vt postmodum fecerunt: cum etiam in fine sæculi vt in summitate eius, refrigescent studia multorum, ita quod eis diuina scientia nõ erit amabilis in amore operis: sed abscondent sibiipsis conscientiam suam, quasi non sit eis mutandum bonum in opere, illud tantum exterius vt in somno cognoscentes.

Cur angulus asper.

14 Et ideo est iste angulus in medio sui latissimus in asperitate, quoniam aspera opera cultus Dei denudata ab obumbratione veteris testamẽti, erant à constrictiore initio suo se protendentes, quasi ad medium sui, quæ sunt fortissimæ virtutes in altiori studio, cum populus velocior fuit, contra iniquitatem diabolum scilicet vulnerare in verbis quæ Dei sunt, & eijcere atque conculcare omnia vitia eius cum magna austeritate iustitiæ Dei: ipse tamen sic tandem descendens, in obliuione sui, & constrictior existens in feruore Spiritus sancti circa finem mundi: ita videlicet extensus vt cũ neruo lignũ extenditur ad bellum, quia in anima & corpore se homo debet erigere contra vitia: ex vtraq; parte sui constrictior & in medio largior, vt in primo & in vltimo opere suo circũspectus sit magno timore & humilitate & in medio fortis ac cõstans emittere iacula bonorũ operũ per donum Spiritus sancti aduersus insidias diaboli. Nam in inceptione boni est homo gracilioris virtutis, in prosecutione autem operationis suæ cum bonum operatur, est robustioris fortitudinis: quoniam Spiritus sanctus eum pertransiuit infusione sua, in qua tamen operante virtute frequens esse non potest. Vnde iterum constrictioris erit virtutis, quasi in in fine operis per fragilitatẽ carnis suæ. Sic semper extendi debet arcus se munientis contra vitia diabolica.

Cur instar vt in principio strictus.

15 Quod autem in cacumine eiusdem columnæ vides tantam claritatem luminis vt humana lingua effari nõ possit, hoc est quod cœlestis pater in altissimo & in profundissimo secreto suo edidit mysteria filij sui, qui in eodem patre suo fulget clarissima coruscatione, in qua prolata est omnis iustitia, & in legali propositione & in nouo testamento quod est maxima claritas lucentis sapientiæ: ita vt non sit possibile vlli terreno homini hoc aliquo sermone proferre, dum est in corruptibili carne. Et in eadem claritate apparẽs columba habens in ore suo radium aurei coloris multo fulgore columnam illam irradiantem, est in coruscatione luminis filij Dei in corde patris fulgentis, igneus Spiritus sanctus, per quem declarata sunt mysteria ipsius altissimi filij Dei ex summa altitudine venientis pro redemptione populi, ab antiquo serpente seducti. Vnde & idem Spiritus sanctus inspirans omnia legalia præcepta & noua testimonia, dans videlicet legem claritatis mysterij sui ante incarnationem Domini, atque in eadem claritate virtutem suam ostendens in incarnatione eiusdem filij Dei, habet in profundissima inspiratione sua aureũ splendorem, scilicet eximiam & excellentissimam illuminationem vnctionis suæ multa & magna perfusione mystica, secreta ipsius vnigeniti Dei antiquis præconibus vt dictum est aperiens: qui Dei filium typice ostendebant, & valde mirabatur ineffabiliter exeuntem à patre, & mirabiliter surgentem in aurora perpetuæ virginis: fortiter etiam exurens textum veteris testamenti & Euangelij in spirituale germen, in quo omnis iustitia erecta est. Ideoq; propter immensam vim diuinitatis, non est tibi possibile intueri diuinam claritatem, quæ à nullo mortali homine poterit videri, nisi vt eam ostendo in obumbratione, cui

Quid claritas in cacumine columnæ.

volo.

volo. Quapropter & tu caue ne præsumas temere intendere in id quod diuinum est, sicut etiam tremor qui te apprehendit tibi demonstrat.

Quidimago super pauimentum.

16 Sed quod vides intra prædictum ædificium veluti quandam imaginem coram hac columna super pauimentum ipsius ædificij stantem, hoc est quod intra opus Dei patris, se virtus hæc ostendit declarans mysterium verbi Dei: quia ipsa aperuit omnem iustitiam in ciuitate omnipotentis in populo scilicet veteris & noui testamenti: super pauimentum, id est super cuncta terrena in opere eiusdem pii patris stans, quoniam omnia terrestria sicut & cœlestia in eius sunt prouidentia. Quod autem aliquando ipsam columnam aliquando etiam homines illos qui in ipso ædificio discurrunt inspicit, hoc est quod & secretum suum quod protulit vis diuinitatis in verbo Dei considerat, & etiam homines qui in bonitate patris operantur perspiciens, qui se tangunt vel non tangunt in opere: quia nouit qualitatem vniuscuiusque secundum studium eius. Eadem autem imago declarat scientiam Dei, quia illa præuidet omnes homines & omnia quæ in cœlo & in terra sunt: tãti fulgoris & claritatis existens vt præ nimio splẽdore qui in ipsa lucet, nec faciem eius nec vestimenta quibus induitur considerari valeas, quoniam ipsa terribilis est in terrore vt fulgur minãtis, & lenis in bonitate vt splendor solis: ita quod in terrore & in lenitate sua incomprehensibilis est hominibus, per terribilem fulgorem, diuinitatem quasi per faciem eius, & per claritatem quam habet in seipsa quasi vestimenta decoris sui, quomodo etiam nec sol considerari potest in ardente facie sua, nec in decoro vestitu radiorum suorum. Ipsa est enim apud omnia & in omnibus, ac tantæ pulchritudinis in secreto suo, vt à nullo homine sciri possit quanta suauitate toleret homines, & quomodo parcat eis in perspicabili misericordia, quousque purissimus lapis amplius perforari non possit in imperforabili duritia sua, qui est durus & incorrigibilis homo, qui nullatenus vult declinare à malo suo. Sed tamen vt cæteræ virtutes, in forma apparet hominis, quia Deus in virtute bonitatis suæ fecit hominem, rationalitate & scientia ac intellectu profundissime adornatum: vt eum intima dilectione diligens & maxima deuotione colens spernat figmenta dæmoniorum, cum præcipue amans, qui illi tantum & talem dedit honorem.

Quid ala & forma angelica.

17 Quod vero circa eandem imaginem conspicis pulcherrimam multitudinem, angelicam formam & alas habentem, & in tanta veneratione stantem vt & eam timeant ac diligant, hoc est quod vbique scientiam Dei beati & excellentes spiritus in angelica ministratione, per inexplicabilem & purissimam laudem colunt: quod tam digne non potest homo adimplere, cum adhuc in mortali corpore est: ipsi Deum amplectentes in ardore suo, quia lux viuens sunt, & alati, non quod alas habeant vt alia volatilis creatura, sed quod flagrant in sphæris suis per virtutem Dei, quasi pennati sint. Vnde venerantur me Deum verum persistentes in recto timore & in vera subiectione, scientes iudicia mea, atque ardentes in amore meo, quia faciem meam semper aspiciunt, nihil aliud desiderantes neque volentes nisi quod vident placere perspicacibus oculis meis.

Quid tenebrosa vestis.

18 Sed quod ante faciem eius vides aliam multitudinem in humana forma & tenebrosa veste apparentem, atque in multa constrictione timoris stantem, hi sunt in scientia Dei homines existentes. Quomodo? Homo est in conspectu Dei in magno honore, quem præuidet ad se pertinere, illo abiecto qui magis in perditione contendit perdurare quam in Deo esse. Sed homines illi quos vides in hac multitudine, dicuntur compulsæ oues: humanam speciem habentes, propter opera hominum, & vmbrosum vestitum, quod est dubitatio in operibus peccatorum, in districtione tamen timoris metuentes iudicium Dei.

Quid compulsa oues

Ideo autem compulsæ oues nominantur, quoniam multis modis compello eos vt ad vitam perueniãt per sanguinem filij mei ereptos à morte. Vnde & compulsæ oues homines sunt illi, qui per multas tribulationes & ærumnas contra voluntatẽ suam cõpelluntur à me, vt relinquant iniquitatem suam quam per voluntatem propriæ carnis, & per florem iuuentutis suæ tamdiu libentissime adimplerent quamdiu sæculo adhærerent, sic volentes permanere in ardore libidinis vsque dum eos delereret ignis carnis per frigus ætatis suæ: quos tamen omnes diuersis modis constringo, secundum quod in eis video, vt cessent à peccatis suis.

19 Nam quosdam eorum in quibus sæculum tam forti desiderio non ardet non constringo fortiori flagello sed leniori, quia non video in eis tantam amaritudinem quantam in alijs: quoniam cum sentiunt correptionem meam, mox relinquunt in festinatione voluntatem suam, & veniunt ad me, pompis sæcularibus renunciantes. Quosdam autem fortiori verbere corripio, quoniam tam ardentes & tam peruicaces sunt in peccatis ex vitio carnis suæ, vt nisi fortiter per me coarctarẽtur, non essent apti regno meo. Scientia mea præuidet & cognoscit eos, ac constringit illos secundum superfluitatem corporis ipsorum. Et iterum quosdam in maxima & fortissima ærumna ac miseria mentis & corporis eorum supero, quia tam rebelles, tamque superflui in opere carnalis voluptatis sunt, vt si non constringerentur grauissima calamitate, non cessarent à criminibus per petulantiam suæ carnis: quia dum essent in prosperitate suæ voluntatis, se non conuerterent ad Deum: quoniam vnde vnus per pusillanimitatem mentis suæ omnino cadit in desperationem, inde alius vocatur per stoliditatem superbiæ suæ: atque per quod ipse omnino conculcatur in desperatione, per hoc ille vix constringitur in plenitudine animi sui. Hoc modo coërceo pertinentes ad me cum mihi repugnant in operibus suis, vt quia eos noui, saltem per calamitates tam corporis quam spiritus quas patiantur, ad me peruenire compellantur, quatenus ipsi saluentur: vt etiam Pharao Israeliticam plebem à terra sua perterritus, tandem discedere compulit, sicut scriptum est: *Vocatis-*

catisque Pharao Mose & Aaron nocte ait : Surgite egredimini à populo meo, & vos & filij Israel. Ite & immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras & armenta assumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.

20 Hoc tale est. Ontrosa & grauissima crimina quæ adhærent huic sæculo in multis ærumnis ac miserijs, grauant super modum multos homines, illis in cordibus suis dicentibus: Heu heu quo fugiemus? Et tunc eædem ærumnæ rixando illos expellunt à se, ita quod etiam ipsi homines festinant ab eis recedere, quia in seipsis arescunt in corpore suo de grauedine flagelli manus Dei, non valentes cum gaudio viuere in voluptate sæculi: quoniam Deus requirit eos, quod est vocatio iustorum per diuersas calamitates in tenebrosis operibus noctis peccatorum. Vnde Pharao, vitia scilicet diabolica vocant in clamore ærumnarum & miseriarum Mosen, id est homines illos quos Deus constringit fortissimis doloribus siue spiritualibus siue corporalibus, & Aaron, eos videlicet quos coërcet leuioribus aduersitatibus in nocturno tempore malorum operum conuocatos, ipsis vitijs in oppressione voluptatis hominum dicentibus: Surgite de carnali consuetudine vestra & egredimini de veteri habitatione quam nobiscum habuistis separante vos à communi populo quem possidemus, cum nos colit, & subtrahentes vos à sæcularibus negotijs quibus libenter adhæremus, vos qui exterriti estis in nobis cum in captura nostra fuistis, & filij Dei vobiscum qui vident ipsum in agnitione eius. Ite itaque aliam viam relinquentes nos, & offerte vosipsos Deo inexpugnabilibus causis quibus nos superastis (vt dicitis) in desiderijs vestris, lenitatem quoque vestram in ouili mansuetudine, cùm qua vobis est durum nobiscum laborare: quia vultis alium dolorem sustinere sequendo agnum & victoriosissima arma in armentorum fortitudine cum quibus nos superastis, & quibus nos resistere non possumus assumite in nouitate mētis vestræ, quā modo habere vultis, & separamini à nobis vt dudū voluistis cū nos acriter impugnastis, & euntes ad patriam pro qua doletis in animo vestro comprehendite aliam vitam quæ vos ducit à nobis, atque benedicite in laude Dei pugnam illam in qua abcessistis à sæcularibus causis & negotijs.

21 Ego quoque omnipotens Deus vt prædictas oues transire compello ad me, sic etiam columnas meas, id est fortiores cœlestes hæredes in fundamento castigationis meæ consolido, secundum nequitiam implicationis peccati in inuasione præuaricationis Adæ quā impugnantur: quia stare non possent, si eos gratia mea non confirmarem. Quorum quidem alios quos tam grande pondus non grauat vitiorum, leniore castigatione castigo: quoniam si eos acriori verbere constringerem, omnino deficiente spiritu caderent in desperationem, quia afflatu maioris turbinis diabolicæ suggestionis non constringuntur. Alios autem grauiore mole in varietate sæuissimorum morum, & in superfluitate concupiscentiarum ex pugna diabolica oneratos, habeo in duritia constrictionis grauissimorum dolorum, vt non exeant à fœdere meo, cui assistunt me toto desiderio volentes apprehendere, atque præcepta mea obseruare: quia si istos vt priores leniter castigarem, ipsas correptiones meas pro nihilo ducerent, quoniam grauissimo certamine antiqui serpentis impugnantur. Sunt etiam quidam exules cœlestis patriæ quos nescio, quia me omnino relinquunt auiditate mentis suæ seipsos rapaci rabiæ seducentes nec me quærentes, nec scire volentes, sed in seipsis suffocantes bonum desiderium, ita quod non postulant à me vllum auxilium, auide tantum se oblectantes in propris rebus suis, vt eos delectat in carnalibus desiderijs. Quorum alij ex his operantur in superfluitate ac in delectatione carnis quidquid volunt, non tamen existentes nimij in odio & in inuidia, sed volutantur in blandis voluptatibus habentes delicias & suauitatem carnis suæ: quibus dimitto fruges terræ in prosperitate, vt non deficiant in paupertate, quia & creati sunt per me, & quia etiam populum non absorbent per malitiam suam: atque idcirco dabitur eis secundum desideria ipsorum. Alij vero sunt tantæ ferocitatis & abundantiæ amaritudinis fellis & odij ac inuidiæ, reddentes malum pro malo, nec volentes sufferre vllam iniuriam sibi illatam, ita vt si haberent honorem & diuitias sæculi, cœlestes virtutes dirumperent in hominibus ne colerentur in eis: vnde ipsis abstraho fruges atque diuitias, in magnis miserijs eos deijciens, quatenus se non possint ad tantum malum erigere quantum est in voluntate ipsorum: quia diabolica opera perpetrarent, si facultatem ad hoc haberent. Sic obsisto viis hominum bonorum scilicet & malorum recta mensura ponderans ascensus eorum, secundum quod oculus meus videt cupiditates ipsorum: sicut etiam sapientia testatur per Salomonem dicens. *Omnes viæ hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.*

22 Hoc tale est. Omnia itinera quæ spirat viuens animus hominum in præsentia scientiæ suæ in hoc quod homo habet circuitionem intellectus vtilitatis, scilicet fructuositatis atque imbecillitatis inutilitatis, hæc sunt aperta conspectui omnipotentis Dei. Sic per omnia videt Deus, & omnino non absconditur quicquam aspectui diuinitatis eius quia scit omnia: sic videlicet aspiciens vniuersa vt vnamquamque rem recte dispenset. Quomodo? Ipse est enim spirituum ponderator, mulcens eos in suauitate blandimentorum & tranquillitatum, castiganſque eos in tribulatione dolorum & miseriarum, vt excutiantur ad rectam mensuram, quam contra eum nec currendo nec fugiendo transcendere valent, nisi quantum ipse probat iuxta merita eorum: quoniam ponderatio ipsorum est quod in excussione retributionis eorum siue in hoc sæculo siue in futuro ostenditur, quomodo Deum coluerunt. Vnde etiam ipsi spiritus iuste ponderantur, ita scilicet vt rationalitas hominis non plus eleuetur in superiora nec deprimatur in inferiora quā iusto iudicio suo recompensat Deus: quoniam sic ipse resistit illi, quod nulla anima est tantæ po-

testatis

teſtatis in ſuperfluitate vllius rei, vt poſſit Deo repugnare: quia ipſe cuncta rectiſſime dijudicat, obſiſtens eis iuſtitia ſua, cui reſiſtere non valent, vt plus poſſint quam ſit promiſſionis eius. Nam vt plumbum iuſte ponderat pecuniam, ſic Deus æqua libra bonis & malis tale obſtaculum opponit, quod nullo modo poſſunt effugere æquiſſimam normam iudicij eius, iſti pro meritis ſuis gloriam & gaudium vitæ, hi vero pœnam & mœrorem mortis recipientes, ſecundum quod Deus acutiſſime præuidet in eis.

Quid homines noua veſte induti.

23 Quod autem prædicta imago inſpicit homines illos qui de mundo venientes, in eodem ædificio noua veſte induuntur, hoc eſt quod ſcientia Dei nouit eos, qui perfidiam infidelitatis ſuæ relinquentes, in poteſtate operis Dei pro vita æterna nouum hominem in baptiſmo induunt, mouens illos ne reuertantur retro incedentes ad diabolum: vel ſi in illud deuiauerunt vt redeant ad Deum creatorem ſuum, ſecundum quod dicit vnicuique eorum in verbis admonitionis ſuæ vt ſupra dictum eſt. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore ſpeculi mei, ad verba hæc anhelet, & ea in conſcientia animi ſui conſcribat.

VISIO QVINTA.

1 POſt hæc vidi & ecce in ſeptentrionali angulo coniunctionis duarum formarum muri dicti ædificij apparebat tanquam caput mirabilis formæ illi angulo exterius immobiliter à collo impoſitum, tantæ altitudinis à terra quãta erat altitudo ipſius anguli, non tamen eum excellens, ſed tantum pari æqualitate ei in ſummitate adæquatum. Et caput illud erat ignei coloris, rutilãs vt flamma ignis, terribilemq; habens faciem hominis, atque in ira magna reſpiciens ad aquilonem. A collo autem & deorſum non vidi vllam formam eius, quoniam reliquum corpus ipſius omnino abſconditum & obſtruſum latuit in prædicto angulo. Caput vero ipſum vidi quaſi nudam formam humani capitis, nec crinibus obtectum inſtar virilis formæ, nec velamine more muliebri, plus tamen virile quam muliebre apparuit multumque terrribile ad intuendum. Habebat autem tres alas miræ latitudinis & longitudinis albas, vt eſt candida nubes non in altum erectas, ſed ſolummodo à ſe ſeparatim in directum extentas, ita tamen vt ipſum caput eas aliquantulum altitudine præcelleret: quarum prima à dextra maxilla ſurgens tendebatur ad aquilonem: ſecunda vero quæ & media erat, à gutture ipſius dirigebatur ad ſeptentrionem: tertia autem à ſiniſtra maxilla tendebatur ad occidentem: aliquando magno terrore ſe mouentes, atque in illas partes percutientes, aliquando autem à percuſſione ceſſantes. Et non audiui caput illud vlla verba proferre, ſed tantum in ſeipſo immobile manens, alis ſuis interdum illuc percutiebat quo & ipſe alæ tendebantur, vt dictum eſt. Et iterum audiui ſedentem in throno mihi dicentem: Deus qui in veteri populo zelum ſuum graiter exercuit, in nouo propter amorem filij ſui mitem & ſuauem ſe oſtendit: non quod nunc peccata delinquentium diſſimulans negligenter paruipendat, ſed quod miſericorditer, puri cordis intimam & veram pœnitentiam expectet, indurati autem nequitiam non tolerans, iuſto iudicio ſuo puniat.

2 Vnde & caput hoc quod vides in ſeptentrionali angulo coniunctionis biformis muri dicti ædificij apparens, oſtendit in ſignificatione zelum Domini, qui eſt vindicta inflexibilis iniquitatis, nec vllam medicinam deſiderantis, aperte ſurgens inſinuato myſterio verbi Dei per figuras & per ſonum Patriarcharum & Prophetarum, in ſignificationibus eorum prænunciati. Sic & zelus eius in forma videtur capitis, quoniam ſuper omnem timorem cognitus eſt in ſeueritate vltionis ſuæ, vt homo in facie ſua cognoſcitur, ardetque contra ſeptentrionalem partem, quia ipſe in Deo velociſſimus & acer occidit diabolum & omne malum, cum etiam in Abraham & in Moſe duæ partes defenſionis operantium, ſpeculatiua ſcilicet ſcientia duarum optionis cauſarum, id eſt duarum viarum boni ſcilicet & mali: & genus humanum in opere Dei coniungunt, quoniam fortiſſime aduerſus diabolum in ſcientia boni & mali debet homo operari in omnibus cauſis per bonitatem patris. Præuaricationem autem quæ fit per ſpeculatiuam ſcientiam in operibus hominum præcepta Dei tranſgredientium, vlciſcitur zelus Domini, vbi locus non eſt indulgentiæ. Vbi eſt hoc? ibi videlicet vbi nec eſt timor Domini, nec hominis in agnitione Dei. Et tale cor quod ita in ſorde iniquitatis obduratum & emortuum eſt, quod nec veretur iudicium Dei, nec vultum hominis, hoc iuſto iudicio confundit & deprimit vltione ſua zelus Domini in lege Dei. Quomodo?

Quid caput in ſeptentrionali angulo

3 Poſt conſtitutum præceptum vbi fit præuaricatio legis eſt zelus qui abſtrahit iniuſtitiam cum rectiſſimo iudicio: ipſa iniuſtitia abſtracta in veteri teſtamento cum auſteritate repenſionis in exteriore homine, cum tranſgreſſio legis corporaliter vlciſcebatur in ipſo: & poſt gratiam Euangelii eſt idem zelus per pœnitentiam, atque poſt mortem hominum eſt ipſe per pœnas & per tormenta gehennæ: quia iniquitates hominum conceptas & prolatas atque contortas in operantibus ita examino, quod eas vlciſcor aut corporaliter in corpore hominis, aut in pœna futuri ſæculi: aut ipſe homo purgabit illas per pœnitentiam remiſſionis viuens in anima & corpore, cum quibus etiam operatus eſt eas, vt dicit in ſpiritu meo ſeruus meus Iob: *Commuto faciem meam, & dolore torqueor. Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. Si autem & ſic impius ſum, quare fruſtra laboraui.*

4 Hoc tale eſt. Immutabo aſpectum meum interiorem. Quomodo? Euertam ſcilicet hoc quod ſum mutabilis & inundans in ſanguine venarum mearum, habens in me aliquando delectationem, aliquando etiam iracundiam, & aliquando conterentem triſtitiam, quod in me aſpicio quaſi videam delectabilem faciem cum

hoc

hoc ipsum libenter perficerem. Et illud mutabo contra voluntatem meam conuertens me ad opus bonæ operationis. Cumque hoc fecero, graviter in hoc flagello torqueor, quod meipsum constringo, abstrahens me à cognoscibili facie mea, quod est opus voluntatis meæ in contraria delectatione, adiungens me contemplativæ speculationi Deum videns in bona conscientia, & non in concupiscentia carnis, per quam illum non attendo. Et ab his duabus causis timeo omnia opera mea. Quomodo? Cum bonum opus facio, vereor illud non esse perfectum coram Deo: quia illud perspicue non inspicio sed obscure quasi in speculo, aliquando illud cognoscens in spiritu, aliquando etiam ignorans ab onere corporis mei. Malum autem opus cum facio, sum in confusione per conscientiam spiritus mei: quoniam in interiori intellectu cognosco, quod Deus non parcet scientiam habentibus in peccatis: quod est quando homo intelligit, quid in opere suo contrarium sit Deo: sed eum oportet purgari, vel vitione in corpore, vel pœna pœnitentiæ vel pœna tormentorum in alia vita. Et ideo non parcit delinquenti si eum non pœnitet: quia non datur ei potestas peccandi vt peccet, sed eum oportet castigari aut hic aut illic. Quapropter si sic impius sum, tantæque obdurationis vt ad hoc non velim molliri quod declinem à proprijs rebus meis quæ sunt peccata mea, ita vt non aspiciam in magnum certamen illud mihijpsi repugnans, quod ego in fragilitate sum, sed quod Deo semper contrarius existo in notis causis meis, quia conceptus sum in peccatis semper cupiens operari iniquitatem, nec metuens iudicari à Domino: quare tunc si constrictus sum in tam vano labore quod frequenter cum scientia qua Deum agnosco, in meipso iniquitati contradico? Non autem tam impotens sum vt ignorem bonum & malum. Vnde si intelligibilem sensum à me repello sic dicens, ignoro Deum, mendax sum: quia ipsa scientia arguit me reprehensibilem, quod debitor sum Deo, cum incipio iniquitatem operari. Sed non inuanum laboro, cum in bona conscientia contradico malo, quoniam opus Dei sum: vnde & me conuerto ad ipsum, ex hoc bonam mercedem recipiens.

¶ Itaque ego Dominus omnium testificor, quia oportet hominem cum dolore gemitus, aut cum contritione pœnitentiæ, seu cum digna vltione peccata sua diluere, siue in hoc sæculo siue in futuro vt dictum est. Quomodo? Qui peccant cum timore & dolore pœnitentiæ metuentes peccata sua, merentur per gratiam Dei quod sæpe surgunt à commissis suis in purgatione eorum: cum tamen eam purgationem plenius non inueniunt in hoc sæculo, inueniunt eam in futuro ad vitam. Qui vero sunt tanta duritia cordis, vt nec desiderent, nec velint scire in timore & dolore pœnitentiæ peccata sua, sed in tanta nequitia permanent, quasi non sit eis Deus in timore habendus, hi non consequuntur purgationem peccatorum nec in hac vita nec in futura, sed habebunt pœnas sine consolatione purgationis ad vitam: quia de rationalitate sua vt creati sunt per me, noluerunt rationem reddere inobedientiæ.

6 Quomodo? Intellectus in rationalitate hominis habet duas semitas in scientia boni & mali, ad quas pertinent duo responsus bonum scilicet & malum. Quomodo? Bonum respondet malo, cum resistit ei in Domino. Malum vero respondet bono, cum repugnat illi cum diabolo. Sed hi in bono respondent malo, qui se refrenant semper in malo, ne delectentur in propriis delectationibus suis. Hi autem in malo respondent bono, qui nullatenus se abstrahunt à prauis actibus quin delicientur cum concupiscentiis suis, nolentes respondere vocationi mali.

7 Quomodo? Homo habet in se duas vocationes, desiderium videlicet fructus & concupiscentiam defectus. Quomodo? Per desiderium fructus vocatur ad vitam: & per concupiscentiam defectus vocatur ad mortem. Sed in desiderio fructus, cum homo desiderat bonum operari sic'd cens in seipso: fac bona opera, hic est responsus contra malum vt deuitet illud, & faciat vtilem fructum: in concupiscentia vero defectus, cum concupiscit perpetrare malum, sic etiam adhortans semetipsum fac opus delectationis tuæ, hic etiam est responsus aduersus bonum, cum ille nõ vult resistere iniquitati suæ, sed delectatur peruenire ad defectum, despiciens me in hoc responsu, & habens me quasi ludibrio debitum honorem mihi non exhibendo. Et quia auertit se à bono, non dolens affligendo se propter timorem meum, conuertit se ad illusionem in cœlestibus, vt per manifestationem meam dicit Psalmista: *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.*

8 Hoc tale est. Multi homines sunt insipientes in rationalitate, nolentes intelligere innumerabilem timorem Domini, & abstrahentes sibiipsis bona desideria in quibus deberent anhelare ad me, & cognoscere verum Deum: recusantes assensum præbere bonæ scientiæ quæ semper hominia assistit vt bona opera operetur in Deo: sed frequenter amplectuntur amaritudinem in contradictione boni, cum seipsos despoliant, sibiipsis auferentes bonum, thesaurum diuersæ iniquitatis sibi thesaurizando. Et in his ponunt in cœlestibus circuitionem mentis suæ quasi os suum male opertum, despicientes illa in seipsis per rabiem subsannationis, sic dicentes in corde suo: Hæc opera voluntatis nostræ tam libere facere possumus quam illa quæ dicuntur cœlestia, quæ antiqui (nobis ignorantibus) secundum quod eis placuit instituerunt. Atque tali modo subsannant verba & institutiones antiquorum patrum, quæ per cœleste opus in me positæ sunt. Vnde etiam in gustu praui operis velut in lingua sua commouent se & transeunt in audacia possibilitatis suæ seipsos, ita quod pertinaciter adimplent voluntates suas, nolentes habere constrictionem corporis sui contra vitia, sed absq; labore sui spiritus volutantur in desideriis carnis suæ quasi in terra, quæ est diaboli a se ductio. *De constitutionib. patrum.*

9 Et quod vides prædictum caput mirabilis formæ, hoc est quod in zelo Domini sunt mirabilia & admiranda iudicia Dei, quæ à nullo homine *Quid caput mirabilis formæ.*

mine peccatis grauato sciri possunt. Quod vero eidem angulo exterius immobiliter à collo impositum est, hoc est quod zelus meus aduersus diabolum, vt in veteri testamento per Abraham & Mosem ostensum est, in speculatiua scientia & humana exercitatione exterius apparet in visione populorum, vt me timeant, oculo ad oculum terrorem meum sentientes, cum etiam iustitia mea minatur ad aquilonem crudelissimæ iniquitati fathanæ.

Cur immobile.

10 Atque immobile manet, quia Deus nec fallacibus nec adulatoriis sermonibus omnino moueri aut molliri potest à rectitudine iudicij sui non emendatis criminibus, velut per collum fortitudinis suæ à Deo constitutæ legi ad operandum hominibus infixum, reddens scilicet vnicuique non obseruanti præcepta legis emeritas pœnas, secundum mala opera ipsius in quibus sordens emarcuit, repugnans etiam excellentissima fortitudine sua, quasi in virtute colli sui diabolo & sequentibus illum, se opponendo iniustitiæ eorum.

Quid altitudo eius.

11 Est quoque tantæ altitudinis à terra, quanta est altitudo ipsius anguli, quoniam Deus in summa iustitia vltionis suæ cuncta terrena superat, eadem vltione huius altitudinis existente, vt in præfiguratione Abrahæ & Mosi per legem designata sunt opera hominum : quia diuinum iudicium est in summitate speculatiuæ scientiæ & actuum populorum, vt prosternat ignorantiam ipsorum, cum nolunt scire Deum. Non tamen ipsum angulum excellit sed tantum pari æqualitate ei in summitate adæquatur, quoniam superna vltio actus hominum non excedit, plus & grauius in eis mala vlciscendo quam sint merita eorum solummodo æquo & iusto iudicio in excellentia iustitiæ suæ omnia recte diiudicans : vt iterum in spiritu nouit Dauid cum diceret: *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.*

12 Hoc tale est. Per bonitatem tuam in meipso cognoui Domine, cum pro peccatis meis non occidisti me, non auferens mihi in anima & corpore efficaciam operandi, quod nec propter potentiam, nec propter iram tuam plus iudicas in scientibus aut ignorantibus quam sint merita eorum. Bonum enim operor luctando contra me, malum vero facio per concupiscentiam carnis. Et ideo das bono mercedem & malo iudicium, non tamen aliter iudicans quam quod æquum & iustum est. Quomodo? Si acrius instares quam sunt opera hominum in peracta actione, non esset æquitas iudicij. Si vero tepide negligeres, ita vt non prouocares ad pœnitentiam, & quod non esset exquisitio in purgatione iniquitatis, tunc tu iustus Deus delinires & confoueres iniustitiam. Mors enim erat quondam amarissimum iudicium in morte Adæ, nunc autem reddita gratia in pœnitentia, reuocans hominem ad vitam: quod impossibile esset fieri per vllum, nisi per te Deum. Et hoc est iustissimum & æquissimum iudicium tuum, purgatio scilicet ad vitam cum gratia, quoniam vnicuique operi in recta mensura metientur iudicia tua. Nam in veritate sunt omnia quæ facis, ita quod nullam superfluitatem exerces supra modum fallaciter, quia fallax est quod plus in nimio, vel minus in paruo est quam quod iustum est. Sed tamen parcis in multis miserationibus potentiæ tuæ, non occidens vllum per possibilitatem clarissimæ virtutis tuæ, hoc deputans in teipso quod parcis per pœnitentiam. ideoq; de misericordia tua humiliaui me, dans gloriam nomini tuo, interdum etiam turbatus in promeritis culpis meis, de tuo iudicio.

Quid igneũ caput

13 Quod autem caput vides ignei coloris rutilans vt flammam ignis, hoc est quod in zelo Domini est ignem malis obstaculum, rubens in fortissimo ardore vltionis suæ : terribilem habens faciem hominis, quoniam oculi Domini facie ad faciem vident vnamquamque iniustitiam, ita quod culpæ diuersorum criminum non relinquuntur neglectæ ante Deum, quas non terribiliter inspiciat, eas examinando iusto iudicio suo: & quia etiam monstruosa & horrenda sunt iniqua opera hominis, humanam faciem ostendentia in actibus carnalium desideriorum. Atque in ira magna respicit ad aquilonem, quia Deus in vltione sua dedignatur omne malum quod oritur de suggestione diabolica. Sed quod à collo & deorsum non vides vllam formam eius, quoniam reliquum corpus ipsius omnino absconditum & obstrusum est in prædicto angulo, hoc est quod in zelo Dei recta iudicia quæ potenter dispergunt praua opera diuersorum hominum nullus humanus sensus quasi ad finem perscrutari potest, quoniam occultantur & conteguntur in angulo speculatiuæ scientiæ & operis hominum : ita quod nec videri nec comprehendi vlla scrutatione valent, nisi quod aliquando cognoscuntur cum ostenditur res gesta in causa vltionis Dei, vt facies hominis videtur secundum desideria voluntatis ipsius. Vnde etiam in ipsa vltione non est vlla simulatio alicuius facilitatis nisi semper iustum iudicium secundum peccata hominum, quoniam crimina eorum non negliguntur indiscussa, vt dictum est, quia zelus Domini examinatio eius est.

Quid nuda forma.

14 Quod vero caput ipsum vides quasi nudam formam humani capitis, hoc est quod idem zelus Domini nulli mortalitati subiectus est, permanens videlicet nudus ab omni subiectione debilitatis, iuste diiudicans opera hominum. Nec est crinibus obtectum instar virilis formæ, nec velamine more muliebri, quoniam ipsi non est aliqua solicitudo sensus se quenquam superiorem vlla virili fortitudine, debellare, nec ei ineſt vlla fœminea mollities timidi animi sibi aduersa non posse superare. Est plus tamen virile quam muliebre, quia fortissima virtus Dei magis est in virili vigore quam sit in mollitie fœmineæ negligentiæ: multumq; terribile ad intuendum, quoniam zelus terribilis & metuendus est omni creaturæ, cum ipsa est eum sentiens in data causa vltionis eius.

Quid trei ala.

15 Sed quod habet tres alas miræ latitudinis & longitudinis albas vt est candida nubes, hoc est inexplicabilis virtutis sanctæ Trinitatis expansio, quam nullus hominum comprehendere

præualet in latitudine gloriæ eius, nec in longitudine potestatis eius, in multa suauitate & claritate diuinitatis fulgens, rectaq; vltione sibi subiiciens mentes hominum, in magna diuersitate vt nubes discurrentium. Quæ non sunt in altum erectæ sed solummodo à se separatum in directum extentę, ita tamen vt ipsum caput eas aliquantulum altitudine præcellat, quia vltio Domini non eleuatur vlla arrogantia, sed coaptat se vnicuique causæ secundum merita ipsius, in rectissima scilicet norma extenta, iusto iudicio correptionis suæ: sic tamen vt posibilitas potentiæ Dei quasi in capite eiusdem vltionis suæ, humana opera quæ vera trinitas non tolerat indiscussa, in altitudine fortitudinis suæ præcedat, non tamen ea tam acriter vlciscens & conterens vt posset ipsa posibilitas potestatis eius.

Ala tendens ad aquilonem

16 Et ala prima à dextra maxilla surgens tenditur ad aquilonem, quoniam Deus iusto iudicio primum à dextra saluationis parte in filio suo deuicit diabolum, & omne malum. Secũda vero quæ & media est à gutture ipsius dirigitur ad septentrionem, quia post saluationem quæ in filio Dei facta est, quasi in medio iam roborata fide, gustataque dulcedine electorum, per ipsos etiam fugauit rugientem inimicum, eos eruens de faucibus illius. Tertia autem à sinistra maxilla extenditur ad occidentem, quoniam ab electis Dei sathana fugato, etiã à sinistra perditionis parte in filio perditionis omnino conteretur, mundo iam in occasum termini sui tendente. Et aliquando magno terrore se mouent atq; in illas partes percutiunt, quia terribile atque performidabile iudicium omni creaturæ zelus Domini in vltionem mouetur, ibi exercens iudicia percussionis suæ vbicunq; iusto iudicio placuerit diuinæ maiestati. Vbi enim timor & amor atque honor Dei in reuerentia fideliter habentur, ibi Deus mitem & suauem se ostendens, vltionem suam non exercet, duros autem & rebelles terribiliter & iuste castigans.

Ala vltionis Dei.

17 Vnde prima ala vltionis meæ percutit & abiicit homines illos in abyssum perditionis, qui ita indurati sunt super duritiam lapidũ, vt interioribus oculis dedignãdo semper despiciant iustitiam meam, retro respicientes per scientiam intellectus sui, plusq; consentientes carnalibus desideriis atque diabolicis suasionibus quam volentes scire veram iustitiam, & quam vllo cõsensu suo aut per admonitionem meam, aut per hominis exhortationem reuerti: veluti de sua iniquitate sic cruciantes spiritum scientiæ suæ, quia magis amant & faciunt iniustitiam diaboli quam iustitiam meam. Hi infundunt in corda sua quasi resolutum plumbum, id est desoluta desideria prauæ mollitiei, mittentes illud velut ad stabiliendam duritiam ferri, videlicet obliuionis Dei, sic indurati quasi sint ferrei: ita quod nec causa Dei nec hominis, sibimet aut vlli pareant iniquitati.

18 Super istos clamant & conqueruntur elementa cum reliqua creatura, quod tam vilis natura hominis, breuissimo tempore suo tam rebellis est Deo, cum ipsa semper in timore & reuerentia præcepta Domini perficiant. Vnde & super homines terribiliter vociferantur. Quomodo? Non sic quod elementa clament in voce, aut conquerantur in scientia rationalis creaturę, sed quod secundum modum suum vociferantur in strepitu sonituum, & quod querimonias proferunt in timore terrorũ: vt cum ea aut aliam creaturã iustum Dei iudicium inducit super homines ipsos rebelles existẽtes, illa nõ aliter stant nec aliter se in seipsis imitantur quã ea iussione sua vertit diuina potestas. Vnde tã crudeliter illi indurati homines imitantur sathanam, qui in duritiam iniquitatis suæ nolunt subdi Deo creatori suo, propter id quod periit ab omni beatitudine & ipsi cum eo peribunt sequentes illum.

Media ala.

19 Media autem ala zeli mei cædit insanos homines & vnumquodq; præsumptuosum malum quod scienter ac temere faciunt, quod se primum erexit in homine in sanguine Abel, quem frater suus ob hoc odio habebat, quia propter oblationem substantiæ eius quam in bona voluntate distribuit, Deo carus erat: & quod se etiam erexit in Pharaone, qui in mirabilibus meis admonitus est, ita quod exterritus in terrore meo, inuitus dimisit populum meum Israël, quem iterum per dementiam suam retrahere voluit, propter quod illum zelus meus absorpsit: & quod se etiam in illo populo meo erexit, qui me cognoscens atq; mirabilia mea videns, idolum in Oreb adorauit: vnde corona de capite illius cecidit, ita quod eis lex Dei facta est corruptibilis in duabus lapideis tabulis, aliis his similibus propter eas quæ de gloria sua & fœlicitate ceciderunt hæc omnia vlciscente vltione mea. Vnde etiam Moses famulus meus de contraria illa plebe mihi tam frequenter aduersante in isto zelo meo fecit vindictam ex voluntate mea, cum efficaciter diceret electis meis, vt occideret vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum: & iterum cum ardenter iudicibus eiusdem populi ait, quod occideret vnusquisque proximos suos, qui initiati essent Beelphegor: vbi vltus sum me, occisa iniquitate illa pugnante contra me.

20 Sed in Abel primum orta iustitia Dei, post ipsum inuenti sunt multi alij electi, ex omnibus his malis & peruersis generationibus, qui collegerunt & coluerunt subtiliora præcepta mea, vt filij Israël: inter quos etiam ortus est luctus & mœror, desiderantes humanitatem filij mei. Peracta autem eiusdem filii mei manifestatione quem misi natum ex virgine, coquebatur, & condiebatur omnis iustitia legis, dulcis & suauis cibus facta omni populo credenti in me, Apostolis veritatis ipsam veritatem manifestantibus. Itaque in omnibus istis prædictis generationibus scienter transgressam iustitiam meam, vlciscebatur & vlciscitur hic zelus meus, quia Deus qui erat tunc, est & nunc, ac semper manebit: atq; zelus meus qui tunc erat, est & nunc, & semper stabit, vsque dum finiantur tribus & populi, non finiente iustitia Dei, omnem rubiginem iniustitiæ discutiente.

21 Propter quod etiam in hoc eodem zelo meo hanc iniquitatem aufero, illum videlicet dicens, qui canino more demolitur florentem in me Ecclesiam, aut qui per insaniam iniquitatis suæ destruit constitutã per me dedicationẽ, vel alias constitutas

stitutas iustitias ad templum meum pertinentes, quæ fortiter surrexerunt in prefiguratione serui mei Iacob, vt Scriptura habet: *Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper, appellauitq; nomen vrbis Bethel.*

22 Hoc tale est. Iacob surrexit mane, quia ipse ortus est tempestiuus amator veracis iustitiæ in constituto templo: cui ipse conueniens nomen impositum, quoniam de illo debuit oriri rectissimum templum, virgo scilicet Maria, de qua sol iustitiæ effulsit. Et tollens lapidem quem in figura altaris supposuerat superiori capiti suo, id est Christo, vt in nomine ipsius qui est vera petra, sanctificaretur, & sanctificatus nominaretur: quia vnaquæque sanctificatio altaris suppositi est potestati omnipotentis Dei, capiti omnium fidelium: erexitq; illum in titulum libri vitæ, & in personam præcipui odoris cœlestis Hierusalem, quia vt Christus est caput membrorum suorum in superna Hierusalem, sic est vnumquodque sanctificatum altare excellentior pars templi sui, effuso desuper oleo in sanctificatione crismatis quod est effusa gratia Dei omnipotentis in sancto baptismo. Et appellauit sanctificatum locum illum, domum & templum Dei secundum nomen ciuitatis cœlestis Hierusalem, quod est viuens templum Dei viuentis.

23 Hoc itaque exemplo & significatione, erigendus est lapis in templo in nomine meo ordinando: ipsum videlicet templum idcirco signatum cum lapide, quia ego firma petra sum, ad quem omnis iustitia & lex Christianorũ pertinet. Vbicunque enim fuerit sanctificatus locus, vbi corpus filij mei immolãdum est: ibi volo esse lapidem in nomine meo signatum, quia ego veracissima fortitudo sum: etiam si ibi ex aliqua impossibilitate non poterit esse templum, quoniam seruus meus Iacob erexit lapidem in sua prefiguratione in nomine meo vt dictum est, quia & filius meus de stirpe illius incarnatus est.

24 Templum autem tale mihi dedicatum, non debet esse vacuum huius negotij, quin postulet causam constitutionis suæ, quæ adhæret sibi de labore ministrantis ei populi, sicut etiam cœlestis Hierusalem cum capite suo Christo, non vult carere iustitia sua, semper aspiciens in labores filiorum suorum, quos susceptura est in Deo. Quomodo? Vt se abstrahant à diabolica seruitute, se constringentes à voluntariis desideriis carnis suæ, & se affligentes contra seipsos in abscisione propriarum rerum ob amorem cœlestium, non eis omnibus vtentes, sed sibiipsis aliquas subtrahentes, atque Deo offerentes ad honorem ipsius: sic etiam præcurrens seruus meus Iacob instituit decimam omnis substantiæ suæ cum dicebat, vt iterum scriptum est: *Cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

25 Hoc tale est. Ex omni quod dederis mihi, offeram tibi decimam partem: quia hoc lex tua est, primum scilicet in anima mea ô Deus meus abscindens ab ea propriam voluntatem meam, offerens tibi contra me iustitiam meam, & postea decimam partem omnis substantiæ meæ quam possideo super terram. Quid hoc? Omnis scilicet fidelis homo qui comprehensus est in decimum ordinem supernorum ciuium, debet semper ad templum meum decimam partem dare substantiæ suæ, propter restitutionem illam qua computatus est in decimum numerum numeratorũ, id est in scientia Dei existentium, & ad verum templum videlicet cœlestis Hierusalem pertinentium. *Cur decima Deo danda.*

26 Qui autem obliti timoris mei, templa in nomine meo dedicata, per sæuitiam iniquitatis suæ destruunt, vel qui dedicationes eorum secundum exemplum à Iacob ortum demunt, sanctificata loca scilicet polluendo, seu cum sanguine homicidij, seu cum pollutione seminis illud educendo in adulterio aut fornicatione, vel qui in superno sacrificio negligunt institutam dedicationem antiquorum patrum absque signato lapide quem Iacob erexit in sua præsignificatione, vel qui destituunt constitutam per me iustitiam in decimis, aut in substantiis templi mei: O væ miseris, ô væ miseris, ô væ miseris hominibus illis qui se tam turpiter seducunt, & tam peruersi ante oculos maiestatis meæ existunt: videlicet (vt dictum est) instituta mea negligentes quæ omnia de veteri lege translata sunt, quia de veteri testamento prolata, sunt noua lex in filio meo secundum misericordiam gratiæ: & quia de omni iustitia legis & Prophetarum, quod erat minus factum est maius in eodem filio meo, qui omnia signa priorum patrum quæ ipsi velate in vmbra dixerunt, manifeste ostendit in seipso in omni iustitia.

27 Et qui hæc omnia destituunt ita quod ipsi cibum vitæ qui de vtroque testamento factus est dedignando, sicut lutum conculcant, & canibus & porcis ac aliis pecoribus, id est prauis hominibus diuidunt, eum magis dantes paganicis moribus & vanæ ignorantiæ quam mihi omnipotenti Deo, atque in vsum suum secundum voluntatem suam eum parantes, hos & semen eorum ego destituam, eos proficiens de summo gradu vsque ad infimum, & de diuitiis in paupertatem, in vltione huius zeli mei.

28 Tertia vero ala vltionis meæ cædit & credulos & incredulos in suis impiis & iniustis operibus. Ipsa percutit credulos non operantes in voluntate sua bona & iusta opera, qui bene vident fidem, & quibus nota est iustitia Dei, & tamen sedent in tenebrositate malorum operum, gementes ignorantur post tenebras iniquitatis, volentes bacchari in peruersitate, quod tamen eis non permittit Deus secundum voluntatem ipsorum perficere: hoc idem abscindens illis vltione sua, dum sic sunt obscurati quod obliti sunt eius, ita vt ab eo libentissime recederent. Incredulos autem cædit in infidelitate eorum, ita quod etiam eis abstrahitur iniquitas ipsorum cum retributione vltionis, cum non permittantur malum hoc perficere quod libenter facerent: vnde & malignus diabolus superatus in beatitudine fidelium hominum ante oculos Dei scintillantium, vellet illos trahere in tenebras mortis secundum nequitiam suam, sed eos amplius comprehẽdere non potest, nisi vt sunt opera illorum: *Tertia ala.*

29 Sed quædam alia mensura hominum est super terram, qui habent prosperitatem in forma sensati spiritus, ita quod sapientes sunt ad recordationem Dei, secundum voluntatem suam accensi cum scientia sensus, vnde tunc in seipsis præsumptuose habere volunt scientiam sapientiæ, facientes quicquid cogitauerint, & miscentes iustitiam cum iniquitate: sed stulti sunt in sapientia, quoniam reputant seipsos quasi pleni & perfecti sint ad habendum & comprehendendum, atque ad acquirendum plenitudinem voluntatis suæ secundum arbitrium suum quicquid cogitauerint. Et dum alas suas leuare volunt per potestatem suam in prouinciis & ciuitatibus ac in aliis locis atq; in aliis causis in quibus tunc occupati sunt cum imperio, in quo nolunt habere intelligibilem mensuram in Deum aspiciendo quid faciant: tunc effunduntur & abiiciuntur ante oculos Dei, propter impia & iniusta iudicia illorum quę ipsi prius diiudicabant, in quibus nolebant timorem Domini scienter habere. Et sic per istum zelum meum facti erunt in planctum magnum, & in flebiles voces coram omni populo qui viderit & audierit tempus iudicij iniquitatis eorum, quibusdam videlicet ex ipsis adhuc in hac vita in multis miseriis multi defectus ipsorum viuentibus, quibusdam etiam pessima morte, in diuersis passionibus sublatis. In tam diuersa vicissitudine vlciscitur & exurit zelus meus omnem iniustitiam, quia illa est contra me.

Caput absque verbis

30 Tunc autem quod non audis prædictum caput vlla verba proferre, sed tantum in seipso immobile permanens alis suis interdum illuc percutere quo & ipsæ alæ tenduntur, hoc est quod in zelo Domini non est clamor minantis vocis, & in superbiam se erigentis, sed in potestate fortitudinis suæ & in rectis iudiciis suis immobilis persistens, vltione sua post insaniam operum demeritas absque timore Domini res gestas confundendo, & conterendo eas secundum extensionem vltionis iudicij sui vlciscitur, vt tibi ô homo veracissima manifestatione prænonstratum est. Et quia Deus iustus est, omnem iniustitiam examinari oportet per iustum: quoniam ipse Deus bene nouit discretam examinationem: quæ est in scientia hominis.

31 Nam scientia in homine est quasi speculum, in quo latet desiderium siue bonum siue malum voluntatis. Vnde homo inter has duas partes positus, inclinat se voluntate sua ad partem illam quam desiderat. Sed homo qui conuertit se ad bonum, illud fideli opere amplectens per adiutorium Dei, mercedem beatę remunerationis laudabiliter accipiet, quia malum spreuit & bonum fecit: qui vero se inclinat ad malum, hoc peruersa actione deglutiens per suggestionem diabolicam, pœnas iustæ retributionis inde miserabiliter incurret, quoniam bonum neglexit & malum perpetrauit. Idcirco in multa deuotione & humilitate se homo subiiciens Deo, fideliter operetur salutem suam, quæ de summo bono emanat: ita vt anima ipsius interiori sanctitate inebrietur, quia in bene disposita & recte ordinata discussione & timore seruit creatori suo.

32 Quomodo? Quoniam metus id est inceptio angustiæ facit timorem, timor autem concutit remorem, per quæ debet homo operari quod iustum est. Quomodo? Quod homo metu angustiari incipit hoc per donum Spiritus sancti de rationali sensu habet, propter quod etiam nullo modo euenire potest quin Deum sciat, illaque scientia quam habet in Deum facit in ipso timorem, in hoc quod incipit timere secundum ea quæ Dei sunt. Et si hæc habet cum studio sciens Deum, tunc concutit eum iterum ignea gratia in Christo: admonens vt deinde incipiat tremere, quatenus per compunctionem terreatur, vt iustitiam Dei fideliter operetur.

33 Nunc ergo ô homines intelligite & discite vnde sint hæc. Quid hoc? Deus est qui in vobis quod bonum est operatur. Quomodo? Ipse vos ita constituit, vt per rationalem sensum in operibus vestris eum sentiatis, quæ sapienter cũ discretione facitis. Irrationale enim animal facit omnia opera sine intellectu & sapientia, ac sine discretione atque verecundia, nec scit Deum quia irrationale est, sed tantum eum sentit, quoniam illius creatura est. Rationale vero animal qui homo est, habet intellectum & sapientiam, discretionem & verecundiam in operibus suis, quæ rationabiliter operatur: quæ est prima radix quam gratia Dei fixit in omnem hominem, cum animam ad viuendum excitauit. Hæc ergo prædicta vigent in rationalitate, quia in his omnibus homines Deum scientes sunt, vt ea quæ iusta sint velint. Vnde ebulliens & perfectum opus atque prosperum in bona voluntate hominis quod ipse homo amplectitur in saluatore suo, in filio videlicet Dei, per quem pater omnia opera in Spiritu sancto operatur, hoc denuo incendit & admonet ignea gratia data in Christo Iesu.

34 Ideoque in gaudio Spiritus sancti faciat homo opera iustitiæ, non dubitans in peruersa inusitatione, id est ne dicat quod aliquid sibi desit in omnibus his, aut in prima scilicet radice per donum Dei homini primitus imposita, aut in ignea gratia Spiritus sancti radicem illam iterum in admonitione tangentis, ita ne peruerse corruens deinde angustietur in his quæ propter reprehensibilem impetum fecit, quasi interiori sua radice quicquam minus habuerit: scilicet ne postquã ceciderit in necessitate positus murmuret, sic dicens in seipso: Heu heu quid feci quod opera mea non potui præuidere in Deo? Et etiam sine pondere infidelitatis incedat, ita vt non diffidat Deo in operibus suis, sed vt sit securus sine lachrymabili querela praui operis: ipse enim Deus & homo existens non in duos diuisus est, sed vnus est Christus, non tamen per commutationem diuinitatis in carnem, sed per assumptionem carnis quam diuinitas sibi adiunxit, & quam claritate sua sic perfudit, vt radius solis in sole lucet: nec ob hoc vlla confusione substantia diuinitatis seu substantia carnis in inuicem cõfusæ sunt, sed in vera vnitate personę vnus est Christus verus Dei filius. Sicut enim in rationali anima nulla cõmutatio per carnẽ hominis est: quin ipsa rationalis spiratio sit à Deo quę totum corpus hominis

minis perfundit, & quæ cuncta opera operantis hominis mouet vt sit anima & caro vnus homo, ita etiam absque omni dubio Dei filius ante sæcula natus carne ex virgine assumpta pleniter vt prædictum est indutus. Deus & homo existens vnus est Christus, per vnctionem vtique gratiæ Dei Christus dictus. Qui in sancta humanitate sua per fixuram clauorum & lanceæ vulneratus est: propter vulnus vnum primi hominis quod cuncto generi suo ille inflixerat: quatenus liuore sanguinis sui illud sanaret, & vnctione olei gratiæ illud perfunderet: ac per pœnitentiam illud ligaret cum homo se peccasse doleret. Vulneratus autem descendit spiritus in puteum infernalis perfundi, illicque quamplurimos sibi attraxit, scilicet ab inferno primum hominem abstulit, & omnes qui Deum in moribus humanæ honorificentiæ nunquam tetigerant, & eos in locum delitiarum & gaudiorum quem in primo parente perdiderant locauit. Sed quod die tertia surrexit à morte dormientis corporis in hoc tres personas Deitatis designauit: atque cum eodem corpore ascendens ad cœlos iuit, ibiq; dominando sedet ad dextram patris quę saluatio credentis populi est: illis vitam tribuens quos sanguine suo redemit. Et hi omnes ante tempora omnium principiorum prescisi sunt, quoniam verbum patris per quod omnia facta sunt carnem induit: vt hominem quem formauerat redimeret. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO SEXTA.

1 ET post hæc vidi inter angulum septentrionalem & angulum occidentalem murum parietis præfati ædificij in interiore eius parte totum arcuatum secundum modum cancellorum, non tamen apertum vt cancellos: sed integrum, habentemque in singulis arcubus quasi picturam hominum. In exteriore autem parte eiusdem muri vidi alios duos minores muros, longitudinis spatij quod fuit à prædicto angulo septentrionali vsque ad angulum occidentalem ipsisque angulis ex vtraque parte sui coniunctos iuxta modum testudinis. Altitudo vero eorundem duorum minorum murorum, erat cubitorum trium. Latitudo autem inter interiorem arcuatum murum & medium erat cubiti vnius: atque inter exteriorem & eundem medium, fuit latitudo vnius palmi quasi puerilis manus. Intra idem quoque ædificium vidi sex imagines ante prædictum arcuatum murum super pauimentum ipsius ædificij stantes: tres scilicet iuxta se in fronte illius muri prope angulum qui respiciebat ad septentrionem: & tres etiam simul in fine parietis eiusdem, secus angulum qui tendebatur ad occidentem, omnes picturam in arcubus ipsius muri inspicientes. In ipso autem fine eiusdem parietis vidi aliam imaginem intra ipsum ædificium super lapidem vnum in modum sedis in pauimento positum sedentem, & latus dextrum ad murum inclinantem, faciem vero suam ad columnam veræ trinitatis vertentem. Sed in eodem fine vidi alteram imaginem super eundem murum in altiori loco stantem, & etiam ad prædictam columnam veræ trinitatis versam. In his ergo imaginibus conspexi similitudinem talem: Indutæ erant vt priores imagines quasi sericinis indumentis & candidis calceamentis, excepta illa quæ à dextris mediæ harum trium erat, quas in extrema parte eiusdem parietis videram, quæ tota tantæ puritatis tantæque claritatis extitit, vt præ nimio splendore nullam eius formam, perfecte intueri possem: & excepta illa quæ super murum stabat vt dictum est, quæ nigris calceamentis calceata fuerat. Sed omnes sine palliis erant, præter mediam illarum trium quæ in prima parte muri stabant, quæ pallio induebatur. Duæ quoque trium superiorum quæ ad dexteram scilicet & ad sinistram mediæ imaginis stabant, & duæ trium inferiorum, media videlicet & quæ ad sinistram eius erat non habebant muliebria velamina in capitibus suis, nudis tantum albis crinibus stantes. Media autem trium priorum & illa quæ super lapidem iuxta murum sedebat, erant velato capite candida velatura capitis, vt mos est mulierum. Eadem quoque media trium superiorum & quæ ad dexteram eius stabant vestitæ erant tunicis candidis. Sed vidi talem dissimilitudinem earum: Imago quæ stabat in medio trium superiorum habebat in capite suo in modum coronæ circulum crocei coloris, dextra parte insculptum SEMPER ACCENDE. Et vidi quod à dextra eiusdem imaginis columba aduolabat ore suo spirans in eandem sculpturam. Atque illa imago dicebat: Ego perfusa sum per interiorem misericordiam, ex qua oritur riuulus qui nullatenus abscondere vult pecuniam, nec aurum, nec pretiosos lapides, nec margaritas coram egenis & in necessitatibus eorum necessariam substantiam non habentibus, ac propterea plorantibus. Nunc consolabor illos & semper reficiam paupertatem ipsorum propter amorem filij Dei, qui suauis & mitis est, ac qui bona sua distribuit in animas iustorum, tangens vulnera peccatorum eorum, propter pœnitentiam.

2 Alia vero imago quæ stabat à dextris eius habebat in pectore suo quasi leonem tanquam speculum lucidum, & à collo suo velut serpentem pallidi coloris in torta flexura virgulæ ad pectus etiam suum dependentem. Et ait: Lucidum leonem inspicio, & propter amorem eius do. Ignitum autem serpentem fugio, sed serpentem in ligno pendentem diligo.

3 Tertia autem imago quæ à sinistris eius erat tunica simili hyacintho rubri coloris induebatur. Et ad pectus eius apparuit Angelus ex vtroque latere suo alam vnam habens: ita vt ala dextra ad dextrum humerum illius imaginis extenderetur, & ala sinistra ad sinistrum humerum illius. Et ipsa imago dicebat: Angelicum habeo consortium, nec cum dissimulantibus se hypocritis ambulo, sed epulor cum iustis.

Imago quoque quæ fuit media trium inferiorum induta erat tunica crocei coloris.

4 Et super dextrum humerum eius candidissima columba stabat, spirans ore suo, in dextram aurem illius. In pectore vero ipsius monstruosum & informe caput hominis apparuit. Iacebant quoque sub pedibus eius quasi species hominum conculcatorum & contritorum ab ipsa. In manibus autem suis habebat chartam expansam & ex vna parte videlicet versus cœlum septem lineis inscriptam, quam legere volui sed non potui, & dixit: Virga amaræ correptionis & flagelli esse volo contra illum mendacem qui filius diaboli est; quia etiam ipse diabolus persecutor ineffabilis iustitiæ Dei est. Vnde illi contraria & molesta causa sum, quoniam nunquam inuenta sum in ore ipsius: ita quod & ego eum de ore meo sicut mortiferum & lethale venenum expuo: quia ipse me nunquam in astutia sua inuenit. Ipse est etiam mihi pessimum ac molestissimum malum omnium malorum, quoniam omne malum ab ipso ortum est. Propterea abijcio & conculco eum in amabili iustitia Dei, quæ mihi inestabiliter sine fine amabilis est: cuius etiam sustentatrix & ductrix ego sum, quia super me solidabitur, & constabit omne ædificium virtutum Dei, quæ ædificant in altitudine. O fortissime & nobilissime Deus attende.

5 Altera autem imago quæ ad dextram eius erat faciem habebat angelicam, & ex vtroque latere suo volatilem alam vnam, in specie tamen hominis vt cæteræ virtutes apparens. Et ait: Ego repugno diabolico certamini quod se eregit contra me pertinaciter dicens: Non possum sufferre vllam tribulationem, sed omnia mihi contraria volo abstrahere à me. Nullum timebo. Quem timerem? Neminem timere volo. Sed qui hoc malum dicunt, abijcientur per me: quia posita sum semper lætari semperque gaudere in omnibus bonis: quia Dominus IESVS est remissor & consolator omnis doloris, quoniam & ipse dolorem pertulit in corpore suo. Et quia ipse etiam est iusta correctio: idcirco & ego volo me illi coniungere, semperque ipsum portare, abijciens de me odium & inuidiam, ac omnia mala. Volo quoque semper faciem lætam in tua iustitia habere ô Deus.

6 Sed tertia imago quæ stabat ad sinistram eius, induebatur tunica alba, viridi colore distincta. Habebat autem in manibus suis modicum vasculum pallidi splendoris, multam lucem vt fulgur ex se reddens, ita quod eadem lux in faciem, & circa collum ipsius imaginis luceret. Et dicebat: Ego fœlix sum. Dominus enim CHRISTVS IESVS facit & parat me pulchram & albam, cum illud mortiferum consilium diaboli effugio, quod semper ruminat infœlicitatem illam scilicet quod Deus abijciatur & diabolus malis operibus attrahatur. Hunc sathanam fugio, hunc abijcio, ipsumque mihi semper molestum habeo, quia amatorem illum desidero, quem assidue amplectar, & quem cum gaudio habeam in omnibus & super omnia. Imago vero quæ in fine huius parietis super lapidem sedebat, induta erat tunica subnigra. In dextro autem humero suo habebat modicam crucem impositam imagine IESV CHRISTI, quæ hac & illac versabatur. Et quasi ex nubibus effulsit in pectus eius quidam splendor miræ claritatis, à se in multos radios diuisus, vt splendor solis à se diuiditur, cum per parua & multa foramina alicuius rei fulget. In dextra quoque manu modicum lignum in modum flabelli habebat, ex cuius summitate tres ramusculi miro modo cum flore pullulauerant. Habebat etiam in gremio suo minutissimos lapillos omnium gemmarum, quos multa solicitudine & diligentia considerabat, veluti mercator res suas diligenter considerare solet, & dixit: Ego mater virtutum, iustitiam Dei in omnibus rebus semper habeo. Nam in spirituali militia & in sæculari strepitu, intra conscientiam meam Deum meum semper expecto. Non damno, non conculco, non sperno reges, duces & præsides, ac cætera sæcularia magisteria, quæ ab authore omnium rerum ordinata sunt. Quomodo licitum esset, vt cinis cinerem sperneret? Crucifixus Dei filius conuertit se ad omnes, eos secundum iustitiam & misericordiam suam mouens. Ego etiam vnamquamque ordinationem & institutionem eius secundum voluntatem ipsius habere volo.

7 Illa autem imago quæ in eodem fine super murum stabat nudum caput & nigros ac crispos crines habebat, faciemque obscuram. Induta quoque erat varia tunica plurimo colore intexta. Et vidi quod tunicam & calceamenta sua exuit stans nuda. Et subito crines ac facies eius resplenduerunt in pulchritudinem albedinis & nouitatis, vt iam nati infantis, atque per totum corpus suum effulsit vt purus & lucidus splendor illucet in claritate. Tunc etiam vidi in pectore eius splendidissimam crucem cum imagine CHRISTI IESV, super arbusculam inter duos flores lilij & rosæ stantem positam, qui se sursum ad illam crucem aliquantulum recuruabant. Vidiq; quod exutam tunicam atque calceamenta sua fortiter excutiebat, ita quod puluis multus ab eis excuteretur. Et ait: Exuo vetus testamentum, & induo nobilem filium Dei cum iustitiis eius in sanctitate & veritate. Propter quod reparata sum in bonis & mutata de vitiis. Vnde & tu Deus meus delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, neque vindictam sumas de peccatis meis. Et cum hæc attentius inspicerem, iterum qui sedebat in throno, dixit ad me: Nullus fidelium qui humiliter vult Deo obedire, dubitet recusare humano magisterio subiacere, quia per Spiritum sanctum regimen in populo, propter efficaciam vtilitatis viuentium dispositum est: illudque in Ecclesiasticis obseruationibus futurum, & fideliter firmiterque habendum in antiquo populo præfiguratum est.

8 Hinc etiam quod vides inter angulum septentrionalem & angulum occidentalem murum pa- *Quid murus arcuatus.*

rietis

rietis prefati ædificij in interiore eius parte totum arcuatum, secundum modum cancellorum, non tamen apertum vt cancellos, sed integrum, hoc est quod ab Abraham & Mose diabolo repugnantibus, quasi in angulo respiciente septentrionem vsque ad veram trinitatem quæ aperte declarata est in vera & Catholica fide, cum à Deo patre filius Dei missus in mundum doctrinam suam abundanter emisit in fine temporum: quasi ad angulum respicientem ad occidentem erat murus, id est Israëliticus populus in lege iustitiæ Dei constitutus, operans in constructione bonitatis patris omnipotentis, scilicet in veteri testamento frænatus, & ei conuinctus: quia post ostensionem asperitatis quæ in zelo Domini excitata est per institutiones veterum prælationum, præsignata sunt regimina nouarum dignitatum. Nam vetus testamentum tendebatur vsque ad nouum; ex se germinans multo maiora præcepta legis noui testamenti, quam primum orta essent in ipso: ita quod de minore factum est maius, de minore videlicet doctrina veterum præceptorum, maior & latior doctrina nouorum: cum vetus testamentum solummodo esset quasi fundamentum primitus positum, super quod ædificata est profundissima sapientia omnis doctrinæ, manifestata in incarnatione filij Dei, tendens à veteri lege circumcisionem vsque ad nouam regulam baptismi maioribus præceptis ornatam.

10 Et ille murus plebs scilicet Iudaica in interiore parte intellectus sui, in quo anima hominis Deum cognoscit, est vbique arcubus circumdata, id est circumquaque per significationem magisterij præcursorum suorum, præcepta legis Dei clamantium, & sibi ostendentium vallata, vt minores per maiores quasi per præcellentes sibi homines ordinari solent iuxta constructionem cancellorum, quæ est typica præfiguratio Spiritus sancti, duras literas perforantis in incarnatione filij Dei, qui cancellos misericordiæ suæ petentibus plenissime demonstrauit. Non tamen apertus est in perforatione ostiarij Spiritus sancti videlicet spiritualem intellectum in veteri lege non denudantis vt postmodum factum est in cancellis misericordiæ in carne manifestati filij altissimi, sed integer manet in duritia legalium præceptorum, quæ postea per Spiritum sanctum in fonte aquæ viuæ elucidata sunt.

Quid in arcubus pictura hominum.

11 Habet quoque in singulis arcubus quasi picturam hominum, quia vt hæc pictura ostendit imaginem hominum, sic in triumphali arcu scilicet in dignitate magisterij positus est homo, in vice Dei. Quomodo? Quoniam profundissima & capitalis sapientia per gratiam Dei posita est in os rationalitatis hominis, vt homo in nomine Dei exerceat officium magisterij, per districtionem iustitiæ & misericordiæ ipsius altissimi.

12 Quod autem in exteriori parte eiusdem muri vides alios duos minores muros, hoc est quod in exterioribus negotiis præter spirituale magisterium est intercepta constitutio populorum maiorum & minorum: qui constituti sunt præcepto Dei, quasi duo muri, quoniam exterior sunt maiores natu ex fortitudine sæcularis potentiæ in mea ordinatione, & medius sunt minores qui consistunt sub potestate & spiritualium & sæcularium personarum, quasi inter interioris præfati muri arcus qui est spirituale magisterium, & exteriorem murum qui est sæcularis potentia, vt dictum est. Vnde duo muri positi extra ambitum interioris arcuati, quia sæculares personæ sunt in terrenis causis, magis videlicet exteriora quam interiora habentes, ita quod tamen sunt in linea constitutionis meæ.

13 Quomodo? Per exterius intelligitur interius, quoniam vt homo cognoscit ex visibili & alta persona hominis, quomodo homo timendus ac orandus & amandus sit, sic etiam in eodem intellectu intelligat qualiter inuisibilis & altissimus Deus metuendus ac venerandus & diligendus sit super omnia. Nam per exteriorem & sæcularem dominationem admonetur homo interioris & spiritualis potestatis diuinæ maiestatis, quæ ita clausa & abscondita est homini, vt non possit carnalibus oculis eius videri nisi quantum fide illius capitur. Et quandoquidem mortali creaturæ Deus inuisibilis est, saltem per visibile magisterium discat homo timere & venerari ipsum altissimum prælationis eius institutorem.

14 Quomodo? Inspiratio diuina dedit in sensus hominum per rationalitatem eorum, vt in recta constitutione inter populos magnæ personæ dominentur, quæ ab illis timeantur ac honorentur. Nam Deus idcirco permisit genus vnum excellere & aliud subiacere, vt ita homines diuiderentur ne inuicem per semetipsos interficerentur & perirent, alioquin otiosi essent nescientes procedere ad agnitionem Dei, nisi hoc præuiderent per timorem & honorem in hominibus. Et ita processit Spiritus sanctus, ducendo populum ad interiorem legem spiritus, qua homo intus & exterius regeretur, donec fons saliens exiuit apparens mundo in plenitudine iustitiæ, quæ regit vtrumque corpus scilicet & animam. Vnde etiam cura sæcularis potentiæ sic constituta est ad vsum terrenarum rerum, vt corpus requirat refectionem ne deficiat & spirituale magisterium ad interiorem suspirationem perueniendi ad seruitutem Dei, vt anima ad cœlestia anhelet. Hæc itaque constituta sunt mea ordinatione, secundum quod etiam Isaac dixit filio suo Iacob: *Esto dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ.*

15 Hoc tale est. Dominus esse debes fratrum tuorum pollens super eos in honoribus & in beatitudinibus, benedictus in benedictionibus quæ mihi à Deo datæ sunt, & inclinentur ante te omnes nati filiorum matris tuæ subiecti tibi, propter præcellentem causam benedictionis tuæ. Ex te enim exiet magnum genus, de quo fortissimus & potentissimus vir exurget: quem fratres eius ipsum fugando persequentur, sed ipse velocissime in maximis viribus suis, quasi leo se illis eripiens, excellentissima dominatione illis dominabitur, & præmet eos in nomine potestatis suæ, quæ nunquam in vilissima cauda eradicabitur, fratribus suis in caudam effectis. Sic & ego pater cœlestis

dixi filio meo incarnato: Esto Dominus omnium nascentium procreatorum de cōcepto semine humano, quos creaui per te: quia tu mirabiliter natus ex virgine non conceptus hominis semine, sed existi de me per flagrantem ignem apparens in terra, verus homo clauso sigillo integerrimæ & castissimæ virginis. Tu ergo es dominus illorum in superna claritate diuinitatis, qui fratres tui sunt propter incarnationem tuam, in qua homo es. Et inclinatio, id est subiectio exhibeatur tibi à filiis matris tuæ scilicet tuæ incarnationis, atque in obsequio piissimæ deuotionis subiiciantur tibi homines nati ex hominibus. Et quoniam filius Dei sic est Dominus omnium creaturarum, per ipsum etiam in voluntate Patris & in tactu Spiritus sancti instituta est dispositio diuersarum potestatum in mundo. Quomodo? Sic videlicet quod Deus abstulit abundantiam & iactantiam illam quod populus populum non honoraret, ita quod vnusquisque faceret quod fieri placeret si hoc Deus inæstimabili sapientia concilij sui non prostrauisset: sed ipse discreuit populum inter populum, minorem scilicet cum ministratione obedientiæ maiori suo subiacere, maiorem vero in omni vtilitatis regimine solerter & deuote minori subuenire: sicut etiam in ascensione Spiritus sancti datum est Iacob per patrem suum, quod esset dominus fratrum suorum, vt & dictum est.

16 Sed in hoc quod ostensum est, quod esset dominus, demonstratum est quod sæculare negotium habet personam dominandi super libertatem aliorum, quibus propter timorem honoris sibi ab eis impensi per potestatem suam parcat, non eos opprimens iure seruitiorum, sed illos habens quasi in dilectione fratrum. In hoc autem quod dictum est quod incuruatio ante ipsum fieret, innuitur seruitium ministrationis illorum, qui per vinculum famulantium dominis suis substracti sunt, vt filij carnis curam carnalem habentes. Sed postquam ipse Iacob hoc dominium per paternam benedictionem fratri suo subripuit, deinde cœlestem celebritatem per lapidem quem erexit in titulum, & per decimam quam se vouit daturum constituit, vt præsignatum est, significans principalem personam in spirituali militia: quia quisque fidelis de minimo gradu ascendere debet ad summum, per sæcularem videlicet potentiam discere superius magisterium clarioris lucis: spiritualis vitæ, in quo adimpletur officium naucleri secundum iter immaculati agni, qui sursum leuauit hominem cum plenitudine & bonitate omnis iustitiæ scilicet erigens hominem prostratum insidiis peruersi raptoris.

17 Vnde etiam hæc duo instituta ad terrena videlicet & ad cœlestia procedentia in quatuor & quatuor partes diuiduntur, quia Deus magnam vim scientiæ rationalitatis hominibus dedit ita vt in accensione Spiritus sancti hæc in semetipsis scrutarentur in figura quatuor elementorum, plus prædictis duobus modis addentes: quod non aspernor nec abiicio: quoniam qui in nomine meo multiplicat quod minus est, dignus est mercede & non abiectione: quæ etiam quatuor partes tam in sæcularibus grauaminibus quam in spiritualibus institutis sunt. Quomodo? Quia in sæcularibus causis sunt nobiles & nobiliores, sunt & famulantes atque obsequentes. In spiritualibus vero sacramentis sunt præcellentes & superiores, sunt & obedientes atque corripientes.

18 Ego autem illas officiorum causas ordinatione mea constitutas omnino rapi nolo furtiuo munere emptionis in venundatione, sed volo vt eis rationabili causa assistatur, ita vt qui ipsas suscipiunt vtiles sint coram Deo & hominibus. Sed ô quidam venenati scorpiones iustitiam meam transgrediuntur, & eas mortifero veneno auaritiæ & superbiæ subripiunt, non solum in sæcularibus præposituris, sed etiam in dispositionibus spiritualibus. Rapina autem sæcularium dignitatum, terrena scilicet per terrena comparata est quidem, seuerissime in iracundia zeli mei examinanda: sed tamen maioris ponderis & examinationis est rapina spiritualium. Nam sæculares sunt in exterioribus caro de carne, spirituales autem in interioribus spiritui coniuncti. Sed quamuis sæculares in exterioribus occupentur curam terrenam habentes, tamen sub illa specie ad interiora spiritus in regimine suo deberent anhelare: spirituales vero in specie religionis & in contemptu sæcularium positi, interius in corde patris omnipotentis ordinati, multo magis sub spirituali nomine deberent filium eius in summo sacerdotio ardenter imitari: quia sicut filius Dei exiuit de corde patris sui, ita constituit pater apud semetipsum in filio suo personas magistrorum, qui in tam egregiam ordinationem positi sunt propter vtilitatem Ecclesiæ, & in recto opere Deo coniuncti.

19 Quomodo? Qui in compunctione & probatione cordis atque in maturo sensu sunt, quod mihi omnino perspicuum est bonam videlicet conscientiam habentes, ita vt peruerse & contrarie magisterium non appetant, illud nec diabolica arte scisitantes, nec per pecuniam aut per sæcularem potentiam acquirentes, nec inde volantia verba laudis humanæ quærentes, sed illud vera electione mea & populi, in humilitate suscipientes, hi charissimi & probatissimi custodes, atque certissimi amici mei sunt.

20 Sed qui retro incedunt & illud alio modo in tenebris acquirunt videlicet per sæcularia terrenorum furtim mysteria cœlestium diripientes, faciem meam fugiunt, atque animas suas acriter occidunt: in hoc me deridentes, quia sic me denegant & contra voluntatem meam calcitram. Quomodo? Quia ipsi despiciunt me non desiderantes potestatem magisterij adipisci per me, ita vt interiores oculos cordis sui ad me eleuent sic dicentes, placet hoc Deo an non? sed vnusquisque eorum dicit in semetipso: etiam si hoc malum est apud Deum, ego tamen hoc accipiam confidens in Domino, quod quandoque viuens adhuc in corpore pœniteam: & tali modo acquirunt magisterium absque me Deo viuo, ita quod nec hoc à me postulent, nec se ad hoc mea voluntate peruenire confidant: sed in hoc ardore à facie mea fugiant sic rapientes magisterium, à misericordia mea naufra-

fragantes. Isti non sunt intra in corde summi patris, sed sunt extra in parte aquilonis, qui in his causis est princeps eorum, nolentes quærere me creatorem omnium, sed propriam voluntatem suam quam pro Deo habent sequentes & me derelinquentes. Nam nolunt scire me, nec ego eos. Concupiscentia ipsorum suggerit eis quod volunt. Et quia timorem meum habere recusant, idcirco & ego nolo eis tunc resistere in terrore iræ meæ, vt eis repugnetur in die illa in qua nihil amplius prævalere possunt: ipsi autem per me dimissi in hac vita, responsuri in futuro tremendo iudicio de his quæ faciunt: me videlicet scientes in fide, sed in his quæ perpetrant ad me respicere nolentes.

Longitudo murorum 21 Nunc autem vt vides quod præfati duo minores muri sunt longitudinis spacij, quod est à prædicto angulo septentrionali vsque ad angulum occidentalem, hoc est quod in constitutione populorum maiorum & minorum cum extensione longitudinis humani temporis ab Abraham scilicet & Mose, quasi à septentrione vsque ad manifestationem Catholicæ fidei in veram Trinitatem, quam fidem filius meus à me missus in mundum vt ad occidentem, edocuit, extiterunt in lege mea populi & principales eorum magistri præcurrens videlicet germen & exemplum populi noui testimonij à zelo meo vsque ad filium meum in carne natum tendentes, vt fuerunt & sunt & semper erunt interpositæ differentiæ in hominibus interiorum & exteriorum, id est spiritualium & sæcularium, maiorum atque minorum. Qui sunt ipsis angulis ex vtraque parte sui coniuncti iuxta modum testudinis, quoniam tam veteri quam nouo testamento ex vtroque latere initij sui, in honore & magisterio coadunati declarantur populi: & hoc in similitudinem testudinis, quod est in authoritate diuinæ prouidentiæ bene & digne compositi ad statum ædificationis cœlestis Hierusalem.

Altitudo. 22 Quod vero altitudo eorum duorum minorum murorum est cubitorum trium, hoc est quod in subleuatione rectitudinis duarum sæcularium, conditionis scilicet maiorum & minorum, tres partes sunt hominum, id est præcellentiores rectores, & alij à vinculo seruitutis famulantium liberi, atque communis populus prælatis suis in subiectione substratus.

Latitudo. 23 Vnde etiam latitudo inter interiorem arcuatum murum & medium est vnius cubiti, quæ est amplitudo dignitatis inter superiores personas spiritualis magisterij & inter minora vocabula terrenæ seruitutis, in vnitate fidei secundum Deum ad corripiendum subditos suos constituta.

24 Atque inter exteriorem & eundem medium est latitudo vnius palmi quasi puerilis manus, quia est etiam inter inferiorem potestatem sæcularis regiminis: & inter subiectionem sæcularis ministrationis extensio iustæ considerationis, ita vt hæ vnanimi & simplici deuotione puerilis innocentiæ seinuicem tangant in manu coniunctæ operationis suæ.

Quid sex imagines. 25 Sed quod intra idem ædificium vides sex imagines ante prædictum arcuatum murum super pauimentum ipsius ædificij stantes, hoc est quod in opere bonitatis Dei sex virtutes extenduntur, cæteras virtutes præfigurantes, vt Deus in sex diebus creaturas suas creauit: ipsæ videlicet virtutes in figura futurorum ante murum, id est ante Israeliticum populum diuina lege frænatum, & magisterio ac defensione præcursorum suorum circumuallatum apparentes, cum etiam pauimentum terrenarum curarum in eadem constructione summi patris in hac significatione conculcant, vt Christiana militia per ipsas se diabolo opponat.

Tres in fronte. 26 Quapropter tres stant iuxta se in fronte ipsius muri prope angulum qui respicit ad septentrionem, quia sancta Trinitas inseparabilis in virtute maiestatis suæ, in initio veteris testamenti ab Abraham & Mose diabolo oppositis inchoati, per diuersas & secretas figuras designata est. Et tres etiam simul in fine parietis eiusdem secus angulum qui tendit ad occidentem, quoniam eadem Trinitas in vnitate diuinitatis regnans, in fine eiusdem defluentis legis aperto nomine suo prædicata est, nato in carne filio Dei ob redemptionem hominis ad occasum tendentis. Quæ omnes picturam in arcubus eiusdem muri inspiciunt, quia semper pari deuotionis studio in hominibus magisterium ordinationis Dei per potentiam eius in lege tam noui quam antiqui testamenti designatum attendunt, considerantes qualiter in ipsis perficiatur. Quod autem in ipso fine eiusdem parietis vides aliam imaginem intra idem ædificium super lapidem vnum in modum sedis in pauimento positum sedentem, hoc est quod in ipsa repositione veteris legis antiqui populi, & in initio nouæ fidei inchoata in vera Trinitate: cum Deus omnes constantes virtutes in Ecclesia construxit, decenter etiam apparuit virtus hæc in opere summi patris, operans in eo per hominem vsque ad consumationem mundi. Vnde sedet etiam super fortissimam petram, super vnicum scilicet Dei filium, qui sedes & quies est omnium fidelium caduca despicientium, & in se pura fide credentium. Et latus dextrum ad murum inclinat, quia in quietis rectitudine & in saluationis parte huic populo qui sub magisterio dispositione Dei positus est, adhæret, ita vt & ipsi maiores cum minoribus eam in operibus suis excolant. Faciem vero suam ad columnam veræ Trinitatis vertit, quoniam in omni re intentionem suam ipsi trinitati acutissimo visu iustæ considerationis intendit: vt sicut perpetua Trinitas in tribus personis inuiolabiliter consideranda est, ita omnes Deum colentes, eam in factis suis diligentissime considerent, & considerando non relinquant. Sed quod in eodem fine vides alteram imaginem super eundem murum in altiori loco stantem, hoc est quod etiam in translatione vmbræ legis antiquæ, in fide sanctæ Trinitatis clarescente vera luce iustitiæ, hæc virtus in principali magisterio & fideli populo in cacumine saluationis cœlestis desiderij eleuata est stans, pugnans contra vitia in filio Dei erecta: quia ab ipso incepit, & cum ipso in cœlesti Hierusalem post finem sæculi permanebit. Quæ etiam ad prædictam

Tres in fine.

Quid imago in fine.

Quid imago altior.

ctam columnam verę Trinitatis versa est, quoniam per sanctam & ineffabilem Trinitatem confortata, reducit animas ad patriam

Quid similitudo imaginũ.

27 Quod vero in ipsis imaginibus conspicis similitudinem, hoc est quod eædem virtutes vnanimes sunt in diuersitate donorum Dei. Quapropter indutæ sunt etiam vt priores imagines quasi sericinis indumentis, quæ sunt circa eas, vt circa reliquas virtutes suauissima opera: quæ in diuina lege cultores Dei ipsi exhibent, facientes ea in iustitia veritatis: & candidis calceamentis, quia in ardore earum est etiam candor sequendi exemplum bonorum actuum in hominibus. Sed illa quæ à dextris media harum trium est quas in extrema parte eiusdem parietis vides, tota tantæ puritatis tantæque claritatis existit, vt præ multo splendore nullam eius formam perfecte intueri possis, quoniam virtus illa cum salute veræ confortationis per donum sanctæ Trinitatis, in fine sanctæ veteris austeritatis exurgens, omnis perlucida & pura est, carens cuncta indignatione diabolica in claritate læti gaudij vnanimitatis hominum: ita vt præ multitudine gloriæ & honoris quem habet in cœlestibus, nulla ratione inæstimabilis vnanimitas ipsius, quasi forma eius, ab vllo mortali homine valeat considerari, nisi quantum Deus reuelare dignatus fuerit. Et illa quæ super murum stat nigris calceamentis calceata est, quia tam in altiore dignitate quam in minore ante incarnationem filij mei mortis signum & vestigium fuit in hominibus. Sed quod omnes sine palliis sunt, hoc est quod pariter terrenos cultus & exteriorem textum legalis institutionis abiecerunt, intrinsecus veram iustitiam inspicientes: præter mediam illarum trium quæ in prima parte eiusdem muri stabant, quæ pallio induitur, quoniam ipsa sub defensione Dei in initio præceptæ austeritatis deludans circumdata est comprehensione amoris Dei, in qua cœlestem thesaurum abscondit, abiecto desiderio carnalium. Et duæ trium superiorum quæ ad dexteram scilicet & ad sinistram mediæ imaginis stant, & duæ trium inferiorum media videlicet & quæ ad sinistram eius est, non habet muliebria velamina in capitibus suis nudis, tantum albis crinibus stantes, quia lex & Prophetæ per virtutem supernæ maiestatis emanantes & vitam ac mortem sua fortitudine ostendentes, cum duobus præceptis geminæ dilectionis per eandem diuinam potentiam subsequentibus atque constantiam intimæ circumspectionis habentibus in contrariis, & gaudium suauitatis in diuinis fideliter soluti sunt ab omni subiectione vllius doloris seu laquei mortis, in capite in Christo videlicet filio meo, nuda tamen coma fulgentes in candore virginitatis, quia diuinitas virgineam naturam in virgine Maria valde dilexit. Sed quod media trium priorum, & illa quæ super lapidem iuxta murum sedet sunt velato capite candida velatura capitis, vt mos est mulierum, hoc est quod ipsæ in auxilio supernæ altitudinis & in stabilitate conuersationis beatæ quietis, blande ac dulciter ligatæ sunt forti ligatura subiectionis, Deum caput omnium fidelium in albedine piæ deuotionis venerando: vt maritus ab vxore syncera charitate honorari debet. Et media trium superiorum & quæ ad dexteram eius stant vestitæ sunt tunicis candidis, quia per eandem virtutem diuinæ maiestatis in suauissima beatitudine emanant lucidissima & candidissima opera earum in hominibus, stabilita sub lege Domini cui coniunctæ sunt. Sed quod etiam vides dissimilitudinem in eis, hoc est quod diuersas vires habet in Deo, concorditer ipsum tamen colentes.

Quidimãgo media.

28 Propter quod imago quæ stat in medio trium superiorum præfigurat abstinentiam, quoniam ipsa in primo certamine est quasi ciuitas & firmamentum, atque ornamentum sibi adhærentium virtutum, continens se à peccato in grauitate morum. Ita quod perscrutatrix & recusatrix est cunctorum puerilium in malis, nullam petulantiam habens in se, & apparens quasi mater in medio earum virtutum quæ Trinitatis gloriam in initio datæ legis antiqui populi designant. Et habet in capite suo in modum coronæ circulum crocei coloris dextra parte insculptum, semper accende, quia ipsa per summum caput coronata est croceo radio splendidissimi solis, scilicet filij Dei in cuius claritate tota comprehensa est & nullum appetens nisi illum qui etiam in dextra parte saluationis animæ eam semper accendit. Vnde vt vides à dextra eiusdem imaginis columba aduolat, ore suo spirans in eandem scripturam: quoniam in dextera cœlestis prosperitatis adest donum veræ simplicitatis, videlicet Spiritus sancti in abstinentia quæque bona per supernam inspirationem in saluatione animarum accendentis: vt etiam illa virtus demonstrat in supradictis verbis suæ admonitionis.

Quid imago à dextris.

29 Alia vero imago quæ est à dextris eius, significat largitatem, puerilis simplicitatis existentem, nec omnino astutiam aut duritiam aduersus dolores hominum habentem: cum qua abstinentia se semper aufert ab omni asperitate in dextris bonorum operum, sic tendens ad Deum: quia largitas initium operationis eius est, cum primum abstinentia opus suum aggreditur. Quę habet in pectore suo quasi leonem tanquam speculum lucidum, qui est in corde illius filius meus Christus Iesus, leo fortissimus veluti, speculum piæ & splendidæ dilectionis concussum. Quod autem à collo suo gestat velut serpentem pallidi coloris in torta flexura virgulæ ad pectus etiam ipsius dependentem, hoc est quod quasi colla fortissima scilicet patientiam idem filius meus prudentissimus in pallore angustiatæ carnis sustinuit flexuram pœnarũ cum exaltatione crucis in medicamento videlicet omnium vulnerum quod largitas per cœlestem amorem pectori suo imprimit illud frequenter inspiciens in mentibus hominum, sicut etiam in prædictis verbis exhortationis suæ fatetur.

Imago à sinistris.

30 Tertia autem imago, quæ à sinistris eius est, declarat pietatem nullo modo habentem odium aut inuidiam, aut vllam fœditatem hominis, sed semper gaudentem & amplectentem prosperitatem omnium hominum, cuius viriditate & largitatis vnctione abstinentia, sinistræ parti diabolicæ

suf-

ſufflationis reſiſtit: quoniam pietas eſt plenum opus abſtinentiæ in ſignifera pugna per quam ſemper victrix exiſtit. Vnde etiam tunica ſimili hyacintho rubri coloris induitur, quia ſplendidiſſimo opere ſub quo pulcherrima ſuſtentatione ſanguineæ contrarietates latent, omnes ſcilicet iniurias pati, poſt paſſionem filij mei per ipſius exemplum circumdata eſt. Quod vero ad pectus ipſius apparet Angelus ex vtroque latere ſuo alam vnam habens, hoc eſt vt homo in cognitione ſua ſemper angelicum ordinem imitetur, vnamquamq; Dei ordinationem diligendo, cum ex vtraque parte ſui tam proſperarum quam contrariarum rerum in ſingulis & geminis alis videlicet in vno Deo per geminam virtutem non elatus ſupra modum in bonis, nec omnino proſtratus in malis ſe eleuat ad volandum, quod eſt Deum in puritate cordis aſpicere, ſic ſurſum tendendo & non ad terram ſe deiiciendo. Quapropter etiam ala dextra ad dexterũ humerum eiuſdem imaginis extenditur, quoniam proſperitas hominis in dextra ſaluationis animarum ad auxilium pietatis porrigitur, cum filius meus hominem reportauit in patriam. Et ala ſiniſtra tendit ad ſiniſtrum humerum illius, quia in ſiniſtra contrarietatis diabolicarum inſidiarum fidelis homo volatilem pẽnam, per quam abiiciat opera tenebrarum, ſurſum extendit ad refugium filij mei, per quem fortis contra omnem aduerſitatem exiſtit, imitans vitam iuſtorum: vt etiam virtus hæc in dictis ſuis declarat, quomodo ſupra oſtenſum eſt.

Media inferiorum imaginũ.

31 Imago quoque quæ eſt media trium inferiorum prætendit veritatem, quia poſt abſtinentiam & illi cohærentes virtutes ſurgit veritas in omnibus cauſis: cum ſibi aſtantibus imaginibus, veluti turris & tutamen earum exiſtens, videlicet forte præſidium deſignans, quaſi in medio virtutum ſanctam Trinitatem in occaſu Iudaïcæ conſuetudinis & in ortu veræ fidei præfigurantium. Super cuius dextrum humerum candidiſſima columba ſtat ſpirans ore ſuo in dextram aurem illius, quod eſt in ſuperiore parte dextræ ſcilicet beati reditus per incarnationem filij Dei ad vitam apparens admirabilis virtus Spiritus ſancti, qui ſpirauit tactu ſuo in dextrum auditum, id eſt in corda credulorum hominum, vt intelligant quid Deus in ſua diuina potentia ſit. Quod autem in pectore ipſius monſtruoſum & informe caput hominis apparet, hoc eſt quod Deus in cordibus electorum ſuorum miſerias & perſecutiones principum eſſe permittit, ſicut & filius eius pati voluit à principibus Sacerdotum. Et quoniam Deus eſt in corde fidelis hominis, ideo debet & ipſe homo pro Dei amore patienter ſufferre Dei perſecutionem: atque quia mors in caſu diaboli erecta eſt, idcirco oportet & fidelem hominem aduerſus diabolicas nequitias multa certamina in diuerſis ærumnis ſuſtinere, quę ſæpe ipſius corpori laborioſę & cõtrariæ ſunt: quoniam homini adhæret, quod idem antiquus ſerpens ſemper perſequitur. Quid eſt hoc? Carnis concupiſcentia, cui ille malignus hoſtis in inſidiis poſitus inſidiatur. Quod vero iacent ſub pedibus eius quaſi ſpecies hominum conculcatorum & cõtritorum ab ipſa, hoc eſt quod ſub veſtigiis veritatis, omnes diabolicæ falſitates quæ in operibus hominum fiunt, ad nihilum deducuntur, ipſa amorem habente ædificationis Eccleſiæ cum omnes virtutes manifeſte apparent & probantur in veritate, quæ ante tempora ſæculorum in corde patris latens, fuit inuiſibilis, ſed in fine temporum viſibilis apparens in vera carne filij Dei. Vnde etiam in manibus ſuis habet chartam expãſam & ex vna parte, videlicet verſus cœlum ſeptem lineis inſcriptã, quia in omnibus operibus veritatis, eſt textura expanſa per gratiam Dei Chriſtiano populo conſtitutæ legis, & ex parte cœleſtium deſideriorum aperto cultu tenenda & ex parte carnalium cupiditatum metuenda, oſtendens in ſe ſeptem dona Spiritus ſancti, videlicet inexpugnabile firmamentum contra diabolicas mortis inſidias. Et illam legere vis ſed non potes, quoniam quamuis homo multum deſideret ſcire myſteria & occulta in donis Dei tamen non eſt ei poſsibile dum eſt grauatus mortali corpore intelligere, aut capere quid Deus in mirabilibus ſuis fieri velit: ſed ipſe homo amplectatur & comprehendat ea in veritate, videlicet ſequendo præcepta Dei, ſicut etiam hæc eadem virtus in prædictis verbis ſuis oſtendit.

Imago ad dexteram

32 Altera autem imago quę ad dextram eius eſt, deſignat pacem, ſupernum ſignum & angelicum conſortium habentem: quia in plena viriditate veritatem germinat, quoniam eadem veritas circumdata eſt eximiis & ſupernis donis in dextra parte ſaluationis animarum habens pacem per filium Dei. Quomodo? Vt ſcriptum eſt in angelico carmine, vbi dicitur: *Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc tale eſt. In altiſſimo Deo fulget homo & Deus in homine, quia filius Dei mirabiliter incarnatus eſt. Ideoq; laudabilis & glorioſus eſt in cœlo Deus, ab omni creatura ſua. Vnde etiam in terra ſit pax ſaluationis illis hominibus, qui voluntatem patris cum deuotione & fide ſuſcipiunt: quia etiam pax bonæ voluntatis eſt voluntas totius bonitatis patris, quæ filius eius eſt, qui eſt Deus & homo. Et quomodo eſt ipſe pax? Ipſe eſt pax hominum, defendens eos ab inſidiis antiqui ſerpentis, qui primus præuaricator extitit, qui lumen vitæ perdidit deiectus in tenebras: quod lumen pax vera id eſt verus Dei filius attulit hominibus, ita quod ipſi facti ſunt participes regni Dei in beato loco quem perdidit diabolus. Et vt vides prædicta virtus faciem habet angelicam, quoniam ipſa fugit ab omni malo in intentione ſancta, quaſi in facie ſua Deum aſpiciens cum angelico deſiderio. Vnde etiam ex vtroque latere ſuo volatilem alam vnam habet, quoniam in vtraque parte tranquillæ ſcilicet & turbidę oſtenſionis, ſurſum ad Deum tendit non faciens terrorem nec amaritudinem, ſed ſemper in proſperitate placida exiſtens vnum Deum in vnanimitate duarum alarum comprehendit: quia nulla tempeſtate inſtabilitatis nec in bono nec in malo euerſa, tantum in tranquillitate perſiſtit. Et in ſpecie hominis vt cæteræ virtutes appareat, quia per filium Dei mirifice claruit, cum etiam omnes virtutes per illam in hominibus probantur,

bantur, ita quod nullo modo contentionem aut rixam quærit, sed semper in lenitate, sic se diabolicæ pugnæ opponens vt etiam supra in verbis locutionis eius manifestatur.

Imago ad sinistram. 33 Sed tertia imago quæ stat ad sinistram eius, indicat beatitudinem æternam vitam appetentem: per cuius fidelitatem & intimam lenitatem, veritas à sinistris omni fallaciæ serpentinæ persuasionis hominem decipientis ipsi consentiente contradicit, quia beatitudo est inuicta securitas veræ claritatis, in qua ipsa infœlicitatem mortis non timet. Propter quod etiam induitur tunica alba, viridi colore distincta, quoniam circumdata est fidelibus operibus in cœlesti desiderio albescentibus, atque multimodis donis in viriditate Spiritus sancti virentibus decoratis. Quod autem habet in manibus suis modicum vasculum pallidi splendoris, hoc est quod in opere suo demonstrat qualiter in paruo retentaculo id est in contrito secreto cordis sui, homo Deum per fidem apprehendat, in pallore tamen fragilitatis humanæ carnis: quia fides etiam in ipsa mortali vita pure colenda est, vbi miseria hominis non deserit. Vnde etiam multam lucem vt fulgur ex se reddit, ita quod illa lux in faciem & circa collum ipsius imaginis luceat, quoniam cognitio æterni luminis & in timore & in dilectione Dei diffunditur, videlicet tendens de interiori corde hominis vsque ad faciem, id est vsque ad inceptionem recti operis, in bono exemplo intentionem suam manifestantis, & circa collum quod est postea vbique prudenter fortitudinem comprehendentis in completo opere, cum illud in homine ante Deum præclarius sole fulget per beatitudinem, sicut etiam in prædicta manifestatione eiusdem virginis declaratur.

Imago super lapidē 34 Imago vero quæ in fine muri super lapidem sedet, prætendit discretionem: quia ipsa in consumatione antiquæ obseruationis in Christo requiescens, plenius apparuit, solertissima existens cribratrix omnium rerum, tenens scilicet quod tenendum est & abscindens quod abscindendum est, vt triticum à lolio separetur. Et induta est tunica subnigra, quoniam circumdata est mortificatione carnis, abiiciens leuitatem totius vanitatis. Quod autem in dextro humero suo habet modicam crucem impositæ imagine Iesu Christi, hoc est quod eadem virtus radicem posuit in dextra parte potentiæ fortitudinis Dei, cum Deus omnipotens misit filium suum mirabiliter incarnari & humiliter pati cuius dilectioni coniuncta est discretio, quoniam ab ipsa manifestata est, vt per eam omnis iustitia discernatur. Et vt Deus est dispensator conuenientis staturæ hominis, ita est discretio imitatrix illius in officio suo, opera sua videlicet adimplens in dispensatore crucifixo filio Dei, cum ipsa in vtraque dignitate est diuinitatis scilicet & humanitatis. Quæ hac & illac versatur, quia in comprehensione latitudinis per significationem sanctæ crucis circuitum inter bonos & malos habet. Quod vero quasi ex nubibus effulget in pectus eius quidam splendor miræ claritatis, hoc est quod de misericordia Dei quasi de nube clarissima, accensio diuinæ pietatis aspiratur in mentes hominum, discretionem in eis faciens, eosque illuminans. Vnde etiam à se in multos radios diuisus est vt splendor solis à se diuiditur, cum per parua & multa foramina alicuius rei fulget, quoniam Spiritus sanctus in superna virtute diuersos radios donorum suorum diuidens hominibus, eos scilicet lucidiores sole & ineffabiliter discretos in humilibus cauernis id est in perspicacibus visibus animarum fidelium suorum diffundit, illustrans sensus & mentes eorum, ita vt acutissime in quibusque causis intelligant quod eis apte in Deo faciendum sit. Sed quod in dextera manu modicum lignum in modum flabelli habet, hoc est quod discretio in dextra parte saluationis animarum, opus suum per donum Spiritus sancti in hominibus quasi in ligno fragilis carnis semper considerat, hoc signum tamen in se habentis, vt à se per diuinum auxilium diuersas muscas diabolicarum videlicet persuasionum abigat, ne per eas in diuersas vanitates dispergatur. Propter quod etiam ex eius summitate tres ramusculi miro modo cum flore pullulant, vt fideles homines super omnia & in omnibus sanctam Trinitatem in mirabilibus suis semper florentem, fideliter credant in vnitate diuinitatis gloriosissimæ regnante, non temere in seipsis cœlestia secreta examinantes: sed sicut Deus omnia opera sua in diuersis creaturis suis iuste & discrete disponit, sic etiam ipsi homines per vim discretionis cuncta facta sua bene & recte dispensent. Quod autem habet in gremio suo minutissimos lapillos omnium gemmarum, quos multa solicitudine & diligentia considerat veluti mercator res suas diligenter considerare solet, hoc est quod ipsa in sinu mētium hominum, omne quod aptum & conueniens est in minutissimis consiliis & artibus eorum, continet quasi in gemmis virtutum vnamquamque iustitiam à Deo constitutam cauta & diligenti examinatione perquirens, vt congrue & iuste in omnibus rebus procedat in cordibus hominum propter mercedem operis acutissime considerans, vbi est remuneratio in Deo: vt etiam in verbis suis quomodo præmonstratum est propalat.

Imago super murū 35 Illa autem imago quæ in fine stat super murum, significat saluationem animarum: quoniam ipsa in occasu veteris duritiæ effulsit in culmine authoritatis nouæ gratiæ, ita quod quasi fundamentum eius existat discretio, cum qua & super quam apparet eadem saluatio animarum, orta in filio Dei cum natus est ex virgine pro salute hominum. Et nudum caput & nigros ac crispos crines habet, quia nuda est à seruitute subiectionis liberæ scilicet dignitatis manens: quoniam filio Dei aperte adhæret, à quo etiam clementer suscitata est: nigredinem tamen patiens capillorum, quoniam in Iudaica plebe obfuscata apparebat, nō habente veram claritatem, sed multiplicem diuersitatem, quasi crispam comam diuersarum obseruationum. Habet quoque faciem obscuram, quoniam ante incarnationem filij Dei, in vmbra mortis non visa est retinere fœlicitatem æternæ salutis. Vnde etiam induta est varia tunica, plurimo colore intexta, quoniam in veteri populo mul-

multis modis circumdabatur varietate operum, immixta diuersitate multorum vitiorum. Sed quod vides quomodo tunicam & calceamenta sua exuit stans nuda, hoc est quod in passione filij mei, morte absterſa cum etiam post aduentum Spiritus sancti sonus & verba Apostolorum emissa sunt in mundum, excitata est in saluatione animarum, ita quod ipsa spernens mala opera, & abiiciens contraria vestigia exuta est, fortiter denudata diabolica magistratione intra seipsam sic dicens: O tu turpissime diabole, nunquam relinqueres me, si non redempta essem in sanguine Agni. Nam in lacu inferni voluisti retinere me, sed nunc gratia Dei liberata sum. Et sic crines ac facies eius resplendent in pulchritudine albedinis & nouitatis vt iam nati infantis, quia post incarnationem filij mei creuit multus populus in figura criminum illius, bene illuminatus in interiore facie animæ, adhærens veræ & splendidæ iustitiæ: ita quod exquirebat fœlicitatem æternam, confidens in albedine vitæ & in liberatione fidelium membrorum Christo capiti suo adhærentium per nouam regenerationem, & per veram infantiæ innocentiam saluari in vita cœlesti: atque per totum corpus suum effulget vt purus & lucidus splendor illucet in claritate, quoniam ipsa quasi per omnia sua membra per fidelem scilicet populum sibi per filium meum subiectum facta est pura, in columbina simplicitate, clara in lucidissima pulchritudine iustitiæ Dei. Quod autem vides in pectore eius splendidissimam crucem cum imagine IESV CHRISTI, super arbusculam inter duos flores lilij & rosæ stantem positam, qui se sursum ad eandem crucem aliquantulum incuruant, hoc est quod eadem virtus facta est credentium populorum forte præcordium in passione IESV Saluatoris, qui martyrio suo in vestigiis boni & recti exempli sui, arborem mortis & perditionis Adæ depressit atque contriuit, aduersus quam etiam duo testamenta scilicet vetus in candore & nouum in rubore illi repugnantia per dispositionem Dei procedebant, se in altitudine spiritualis intellectus ad passionem eiusdem pij & nobilissimi redemptoris, atque ad omnem iustitiam eius à perditione mortis reflectentia. Vnde vides etiam quod exutam tunicam atque calceamenta sua fortiter excutit, ita quod pulueris multus ab eis excutiatur, quia saluatio animarum ostendit in nouis & iustis operibus hominum, abstractam tunicam prioris consuetudinis & omnium vitiorum veterum delictorum, atque abiectum malum exemplum transgressionis Adæ, fortissima examinatione ea discutiens atque contemnens; & puluerem vanæ gloriæ aliorumque peccatorum à se proiiciens, sicut etiam superius in prolocutione sua de seipso confitetur. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardenti amore speculi mei, ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

* *
*

VISIO SEPTIMA.

1 DEINDE vidi in angulo occidentali demonstrati ædificij mirabilem & secretam atque fortissimam columnam colorem purpureæ nigredinis habentem, eidemq; angulo ita impositam vt & intra & extra ipsum ædificium appareret. Quæ etiam tantæ quantitatis erat, vt nec magnitudo nec altitudo ipsius intellectui meo pateret, sed quod tantum miro modo planissima absque omni ruga fuit. Habebat autem in exteriore sui parte tres angulos calybei coloris à pede vsque ad cacumen ipsius, velut acutissimus gladius incidentes: quorum vnus contra Africam respiciebat, vbi plurimum putridi straminis ab eo succisum & dispersum fuerat: & vnus contra chorum, vbi multæ pennulæ per illum discissæ ceciderant: atque medius contra Occidentem, vbi plurima putrida ligna ab ipso defecta iacebant, hæc singula ab eisdem angulis propter temeritatem ipsorum succisa. Et iterum ille quem aspiciebam in prædicto throno sedentem & hæc omnia mihi demonstrantem dixit mihi: Hæc mystica & admiranda atque ignota plenissima dona, quæ tibi ô homo clarissime apparent in vero lumine tibi demonstro, tribuo dicere & ostendere ad accendendum ignea corda fidelium, qui purissimi lapides sunt ad ædificationem cœlestis Hierusalem. Nam sancta & ineffabilis Trinitas summæ vnitatis, sub iugo legis seruientibus occultata, sed in noua gratia de seruitute libertatis manifestata, simplici & humili corde, in tribus personis vnus & verus Deus à fidelibus credenda est: & non temere perscrutanda est, ne qui noluerit contentus esse dono quod à Spiritu sancto accepit, dum plus quærit quam oporteat propter temeritatem elationis suę potius in deterius cadat, quam id quod indecenter appetit inueniatur. Quod & visio præsens ostendit.

Quid columna in occidentali angulo.

2 Hæc enim columna quam vides in angulo occidentali demonstrati ædificij, in figura veræ Trinitatis est: quoniam Pater, Verbum & Spiritus sanctus vnus Deus in Trinitate & eadem Trinitas in vnitate existens, perfecta columna totius boni & penetrans summa & infima, regensq; vniuersum orbem terrarum. Quę in plaga Occidentis apparet, quia Filius Dei sub tempore quasi in occasu incarnatus, Patrem suum vbique glorificauit, & Spiritum sanctum discipulis suis promisit: cum etiam idem Filius in voluntate Patris mortem subeundo adimpleuit bonum hominibus, vt & ipsi in ædificio summi Patris recte incedant, vera & iusta opera in Spiritu sancto perficiendo. Sed mirabilem, secretam atque fortissimam se ostendit, quoniam Deus in creaturis suis tam mirabilis existit, vt nullo modo ab eis ad finem perduci possit, tamq; secretus vt nulla earum scientia vel sensibilitate pertinaciter sit examinandus, atque tam fortis quod omnis fortitudo ipsarum ab eo dirigatur, nec eius fortitudini valeat comparari.

Quid nigredo purpurea,

3 Quod autem colorem purpureæ nigredinis habet, eidemque angulo ita impositа vt & intra & ex-

& extra ipsum ædificium appareat, hoc est quod in voluntate Patris vnicus Filius eius purpureum sanguinem suum pro nigredine peccatorum hominum fundens, & sic passione sua mundum saluans, veram & rectam fidem credentibus attulit: quia in defectu veteris obseruationis, & in ortu nouæ sanctificationis cultus sanctæ Trinitatis manifestissime declaratus est: cum aperte creditum est, quod supernus Pater Filium suum misit in mundum de Spiritu sancto conceptũ: qui gloriam Patris & non suam quæsiuit sanctiq; Spiritus profundam consolationem aperuit, vt dictum est: ita quod hoc in nulla parte lateret, quin & fidelibus in opere Dei manentibus, & infidelibus extra fidem positis denunciaretur. Et quod tantæ quantitatis est vt nec magnitudo nec altitudo ipsius intellectui tuo pateat, hoc est quod eadẽ Trinitas tam ineffabilis gloriæ & potestatis est, quod nec in magnitudine maiestatis, nec in altitudine diuinitatis vllo circuitu aut præsumptione sapientiæ humanæ mentis determinari possit. Miroque modo planissima absque omni ruga est, quoniam quod admiratione dignissimum existit, mitissima est in gratia & semper benigna planaque in suauitate iustitiæ occurrentibus, ita vt nihil rugosum vllius iniustitiæ in ea inueniatur, iusta & bona existens in parte saluationis.

Quid anguli calybei coloris

4 Quod autem habet in exteriore sui parte tres angulos calybei coloris à pede vsque ad cacumen ipsius velut acutissimus gladius incidentes, hoc est quod contrarietate tenebrarum opposita in vniuerso mundo ineffabilis Trinitas in vnitate Deitatis apertissime apparet, nec vlli creaturæ suo imperio & potestate abscondita latens exceptis incredulis cordibus quibus ob incredulitatem ipsorum occultatur: propter quod etiam iudicium Dei cum digna recõpensatione eos vt meriti sunt occidit, veluti fortissima calybs nulli inflammationi cedens sed seipsi opponit: vnde & quod à summo vsque ad summum tendit, ab initio scilicet creationis sæculi vsque ad finem eius, & quod superest hoc potẽter in acutissima diuinitate quasi in incidente gladio semper sapientia & potestate penetrauit & penetrat.

Quid angulus Africam respiciens

5 Et quod angulus vnus circa Africam respicit vbi plurimum straminis aridi ab eo succisum & dispersum est, hoc est quod iustissima Diuinitas Trinitatis, in Christiano populo omnem aridtatem diuersitatis & contradictionis, atque abiectionis rectissimæ Catholicæ fidei aduersantem, in maxima illius confusione succidit & comburit, sicuti fœnum quod conculcatur & in igne comburitur à fructuoso frumenti grano separatum, quod fides est cum operibus in scientia scripturæ: de qua omne quod eidem veræ fidei contrarium & inutile est in credulitate sua, dispergitur & aufertur: quia insipiens populus quasi stultum pecus ea abutitur.

Quid pennulæ.

6 Atque vnus contra chorum se dirigit, vbi multæ pennulæ per illum discissæ cadunt, quia eadem diuinitas elatam iactantiam Iudaici populi, qui cum magna superbia in altitudine mentis suæ volabat, deiecit: cum ille in seipso & non in Deo iustus esse volebat, vt Pharisæi qui in alta cœlorum ascendere tentabant, secundum propriam fiduciam suam in seipsis confidentes, sed iusto iudicio Dei ob diuersitatem morum suorum discisi in hac præsumptione cadentes.

Quid angulus contra Occidentem,

7 Medius vero contra Occidentem respicit, vbi plurima putrida ligna ab ipso deiecta iacent, quoniam per ipsam Trinitatem abscinditur nefandum & diabolicum schisma gentilis populi, qui in occasu infidelitatis errat in recta fide: quia vt putrida ligna molesta & inutilia sunt ad vsus hominum, sic etiam abscissus & abiectus est populus iste à gaudio vitæ, magis diabolica sectans figmenta quam diuina præcepta. Vnde etiam hæc singula ab eisdem angulis propter temeritatem ipsorum succisa sunt, quia in omnibus prædictis causis vera & sancta Trinitas infideles, qui vel audacter eam dirumpere volunt, vel qui eam pertinaciter credere nolunt, à se abscissos ire permittit in perditionem: quoniam rabide & ignoranter inuadunt Diuinitatem, nolentes se inclinare fidei quam filius Dei per seipsum attulit, & quam etiam per discipulos suos hominibus transmisit, secundum quod hæc parabola dicit: Dominus quidam lapidem igneum habens per ipsum & per nuncios suos necessariam rem multo populo mandare volebat. Sed nuncij non erant sapientes & scientes verba domini sui intelligere, sed insipientes & ignari ad mandatum illud perficiendum. Interea ortus est tumultus & tempestas magna & torrens ac sæuus tonitruus, ita quod terra mota est & quod lapides scisi sunt: sic etiam quod vas vnum in quo plurima vascula erant in terra iacens absconsum, dorso ad cœlum verso, maxima fortitudine eradicaretur è terra, & quod vterus illius ad cœlum conuerteretur. Tunc etiam à domino illo per lapidem ipsum vehementissimo flatu ignis aduenit, qui tanto ardore nuncios illos pertransiuit, vt omnes venæ eorum calefierent, quod & omnis desidia timoris ab eis tanta velocitate excuteretur, vt ab arida pelle velocissime decidit, quod ei super effunditur. Et sic demum recordati sunt illi omnium quę audierant & didicerant à domino suo, & abierunt ad populum qui vmbilicos non habebat, & cuius ciuitas destructa fuerat, & illi mandatum domini sui annunciabant. Sed & quibusdam ex ipsis vmbilicos restituerunt, & ciuitatem eorum reædificantes ipsis eam reddiderunt: quibusdam autem nec vmbilicos nec eis ciuitatem reddiderunt, sed ipsos occidentes vt porcos eos diuiserunt. Et sic lapis ille vniuerso mundo innotuit, concutiens & occidens omnia mendosa facta humanæ carnis.

8 Hoc tale est. Dominus iste est Pater omnipotens, apud quem est Vnigenitus eius, ille scilicet lapis angularis, qui de igneo Spiritu sancto conceptus est, & ex integerrima virgine natus homo, ipse videlicet flos candidissimus & pulcherrimus existens in albedine & pulchritudine totius sanctitatis. Nam Filius Dei erat secundum Diuinitatem inenarrabiliter ante æuum omnis creaturæ, cum Patre & cum igneo Refrigeratore postea in tempore placito missus à Patre, vt conceptus

de

de Spiritu ſancto ſicut dictum eſt, veraciter incarnatus naſceretur ex virgine, ad conferendum credentibus candorem & decorem vitæ. Quo incarnato oſtendit cœleſtis Pater per illum & per diſcipulos illius benigne nuncians neceſſariam rē, ſalutem videlicet & ſaluationem hominibus, qui in ipſum crediderint. Sed illius diſcipuli cum idem filius apud eos corporaliter maneret in mundo, erant ſtulti & inſcij ac ſtolidi, & tardi vigilanter verba illius in ſpiritu intelligere & opere complere, ſed tantum quaſi in ſomno in ſimplicitate ea audiebant, nondum confirmati, ſed pauidi & exterriti velut homines. Interea venit tempus inſanorum cordium, ita quod Iudei tumultum facientes exquirebant, ſuſcitantes multa ſchiſmata contra filium Dei, vt in hac magna tempeſtate occiderent eum. Et dum ita implerent omnem malignitatem ſuam vt deſiderauerunt, tūc in hoc præcipiti & maximo tonitruo peractum eſt tam grande homicidium, quale antea non fuit nec poſtea futurum eſt: ita vt terra moueretur id eſt vt terrenæ mentes hominum exterrerentur cum reliqua creatura, & vt lapidea lex Iudæorum ſcinderetur in criminoſo facto eorum. Tunc primus homo cum genere ſuo in quo latuit ſignum reliquę creaturæ, iacens ſepultus in morte, ita quod omnem intentionem ſuam ad terrena verterat, habēs à dorſo cœlum nolens reſpicere ad Deum in magna fortitudine filij Dei eradicatus eſt è terra mortis in qua dormiuit cum filiis ſuis, ita quod ſuſpiraret de toto corde omni ſcientia ſua quaſi in vtero ad cœleſtem patriam ſe conuertens, quia audiuit Chriſtum Dei filium propter ipſum occiſum. Sed poſt eiuſdem filij Dei aſcenſionem à Patre & per ipſum Filium vt ipſe promiſerat Spiritus ſanctus aduenit: quia tota terra in ſuperna dulcedine ſtillabat quoniam cœleſtis panis in mundo manſerat, quem infideles tranſitorie quaſi in rumore neglexerant, fideles autem cum omni deuotione ſuſceperant. Quia ergo verum verbum incarnatum erat, aperte Spiritus ſanctus in igneis linguis apparuit, quoniam de Spiritu ſancto Filius conceptus eſt, qui in prædicatione ſua mundum ad veritatem conuertit. Et quoniam etiam Apoſtoli per eundem Filium docti erant, ipſe Spiritus ſanctus ita in calore ſuo perfudit eos, vt diuerſis linguis anima & corpore loquerentur: quoniam in eis anima corpori dominabatur: ſic illis clamantibus quod in vocibus eorum totus orbis terrarū commoueretur. Abſtulit quoque idem Spiritus ſanctus ipſis humanum timorem, ita quod talis pauor nullus eis inerat, vt fæuitiam hominum timerent, ne verbum Dei loquerentur, ſed omnis huiuſmodi timiditas tanto ardore & tanta feſtinantia eis ablata eſt, vt quaſi aridi & non molles, ſed vt mortui ad cunctam aduerſitatem reddederentur, quæ ipſis accidere potuiſſet. Vnde etiam mox perfecto ſenſu, recordati ſunt omnium quæ prius tardi fide negligenter audierant & perceperant à Chriſto, ea ita ad memoriam reducentes quaſi eadem hora ab ipſo illa cognouiſſent. Et abeuntes iter faciebant, inter incredulos populos, qui vmbilicos, id eſt ſigillum, ſcientiam ſcilicet ſanctæ innocentiæ & iuſtitiæ non habebant, & quibus ciuitas eorum inſtrumenta videlicet legis Dei in infidelitate deſtructa erat, ipſis verba ſalutis & veræ fidei in Chriſto annunciantes. Vnde multos ex eadem turba ad agnitionem Dei reduxerunt, deducentes eos ad vmbilicum, id eſt ad fontem baptiſmatis, in quo receperunt ſanctitatem perditam in ſuperba tranſgreſſione, atque ſanctam ciuitatem præceptorum Dei erexerunt, reædificantes eis ipſam qua eos inſidiator diabolus ſpoliauerat in Adam, & eam in fide ad ſalutem eis reddiderunt. Qui autem fidem baptiſmatis & munimentum iuſſionis Dei propter incredulitatem ſuam recipere nolebant, hos in præconiis ſignorum pertranſierunt, ac eos ob duritiam & incredulitatē quæ in ipſis erat condemnantes, morti tradiderunt: quia in ſceleribus ſuis & in ſordibus pollutionum carnis, atque in illecebris fornicationum & adulteriorum ſuorum ſe inuoluentes vt porcus luto inuoluitur, ad veram fidem conuerti noluerunt: vnde & à vita diuiſi & ſeparati ſunt. Sicq; filius Dei à multis & admirandis ſignis in toto terrarum orbe manifeſtatus eſt ex Patre ſecundum diuinitatem ante tempora ineffabiliter genitus fuiſſe, & poſt in tempore ſecundum humanitatem mirabiliter incarnatus eſſe ex virgine: ita quod corda omnium hæc audientium horrore & tremore nimio ſint concuſſa, & quod vana ac fallacia opera quæ ſecundum voluptates ſuas fecerunt, ad nihilum in eis per contemptum mortis ſint redacta, vero verbo Dei teſtimonium ſanctæ Trinitati atque viuificæ ſaluationi quæ fit per aquam regenerationis ad vitam reddente; vt dilectus Ioannes in verbis exhortationis ſuæ oſtendit, dicens: *Et ſpiritus eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas, quia tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis: & tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus: & tres vnum ſunt.*

9 Hoc tale eſt. Spiritus hominis ſpiritualis eſt videlicet non procedens de ſanguine nec naſcens de carne, ſed currens de arcano Dei, exiſtens illi inuiſibilis quod mutabilitati ſubiectum eſt. Ideoque eſt illius teſtificatio ad filium Dei, cuius gloria mirabilis eſt in myſtico ſpiramine, quam nullus hominum perfecte intelligere valet, ſcilicet quomodo idem vnigenitus Dei de Spiritu ſancto receptus ſit, & in hunc mundum venerit: ſicut etiam nullus hominum plene ſcire poterit, quomodo anima pertranſeat corpus & ſanguinem hominis, ita quod eis vna vita ſit. Et ſicut ſpiritus hominis eſt certiſſima cauſa ſcientiæ quæ ei à Deo data eſt, pertranſiens in ea omnia quæ ſibi à Deo conceſſa ſunt, quoniam non eſt falſa & deceptoria vita, ſed vera & fida: ita eſt Chriſtus perfecta veritas, in qua vita ſurrexit, & lumen ſaluationis refulſit, de qua mors cecidit, quia ipſa fallax eſt. Et tria ſanctam Trinitatem ſignificantia teſtimonium dant in terra, ita quod oſtendunt & tribuunt in præſenti ſæculo remedium viuificæ ſaluationis, per quod veniendum eſt ad cœleſtia ſine termino permanſura, quæ nondum immortalitatis habentur in re, ſed in ſpe expectantur. Nam ſpiritus ho-

hominis habet ex me testimonium in se quod non est in plena vita restaurationis salutis, nisi resurgat per me in aqua regenerationis: quia defecit in illo lumine quod lucet in me, expulso de fœlicitate per corruptam conceptionem criminis quod crescit in sanguine. Et aqua habet testimonium illud, quod omnia sordida purget in se, & quod ipsa mortifera perditio mortis per purissimam purgationem pereat in ea, hic spiritui ante sanguinem adiuncta: quia vt spiritus spiritualis est, sic & aqua spiritualem affert sanctificationem, & media inter spiritum & sanguinem posita, quoniam & animam & corpus per spiritualem regenerationem confortans transmittit ad vitam. Sanguis quoque hoc testimonium habet, quod venenosa itinera sua retorqueat ad domum sanctificationis per aquam saluationis, quæ est medicinalis vis in filio meo incipiens, & in ipso ad vitã permanens: quia sanguis in se continet valde culpabilia crimina, magnamque inquietudinem iniustitiæ per errantia scilicet itinera currens in tortuosa dulcedine quæ ardenti libidini seruit & quæ innocentiam per horrida vitia suffocat, crescere incipiens per gustum comedentis de suggestione insidiatoris diaboli. Et hæc tria vnum, quoniam spiritus non est viuens homo sine sanguinea materia corporis, nec sanguinea materia corporis viuens homo, sine anima, nec hæc duo reuiuiscunt in gratia nouæ legis ad vitam nisi per aquam regenerationis: & ita vnum sunt in redemptione: nec sunt integra in saluatione quamdiu ab hac salutari aqua sunt separata, quia rationalitati deest præcellens honor vitæ, in qua redemptus homo semper resonare debet perfectam laudem in conspectu Dei qui ipsi rationalitatem dedit. Nam Deus propria voluntate sua creauit hominem ad honorem illum qui completur in corpore filij eius in vita æterna, cum perditus homo, reuiuiscit in honore vitæ salutifera gratia redemptus in Deo. Et spiritus quidem inuisibilis corporalibus oculis existens, designat patrem omni creatura inæstimabilem: & aqua purgationem sordis faciens, significat verbum id est filium passione sua abstergentem maculas hominum: atque sanguis circumplectens & calefaciens hominem, figurat Spiritum sanctum suscitantem & incendentem clarissimas virtutes in hominibus. Sic tria hæc videlicet spiritus, aqua, & sanguis sunt in vno, & vnum in tribus, & vnum sunt in saluatione scilicet vt dictum est, atque Trinitatem in vnitate & vnitatem in Trinitate demonstrant. Quomodo? Sancta & cœlestis Trinitas dat cœleste testimonium, ita quod non est ab alio sumptum, sed certa fide in ipsa manifestatũ. Quomodo? Pater testificatur quod vnicũ fructuosum verbum suum, quod ante sæcula genuit, per quod omnia creata sunt, ipsum postea in prædestinato tempore in virgine glorioſissime floruit. Verbum autem testificatur quod exiuit à Patre, inclinans se ad humanam naturam incarnatũ videlicet in pudore virginitatis, quia exiuit à Patre spirituali egressione, & iterum rediit ad Patrem in carnis fructuositate: hic in medio positum, quoniam à Patre est ante tempora inuisibiliter genitum, & de Spiritu sancto in virginis vtero in tempore corporaliter conceptum. Sanctus vero Spiritus testificatur quod accendit integritatem virginis, ita quod verbum Dei conciperet, & quod doctrinam eiusdem verbi in igneis linguis firmauit, cum Apostolos ita perfudit vt per totum mũdum veram Trinitatem vociferarentur. Quomodo? Ipsi clamabant quod Deus Pater perfecit illud quod creauit hominem ad supernam fœlicitatem, qua spoliatus erat homo: quia ipse de limo terræ factus in erectione sursum, sed voluntate sua declinans se ad terram deorsum, nunc in gratia per incarnatum Dei filium erectus denuo sursum, & per Spiritum sanctum illuminatus & confirmatus ne periret in perditione, sed vt saluaretur in redemptione restitutus est æternæ claritati.

10 Sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus testantur quod omnino non distinguuntur in potestate, quamuis in personis distinguantur: quia simul operantur in vnitate simplicis & incommutabilis substantiæ. Quomodo? Quoniam Pater est creans scilicet omnia per verbum id est per Filium suum in Spiritu sancto: Filius per quem omnia perficiuntur, in Patre & Spiritu sancto: Spiritus sanctus per quem virent omnia, in Patre & Filio. Et hæ tres personæ sunt ita in vnitate inseparabilis substantiæ, quod non confunduntur vicissim in se. Quomodo? Ideo quoniam qui genuit Pater est, & qui natus est Filius est, & qui à Patre & Filio ardentissima viriditate procedit, & in specie innocentis alitis super aquas apparens eas sanctificauit, & Apostolos igneo ardore perfudit Spiritus sanctus est, Pater enim ante tempora sæculorum habuit Filium, Filiusque erat apud Patrem, Spiritu sancto æternaliter Patri Filioque in vnitate diuinitatis coæterno. Vnde considerandum est quia si ex his tribus personis duæ vel vna deesset, non esset Deus in plenitudine sua. Quomodo? Quia ipsæ sunt vna vnitas Diuinitatis: quoniam si aliqua earum deesset, Deus non esset. Nam quamuis eædem personæ ita distinctæ sint, tamen sunt vna & integra atque incommutabilis substantia inæstimabilis pulchritudinis, permanens in indiuisa vnitate.

11 Quomodo? Potestas, voluntas, ardor, hi tres apices in vno culmine operationis sunt. Quomodo? In potestate voluntas, in voluntate ardor & inseparabiles sunt, sicut & halitus hominis in sua emissione. Quomodo? Circuiens ventus cum humiditate & calore est indiuisibili emissione in hominis spiratione: sicut & oculus tuus in sua integritate. Quomodo? Circulus oculi tui habet duo perlucida in se vnum tamen habitaculum existens, omniaque regens quæ sibi constituta sunt. Audi & intellige homo. Sic tres personæ in vna incommutabili essentia diuinitatis sunt. In Patre Filius, in vtroque Spiritus sanctus: & vnum sunt, sibique inseparabiliter cooperantur, quoniam nec Pater operatur sine Filio, nec Filius sine Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus sine ipsis, nec Pater nec Filius sine Spiritu sancto, qui vnitas indiuisa sunt.

Sic

Sic est Deus in tribus personis absque initio ante ęuum, nondum ante exordium mundi assumptione carnis in Filio peracta, vsque ad præordinatum tempus vbi venit plenitudo temporis illius cum misit Deus Filium suum. Sed & eodem Filio incarnato, idem Deus est in tribus personis, volens ita in eis inuocari, cum idem virgineus flos floruit in integritate virginitatis: nec ineffabili Trinitati ob hoc persona addita est: sed tantum ipse Filius Dei induit carnem inuiolabiliter assumptã. Vnde & hæ tres personæ sunt vnus Deus in Diuinitate. Et qui sic non credit, ille abscindetur de regno Dei: quia scindit integritatem Diuinitatis & seipsum in fide vt scriptum est: *In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa & puluere aspersus caput.*

12 Hoc tale est. In illa die cum Catholica fides orta est in manifestatione sanctæ Trinitatis, pullulabant homines in multo schismate venientes ab exercitu mortiferæ cohortis, peruerse illud scrutantes quod non est possibile homini scire. Vnde incarnati per multas suasiones diabolicæ artis, fingunt se ascendere super illam altitudinem, ita quod volunt scire plus quam eis sciendum sit de incomprehensibili Diuinitate. Et ideo à veste salutis & iustitiæ scinduntur, quia Deo contrarij sunt: atque fœdantur per diuersitatem sparsionis, in capite fidei fidem integram non habentes, sed vnicum honorẽ Deitatis in multas sectas spargentes, atque superiorem honorem suum in irrisione schismatis minuentes. Qui omnes à Deo diiudicabuntur, vt in sequentibus ita cõtinetur: *Dixit Dauid ad iuuenem qui nunciauerat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis aduenæ Amalachitæ ego sum. Et ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini? Vocauitque Dauid vnum de pueris suis & ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum & mortuus est. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus sit super caput tuum. Os enim tuum locutum est aduersum te dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Hoc tale est. Ille victoriosus qui incomprehensibilis est omni creaturæ, dicit ad puerilem ignorantiam, quæ est in homine, ad illã scilicet pueritiam quæ sibiipsi facit exaltationem, hoc volens scire quod sciendum non est, in qua stultitia inuadit Deum quasi per temeritatem annuncians ei, scio te bene Domine. Ita quod ipse respondet illi, sic: Vnde es tu qui habens initium vis scire totum quod caret initio? Et stultitia quæ orta est in homine initium habens, respondet quasi in scientia sua dicens: Ego sum filius hominis qui peregrinus est, huc veniens ab hac maledicta terra: quia primus homo lapsus in gustu pomi, fecit iter in hoc exilium de patria, cuius & ego progenies sum. Tunc dicit Deus ad eum: Quia homo es à maledicta terra & pulsus de patria vt exul, quare non timuisti tanta præsumptione scrutari, quod tibi sciendum non est, suffocans opus tuum, ita quod nullo modo vtile est in lumine spei, & tangens in eo malum homicidij: quia quicumque temere scrutatur quid Deus fecerit ante creaturam mundi, vel quid Deus facturus sit post nouissimũ diem, hic anathematizatus sit à portione beatę cõmunionis: quoniam hoc ei sciendum non est, qui habet mortale initium, peccatis grauatũ, sed miser erit à fœlici salute bonæ scientiæ, quia in pertinacia perscrutatus est quod scrutari non debuit. Idcirco tu qui hæc præsumptuose & crudeliter per occisionẽ facis, beatam intelligentiam regalis prophetię in te interficis: quia anima tua deberet prouidere sibi puram scientiam, fideliter scilicet in illa simplicitate quæ conueniens, & credere in Deum. Tunc præcipit Deus zelo purissimæ iustitiæ suæ quę non habet vllam maculam iniquitatis, vocans eum per rectissimã vnitatem iudicij iudiciorum suorum sic dicens: Festina & opprime illum de bona scientia sua quam habuit ne quiescat in vlla fœlicitate sui sensus, quoniam nullam fecit mihi requiem in corde meo. Et sic plaga zeli Domini percutit illum, ita quod nulla scintillula vllius oculi ipsi permanebit ad videndum, id est cognoscendum Deum. Vnde & moritur iustitiæ vitalis consolationis, seipsum non valens regere. Tunc dicit ad eum Deus: Sanguinolentum nefas tuum, quo te eleuas ad illa excelsa quæ non potes intueri, sit super animum tuum, quem iniuste erigis contra me, illud malum conculcet te in depressum locum de quo te leuare non possis, in rectam mensuram propositionis fidei, qui recta vestigia ire noluisti, sed in sensu tuo magnum schisma quæsiuisti. Nam os tuum sit relictum à verbis sapientiæ, quoniam locutum est contra salutem tuam, cum fallaciter scrutatus es secretam & incomprehensibilem diuinitatem, præsumens scire quæ non sunt scienda: temere dicens in teipso quid Deus sit bene scio, per temeritatem istam occidens interiorem salutem tuam, cum caute in Deum credere noluisti, sed te superbe contra eum erexisti. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardenti amore speculi mei, ad verba hæc anhelet & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO OCTAVA.

1 ET deinde in plaga meridiana in præfato lapideo muro demonstrati ædificij vltra prędictam columnam veræ Trinitatis, iterum vidi quasi columnam magnam & obumbratam intra & extra ædificium apparentem: quæ scilicet visui meo tam vmbrosa apparuit, vt nec magnitudinem nec altitudinem eius cognoscere valerem. Et inter columnam hanc atque columnam veræ Trinitatis erat interruptus locus longitudinis trium cubitorum, vacuusque absque muro vt superius ostensum est fundamento ibi tantum posito. Hæc ergo vmbrosa columna in hoc ipso ædificio in illo loco stabat, vbi desuper in cœlestibus mysteriis coram Deo illum magnum & quadratũ lucidissimiq; candoris splendorẽ prius viderã, qui secretũ superni creatoris designãs in maximo mysterio mihi manifestatus est: in quo etiã alius splendor velut aurora in seaëreã in alto purpureæ lucis claritatẽ habẽs fulgebat, per quẽ mihi in mystica ostensione mysteriũ incarnati filij Dei demonstratũ fuerat. In colũna aũt ista ab imo vsq; ad sũmũ eius in modũ

scalæ ascensus erat, vbi omnes virtutes Dei descendentes & ascendentes oneratas lapidibus ad opus suum ire videbam, intentum studium idem opus perficiendi habentes. Et audiui lucidum illum qui sedebat in throno dicentem: Isti fortissimi operarij Dei sunt. Sed inter has virtutes, præcipue septem videbam, quarum etiam formas & habitus diligentissime considerabam. Talis igitur similitudo in eis erat: Omnes vt aliæ virtutes quæ supra memoratæ sunt, veluti vestibus ex serico induebantur. Sed & omnes albis crinibus retecto capite, & absque amictu palliorum incedebant, præter primam more fœmineo in capite velatam, atque quasi casula tanquam crystallus perlucida indutam, & præter secundam nigros capillos habentem, atque præter tertiam quæ dissimilis humanæ formæ videbatur. Prima quoque & quarta atque quinta, albis tunicis vestiebantur. Omnes etiam alba calceamenta habebant, excepta tertia secundum speciem hominis non apparente vt dictum est: & excepta quarta quæ crystallinis calceamentis miro modo lucentibus calceabatur. Hæc autem in eis fuit dissimilitudo. Prima imago portabat coronam auream capiti suo impositam, tres ramos altius extantes habentem, atque pretiosissimis lapidibus viridis & rubei coloris & albis baccis multo fulgentem ornatu. In pectore vero suo habebat speculum lucidissimum, in quo mira claritate imago incarnati filij Dei apparebat. Et ait: Ego sum columna humilium mentium, & interfectrix superborum cordium. In minimo incepi & ad ardua cœlorum ascendi: Lucifer erexit se sursum super se, & corruit sub se deorsum. Quisquis me vult imitari filius meus esse desiderans, si me matrem sitit amplecti opus meum in me perficiendo, hic tangat fundamentum, & leniter ad alta sursum ascendat. *Humilitas.*

2 Quid hoc? Ipse primum carnis suæ vilitatem inspiciat, & sic sursum de virtute in virtutem suaui & leni animo gradatim proficiat: quia qui summum ramum arboris primum apprehendit ad ascendendum, repentino casu sæpissime cadit. Qui autem volens ascendere à radice incipit, huic non est tam facile cadendum, si caute incedit.

3 Sed secunda tota videbatur vt hyacinthus aërei in alto coloris videlicet tam forma quam tunica ipsius. Et eidem tunicæ duæ zonæ inæstimabili modo auro & gemmis ornatæ mirabiliter intextæ erant, ita vt super vtrumque humerum eiusdem imaginis zona vna vsque ad pedes ipsius, ante & retro descenderet. Dixitque: Ego ad indignationem in cœlo prouocabar, cum Lucifer seipsum odio & superbia momordit. Sed ô ô ô humilitas, hoc tolerare noluit. Propter quod etiam ille ruina magna delectus est: formato autem homine, ô ô ô nobilissimum granum & ô ô ô dulcissimum germen filius Dei propter hominem in fine temporum natus est homo. Et quoniam Lucifer voluit & tentauit vestem & integritatem meam scindere, idcirco lucidissimus splendor apparuit in Deo & in homine. Nunc autem cæci & mortui, lupanaria & meretrices atque incestas appellant æquiuocas meas. Sed quam impossibile est lutum contingere cœlum, tam impossibile est hanc spurcitiam tangere voluntatem meam. Pennas igitur in aliis virtutibus mihi faciam, cum quibus hæc inutilia quæ Lucifer per mundum sparsit abiiciam. O virtutes vbi est Lucifer? In inferno est. Surgamus ergo omnes, ad veram lucem propinquantes, atque ædificemus maximas & fortissimas turres in prouinciis, vt cum venerit dies nouissimus, plurimum fructum & in spiritualibus & in carnalibus apportemus. Cumq; plenitudo gentium introierit, tunc & nos in terra & in cœlo perficiemus. O turpissime Lucifer, quid tibi profuit repentina temeritas tua? In primo splendore tuo cum creatus es à Deo, voluisti me insaniendo & bacchando conculcare & è cœlo deiicere: sed tu in abyssum cecidisti, & ego in cœlo permansi, postea descendens ad terras in incarnato filio Dei. Et per me perfecta est multitudo fidelium mille iustis & bonis artibus armatorum, quas ipsis si posses iam dudum libentissime diripuisses. O humilitas quæ quasi terram calcatos & contritos vsque ad sydera eleuas, ô humilitas quæ es glorioss̃issima regina virtutum quam forte & inuictum es tuis vbiq; præsidium, nullo cadente qui puro corde diligit te, sicut & ego tecum valde vtilis multumque exoptabilis defensio meis sum: quia valde gracilis & subtilis existens paruissima foramina me colentium exquiro, & ea acutissime pertranseo.

4 Tertiam autem imaginem vidi in eodem schemate vt in prori visione eam videram, maioris scilicet & longioris staturæ quam cæteras virtutes, dissimilemque formæ humanæ & plurimos oculos vndique in se habentem, totamque in sapientia viuentem, atque indutam quasi vmbroso indumento per quod quidé oculi prospiciebant, multoque timore trementem coram prædicto lucido sedente in throno. Et ait: O væ miseris peccatoribus Deum non timentibus sed eum quasi illusorem habentibus. Quis potest incomprehensibilis Dei timorem effugere, quem ipse culpabilem finit perire non abiicientem à se mala? Propterea ego valde & valde Dominum Deum timebo. Quis me adiuuabit coram Deo vero? Quis me liberabit in tremendo eius iudicio? Nullus omnino nisi idem iustus Deus. Illum ergo quæram, ad illum semper fugiam. *Timor Domini.*

5 Quarta vero niueum vinculum circa collum portabat, atque manus & pedes candido religamine habebat ligatos. Et dixit: Non possum currere secundum voluntatem meam per viam sæcularem, nec per contagia humanæ voluntatis, & ideo volo redire ad Deum patrem omnium, quem diabolus recusauit, & quem obaudire noluit. *Obedientia.*

6 Quinta quoque circa collum rubeum torquem habebat. Et ait: Vnus est Deus in tribus personis, vnius essentiæ, & æqualis gloriæ colendus: fidem ergo & fiduciam habebo in Domino, & non delebo in æternum nomen eius de corde meo. *Fides.*

7 Sexta autem tunica pallidi coloris induebatur. Et crux passionis crucifixi filij Dei ante eam in aëre apparuit, ad quam ipsa oculos & manus cum multa deuotione erigebat, dixitque: O pie pater parce peccantibus, qui non dereliquisti exu- *Spes.*

les:

les: sed eleuasti in humeros tuos. Vnde etiam iam non perimus spem habentes in te.

8 Sed septima lucidiore & puriore crystallo tunica induebatur, quæ ita in candore relucebat, vt aqua resplendet cum sole per funditur. Et super caput eius expansis quasi ad volandum alis columba stabat, versa secundum faciem illius. Apparuit autem & quasi in ventre ipsius veluti in speculo candidissimus infans, cuius fronti inscriptum erat Innocentia. Habebat quoque in dextra manu regale sceptrum, sinistram autem ad pectus suum *Castitas.* apposuerat. Et dicebat: Ego libera sum & non ligata. Purissimum fontem pertransiui, dulcissimum scilicet & amantissimum filium Dei. Pertransiui eum, ab eoque exiui. Superbissimum autem diabolum conculco non prævalentem ligare me. Ipse abscissus est à me, quia semper maneo in superno patre.

9 Sed in summitate prefatæ obumbratæ columnæ vidi aliam pulcherrimam imaginem, nudo capite stantem, & crispos ac subnigros capillos habentem, faciemque virilem tantæ ardentis claritatis, vt eam perspicue considerare non possem, vt faciem hominis. Erat quoque purpurei & subnigri coloris tunica induta, cui super vtrumque humerum eiusdem imaginis zona vna coloris rubicundi croci, ante & retro vsque ad pedes eius se extendens intexta fuerat. Habebat autem circa collum episcopale pallium, mirabili modo auro & pretiosissimis gemmis adornatum. Splendor vero candidissimus ita eum vbique circumdederat, vt nusquam nisi ante à capite videlicet & deorsum vsque ad pedes eius ipsam inspicere possem. Brachia autem & manus atque pedes ipsius mihi ad videndum obumbrati erant. Sed splendor idem qui eam circumdederat, oculis vndique plenus erat, totusque viuens, atque hac & illac se diffundens, vt nubes diffluere solet: ita vt nunc latiorem nunc autem constrictiorem se redderet. Et eadem imago voce magna clamauit in mundũ, dicens ho- *Gratia.* minibus: Gratia Dei sum filioli mei, ideo audite & intelligite me, quia illis do lumen animæ, qui me intelligunt in admonitione: quos etiam in eadem beatitudine contineo, ne reuertantur ad iniquitatem. Et quoniam ipsi me non despexerunt, ob hoc etiam volo eos tangere mea admonitione, quatenus incipiant bona operari: & me illis dico qui me requirunt in simplicitate & cordis puritate. Et dum tribuo margaritas boni admonens ac exhortans hominem, ita scilicet dum intellectus hominis tangitur per me sum ei initium, hoc est dum sensus hominis intelligit admonitionem meam auditu, ita quod etiam idem sensus ducitur ad consensum tactus mei in animo suo, tunc sum in ipso initium boni quod eum oportet incipere, me sic illi adiutrice. Tunc & ibi colluctatio est, vt vel perficiatur quod do vel non. Quomodo? Hoc sic volo intelligi: quia dum hominem admoneo tali modo quod incipit gemere ac flere peccata sua, tunc si voluntas illius acquiescit admonitioni qua illum admonui, quoniam homo in sensu suo taliter sentit mutationem animi sui, qualiter oculos suos leuat ad videndum, & aures ad audiendum, & os ad loquendum, & manus ad palpandum, & pedes ad ambulandum secundum desiderium illud vt sibi in animo est, si tunc voluntas suscepit admonitionem meam, mox ipsa eleuat se & deprimit ac superat sensum, ita quod sensus discit ignota in sua consuetudine. Quomodo? Ipse mutat se, quoniam eum oportet quamuis inuitum sequi voluntatem quæ super eum est. Ipse enim subiectus est illi in seruitio, quia ei inferior est, eamque sequetur siue velit siue nolit. Nam ego do bonum in initio, & calefacio illud in mente, tribuoque opus voluntati ad perficiendum: & hoc facio admonitione, exhortatione atq; calore doni inspirationis Spiritus sancti. Si autem voluntas his donis repugnat, tunc ad nihilum deducuntur, hęc quæ memoraui. Vnde in eodem tempore dum homo potest recipere in incendio donorum in signis præconij quod de me oritur, tunc ad illud properet, ac etiam citius veniat voluntas in bonis, & perficiat opus hoc in claritate. Nam scientiam boni & mali ob hoc habet homo, vt ipse in omnibus operibus suis Deum tanto melius intelligat, deuitando malum & operando bonum: quia sic Deum colit cum timore, eum amplectens in perfecta charitate. Quomodo? Ita scilicet si aperit interiores oculos spiritus ad bonum, & si negat & abiicit in exteriori homine malum quod facere potuit. Idcirco etiam subiecta est terrena creatura sub potestate ipsius, vt eo amplius Deum intelligat & diligat, ac operetur in eo opus scientiæ suæ cum intellectu, quo ipse timeat & amet omnipotentem, qui ipsi deputauit magnum honorem seruitutis plurimarum creaturarum. Vnde & ob has causas effundit homo, hoc quod ipse in intellectu suo scienter comprehendit, discretionem in creaturis, ita quod nouit quæ sint amabiles & odibiles, & quæ vtiles atque inutiles: & quod etiam post hæc in fide qua ipse Deum intelligit concluduntur omnia opera ipsius, ita quod & Deo & Angelis eius placent: aliquando etiam tango hominem in animo ipsius, & moneo eum vt incipiat operari iustitiam & deuitare malum, sed dedignatur me, & putat quod possibile sibi sit quicquid facere voluit, ac spatium pœnitendi sibi ipsi constituit vsque ad tempus illud dum corpus eius in simplicitate frigidæ ætatis sibi consentiat, & dum etiam propter senectutem sibi fastidio sit amplius peccare. Tunc iterum admoneo atque hortor eum ad bonum, & vt animo suo resistat. Qui dum me negligit, sæpe per multas aduersitates vt in diuitiis & cæteris his similibus quæ patitur, ad hoc perducitur, quod eum quasi inuitum & aduersus seipsum oportet facere bonum, & quod eum in tam exasperato animo non multum delectat ea adimplere quæ prius proposuerat perficere in prospero tempore, in quo ei videbatur nihil contrarium ipsi posse obesse, secundum quod ipse in seipso ordinauerat tanto tempore illa agere vt sibi placuisset. Hic homo si dubie susceperit me, nolo tamen eum relinquere, quia quamuis sic susceperit me, tamen non omnino despexit me. Vnde & ego non laboraui frustra in ipso. Tædio enim mihi non est tangere vlcerosa vulnera quæ circumdata sunt

circumrodentium vermium in innumerositate vitiorum, & fœtore mali rumoris & infamiæ, & languore inueteratæ iniquitatis peccatorum: nec despiciam quin leniter illa contractem, eo tempore dum incipio extrahere edacem liuorem malitiæ, hoc est cum intueor & tango illa vulnera blando calore inspirationis Spiritus sancti. Sed sæpe cum huiusmodi dolor veteri fomento inueteratur, ita quod peccatum incipit calere ardens in animo hominis, & cum etiam sic oriuntur in dolore vulnera peccatorum, ita quod erunt in coagulatum opus huius immunditiæ quasi globus & aceruus se erigens de magna sorde vermium & fomentatione inuoluti luti de quo nascuntur mortifera venena scorpionum, serpentum, ranarum & aliorum similium venenosorum vermium, & cum etiam tunc ita indurantur vt lapis in talem scilicet duritiam quam nullus cogitat effringere, quæ sunt importabilia onera scelerũ in illis hominibus qui grauati sunt grauiorib. oneribus, quid tunc ad hęc? Tunc sane homines propter infidelitatem suam nõ possunt cõfidere, vt possibile sit huic homini se ad Deũ conuertere de sua iniquitate, propterea quia vident eum quasi escam esse diaboli. Ego tamen nolo illum hominem deserere, sed medio adiutorio & prælio volo esse pro ipso in certamine: vbi suauiter primum incipio tangere quasi duritiam lapidis illius peccati: quoniã quasi difficile est eum confringi in tam maximo fœtore horribilium scelerum quæ sibi sunt prædictæ, cautæ magnæ sordis & nequitiæ, & quæ sunt veluti cadauer putredinis, & esca diaboli, quam ipse certissime absorbuit in ventrem suum. Quomodo? Scriptura habet de filio Dei dicente, meus cibus vt faciam voluntatem patris mei: & contra, cibus est diaboli, vt hominem deprimat in mortem, per quam illos talibus venenis vt prædictum est afflat, qui ei in voluntate sua consentiunt, & post eum declinant. Et id ipsum est diaboli desiderium & continuum studium, quia de hac sorde oritur omne malum. Sed de istis hominibus plures me intelligunt. Quomodo? Dum eos primum tango, dicit homo ille intra se: Quid mihi est? Ego nescio nec cogitare scio quicquam boni. Et iterum nesciens suspirat & dicit: Heu me peccatorem. Nihil autem amplius sentit, quia mole peccatorum grauatus est, & quoniam tenebrę iniquitatis conturbauerũt eum. Tunc iterum tango vulnera illius. Et quoniam prius per me admonitus erat tunc eo melius intelligit me, & respiciens in seipsum iterum dicit: Væ mihi quid faciam? Nescio, nec excogitare valeo quid fiat de me, propter multiplicia peccata mea. Ah quo me vertam, vel ad quem properabo, qui me adiuuet, vt turpissima scelera in me contegam & deleam in pœnitentia. Vnde iterum respicit in seipsum ea colluctatione quam prius habuit in studio peccandi, ac eodem desiderio ad veram pœnitentiam se conuertit, vt ante studebat in peccatis. Et quia tunc ille homo mea admonitione sic euigilauit de somno mortis, quam sibi pro vita elegerat, idcirco tunc nec cogitatione, nec verbo, nec facto quæ prius ardenter habuit ad scelera, vult amplius peccare, sed studiosissime in fortissima pœnitentia se eleuat ad me. Quapropter mox & ego suscipio eum totũ, & deinceps dimitto eum quasi liberum: ita quod in prędictis concupiscentiis grauem infestationem vltra non habebit, vt charissimi filij mei sustinent, quos moneo multiplici miseria in ignitis sagittis diabolicarũ persuasionum: quia ipse harum tunc non indiget. Nam ipse semper dolebit propter transacta peccata sua, ita vt etiam sibiipsi iratus tam acrem pœnitentiam agat quod se etiam indignum æstimet hominem vocari. Sed hęc victoria est in fœtore sordis illorum hominum quos abiicere nolo, quoniam post peccata sua me tandem quæsierunt. Nam qui me non spernunt, sed admonitionem meam suscipiunt, & me deuote quærunt, illis parata sum facere quicquid volunt. Qui autem me contemnentes abiiciunt, illi mortui sunt nec eos scio. Sunt enim multi homines qui dum me adesse sentiunt intelligẽtes suam mentem tactam esse admonitione mea, fugiunt me per malam consuetudinem conceptorum peccatorum, quæ in se deglutiebant voluntate atque consensu & opere. Vnde etiam & ipsi sunt coram Deo quasi nihilum & inane reputati, quia nolunt esse conscij quod possint facere, tacti per me. Ego autem nolo esse in pollutione horum peccatorũ qui nolunt suscipere admonitionem meam, nec se volunt purgare per exhortationem illam quatenus se auertant à peccatis suis, nec desiderant comedere cibum illum qui est scriptura Euãgelij, quo satiari debent omnes fideles, nec gustare saporem eius secundum quod eis datum est: sed festinant fugere gratiam Dei, quia nec videre, nec audire, nec cogitare volunt quid eis faciendum sit, dum vocantur admonitione boni. Ipsi fugiunt admonitionem bonam, vt vermis qui terram intrat se abscondens ab omni decore huius sæculi. Hoc faciunt & isti nequissimi homines fugientes præcepta Dei, seque polluentes in fece qua se inuolutãt in mortem, cum se abscondunt in malitia sua, nolentes de fœtore nequitiæ ad lucem prodire. Qui tales sunt, non pertinent ad me. Nam ego nolo hac & illac diuidi in pollutione luti. Quomodo? Cum his esse volo, qui me pura pœnitentia intelligunt, vbi me etiam adiungo humanæ corruptibilitati, quia eam volo purgare. Qui autem me nolunt suscipere, illos à me abiicio, nolens esse cũ eis, quia nulla pars mihi cum illis est, quia sunt in parte stultæ ignorantiæ me intelligere nolentes: & quoniam nolo esse in opere quod pertinet ad conglutinationem obduratæ peruersitatis, quod est ad mortem. Et qui hoc modo spernunt me, imitãtur perditum angelum, qui dum Deum videre potuit, eum inspicere noluit, ita vt eum humiliter agnosceret: & propterea subito effugit omnẽ gloriam cœlestem, cadens in mortem, dum Deo voluit assimilari simili honore. Isti despiciunt me, quoniam operantur opus malignum, vt exigunt illicita desideria carnis in voluptatibus ipsorum. Et quoniam me despiciunt, idcirco faciunt quod male volunt. Ipsi contẽnunt Deum, sic etiam negligunt illius præceptum. Vnde & perfrequenter in indignatione mea permittuntur ad plenitudinem mentis suæ facere quod voluerint,

quia

quia vita æternæ fœlicitatis eos fugit quasi nihilum sint, frequéter etiam deficientes tam in prosperitate præsentis vitæ quam futuræ, quoniam duri & immobiles ad fœlicitatem boni sunt. Contumacem enim peccatorem, in malis suis perseuerantem desero, viuificans eum qui in se respicit, & à peccatis suis in timore meo cum pura pœnitentia se ad me conuertit. Nam ego sum columna firmæ stabilitatis, quæ nunquam desero quærentem me: quoniam qui me apprehendit & se mihi intime ac fideliter coniungit, nunquam decidet in perditionem. Qui vero me habet in obliuione mentis suæ, & superbiendo se eleuat super me, id est qui in seipsum magis confidit quam in me, ac ideo fiduciam in me contemnit habere, quoniam pro nihilo computat gratiam Dei, quia in animo eius sum vt ventus turbinis, ipse habens me negligenter in irrisione & superbe cum elatione in desperatione, non propter grauedinem peccatorum quæ perpetrauerit, sed propter superbiam me deridendo sic dicens: Quid est gratia Dei? hunc ego deiiciendo occidam: & in electione mea eum erigere nolo, quia mortuus est ab æterna fœlicitate. Sed & hi homines qui non habent fiduciam se posse surgere de grauioribus culpis peccatorum suorum, sic abiicientes omnipotentem Deum & gratiam ipsius, desperantes scilicet in nimia tristitia quasi non possint saluari de enormitate criminum suorum, deficiunt proiecti à me, & acerbe corruunt in mortem, morientes in inferno inferiori cruciatu mortis æternæ. Nunc etiam loquar de dilectis filiis meis qui me suscipiunt aperto sensu & voluntario animo atque acuto intellectu, & qui me gemitu & fletu tangunt, me excipientes cum gaudio atque omni amplectentes intentione. O flores mei qui dum me adesse sentiunt subito gaudent in me, & ego in illis. Ipsi dulciores suauioresque mihi sunt super amorem lapidis pretiosissimi, & super fulgentes pretiosas margaritas in mente hominum, qui eas amplectuntur ardenti desiderio. Ipsi etiam sunt mihi nobilissimi quadrati lapides, quia in conspectu meo mihi semper sunt amabiles; hos assidue volo limare & purgare, quatenus recte ac decenter ponantur in cœlesti Hierusalem: quia semper in mentibus suis bona voluntate mecum epulantur, nec mea iustitia possunt satiari. Nam mox cum tactum meum sentiunt, properant ad me, tanquam ceruus ad fontem aquæ. Sed ego sæpe relinquo eos, ita quod ipsis videtur quasi sint sine adiutorio, quod idcirco facio, vt exterior homo in eis non infletur per superbiam. Tunc plorant ac lugent æstimantes me ipsis esse offensam, sed ego sic perscrutor fidem eorum. Attamen forti manu teneo eos, sic auferens ab ipsis elationem, nec permittés eos cognoscere quid sint in occultis bonis suis: quia multiplices fructus in eis facere volo, animis ipsorum dolentibus ac cordibus eorum vulneratis in doloribus. Permitto enim frequenter diabolicas persuasiones ipsos inuadere in igneis sagittis de flatu immunditiæ incendij ardentis spiritus fornicationis, quæ vulnerant corpora eorum in infirmitate fragilis naturæ, & hoc idcirco permitto, quatenus hoc modo tam fortiter imbuantur inspiratione Spiritus sancti, quod præterea fiant insignes præcones & flagrantes in virtutibus. Ipsi quippe erunt in probatione quasi aurum in fornace, id est probati in irrisione & in indignatione, ita quod quasi nihilum computabuntur, & quod sæpissime per raptores substantia sua denudabuntur, ac per dissensionem plebis in aduersitatibus sicut agnus à lupis dilacerabuntur. Et vt oues dum eas lupus dispergens disipat, tamen non moriuntur, ita sunt & isti homines in morte animæ non morientes, sed eo magis viuentes purgati in aduersis. Nam bona arbor vt fructum ferat irrigatur, putatur, atque circumfoditur, & ab ea erucæ ne fructum eius corrodant, abstrahuntur. Quid hoc? Bonus scilicet homo nõ sit durus, nec maleuolus ad iustitiam Dei, sed lenis ac flexibilis ad quodque bonum, à se abscindens malum, seq; considerans in scrutatione operum suorum, atque auferens à se infestationem lædentium se inimicorum. Sed tamen antequam homo sentiat me in cogitatione sua aut intellectus ipsius intelligat me intra se, sum ei caput & radix fructuositatis, & virtus fortitudoque firmæ ciuitatis, quæ ædificata est supra firmam petram. Omnis ergo fidelis homo audiat me sibi dicentem: O homo, est ne conueniens & congruum vt homo rationalis sine intellectu sit, vt irrationale pecus quod non aliter facit nisi secundum quod expetit libido ipsius? O miseri homines qui nolunt scire magnam gloriam illam, quã Deus ipsis dedit ad similitudinem sui. Sed non potest esse vt volunt quod libere & quasi hæreditario iure omnia mala faciant quæ desiderant, quasi hoc ex natura corporis sui possideant, nolẽtes considerare se habere honorem illum, quod bona opera operari valeant. Deus in sua ordinatione omnia iuste constituit. Et quis potest ei repugnare? Quid hoc? In huiusmodi videlicet cõparatione quod aliquis ordinationi Dei simili exemplo possit comparari, aut sapientia aut discretione in illius rebus. Et cur est hoc quod efficaciam illam quæ eis data est sibi ipsis auferre nolunt, quod bene scilicet & male facere possunt? Quomodo? Nam ego cum eos tactu meo admoneo, qui tunc me apprehendunt mox vt me adesse sentiunt, hi bonum opus quod volũt ad effectum meo adiutorio perducere possunt. Qui vero me contemnunt, in imbecillitatem sui & in malum corruunt. Sed praui homines excusare se nituntur, ita quod bona opera operari non possunt, & hoc propterea faciunt quod exterior homo in eis voluntatem suam exerceat in libertatem. Nunc ô charissimi filij mei qui mihi dulciores in odore super omnia aromata estis, audite me, vos admonentem: Dum tempus habetis facere bonum & malum, sincera deuotione colite Deum vestrum: O vos iterum dulcissimi filij mei qui ascenditis sicut aurora, vos qui ardere debetis in charitate vt sol in radio suo: currite & properate charissimi mei in via veritatis quæ lux mundi est, quæ est Iesus Christus filius Dei, qui nos redemit sanguine suo in fine temporum, vt cum gaudio post transitum vestrum peruenire possitis ad ipsum. Et iterum audiui eum qui sedebat in throno dicentem

centem ad me: Desiderantibus cœlestia fideliter credendum & non pertinaciter examinandum est, quomodo filius Dei missus in mundum à Patre natus sit ex virgine, quia humanus sensus fragili & mortali corpore grauissimo peccatorum onere grauatus, secreta Dei plus dignoscere non poterit, quam Spiritus sanctus cui vult reuelauerit.

Quid columna meridiana.

10 Quapropter per mysticum mysterium, hæc etiam columna quam vides in plaga meridiana, in præfato lapideo muro demonstrati ædificij, vltra prædictam columnam veræ Trinitatis, significat humanitatem saluatoris, qui conceptus de Spiritu sancto, natusque ex suauissima virgine, filius est altissimi, fortissima sanctitatis columna existens, omnem videlicet Ecclesiasticam ædificationem sustentans. Cuius humanitas apparet in ardente fide lapidum fidelium populorum, in bonitate superni Patris fortissime operantium, post declarationem Trinitatis manifestata, quia Trinitate in vno Deo certificata credenti populo, creditum est etiam incarnatum Dei verbum, verum Deum cum Patre & sancto Spiritu in vnitate diuinitatis in vno & vero Deo colendum.

Cur obumbrata.

11 Quæ columna magna est, & obumbrata intra & extra idem ædificium apparens, quoniam sanctitudo veræ incarnationis magna & inæstimabilis, ita humanis mentibus est obumbrata, vt non possit cõsiderari, nisi quantum possibile est per fidẽ intueri, & interioribus diuino cultu laborantib. fide & opere cognosci, & exteriorib. otio vocãtibus fama & voce manifestari. Visuique tuo tam vmbrosa apparet, vt nec magnitudinem nec altitudinem eius cognoscere valeas, quia filius meus inter homines in mortalitate carnis, quoniam pro populo mortem subiturus erat, quasi obumbratus mortalis scilicet existens sine omni macula peccati apparuit: ita tamen quod vera eius incarnatio in mystica magnitudine secretorum Dei incomprehensibilis, & in excellentia diuinæ potentiæ inæstimabilis, omnem cognitionem humani intellectus excedat.

Quid locus trium cubitorũ.

12 Sed quod inter columnam hanc atque columnam veræ Trinitatis est interruptus locus longitudinis trium cubitorum, vacuusque absque muro vt tibi superius ostensum est, hoc est quod incarnatus Dei filius, Deus verus cum Patre & Spiritu sancto existens, adhuc latet in membris suis qui fideles homines sunt, qui vsq; ad finem mundi nascituri sunt, per viuentia opera membra capitis sui effecti: vt supra mirabiliter & typice edocta es. Qui quot & quales futuri sint in prolixitate superuenientium temporum, hoc est in mysterio ineffabilis Trinitatis eandem Trinitatem in vnitate diuinitatis fideli cultura adoraturi, locus eorum (vt qui adhuc nascituri sunt) vacuus est, cum sine ædificato muro bonorum operum sit. Vbi tamen fundamentum positum est, quoniam in præsentia Dei sunt: & quia etiam fide saluationis eorum quam habituri sunt iam posita fortiter cõsistit, ita vt homo spem & fiduciam non habeat in alio quam in Deo, non diffidens de misericordia eius, sed confidens in eum quod fortissimum fundamentum fidelis animæ est.

13 Quod autem hæc vmbrosa columna in hoc ipso ædificio in illo loco stat vbi desuper in cœlestibus mysteriis coram Deo illum magnum & quadratum lucidissimumque candoris splendorem prius vidisti, qui secretum superni creatoris designans in maximo mysterio tibi manifestatus est, hoc est quod incarnatus Dei filius, omnia opera sua quæ corporaliter in mundo multas iniurias passus operatus est, ea secundum secretam voluntatem Patris adimpleuit. Quid etiam ille splendor designat, magnus videlicet in significatione mysteriorum Dei: quatuorq; angulorum, quoniam ad cognitionem Christi multi ex iis qui per quatuor partes mundi nascuntur peruenturi sunt: atque eximij candoris, quia lucidissimam diuinitatem nulla tenebrositas obfuscare potest. Vbi idem secretum supernæ & glorioſæ maiestatis in magna profunditate & mysterio scientiæ creatoris omnium qui cuncta creauit typice tibi aperitur, ita vt ipsi creatori nullus ad hoc in auxilio succurreret nec vllus ipsi resistendo in hoc repugnaret, ea tantum in voluntate bonitatis suæ per verbum suum creans. Vnde in eo alius splendor velut aurora in se aëream in alto purpureæ lucis claritatem habens fulget, per quem tibi in mystica ostensione mysterium incarnati filij Dei demonstratum est, quoniam in secreto summi Dei, candor auroræ virginis scilicet Mariæ declaratur, quæ in vtero suo filium cœlestis & altissimi Patris portauit, qui purpureum sanguinem suum clarissima luce saluationis fulgentem effudit, secundum quod tibi in hac secreta visione incarnatio eiusdem filij mystica obumbratione ostenditur.

Quo inlũ co columna.

Quid asc. sui columna instar scala.

14 Sed quod in prædicta columna ab imo vsq; ad summum eius in modum scalæ ascensus est, hoc est quod in incarnato filio Dei omnes virtutes pleniter operabantur, qui in se vestigia saluationis reliquit: ita vt tam pusillus quam magnus fidelium sibi competentem gradum in ipso reperiant, in quo pedem in ascensum virtutum ponant, vt ad optima loca perueniant vbi virtutibus operandum est. Quomodo? In optimis locis bonorum cordium aggregantur virtutes ad sanctissimum opus suum, quatenus filium Dei in membris suis perficiant, quod est in electis hominibus. Vnde & in ipso est exemplum perfectionis omnibus fidelibus qui in lege Dei occupati sunt, vt se de bono recipiant ad melius, scientes manifestationem veræ incarnationis, vbi filius Dei veraciter in carne demonstratus est, in quo fidelissimus ascẽsus ad cœlestia reperitur. Propter quod etiam oẽs virtutes Dei descendẽtes & ascendentes oneratas lapidib. ad opus suũ hic ire vides, quia in vnigenito Dei lucidissimæ virtutes quasi per humanitatem eius descendunt, & quasi per diuinitatem ipsius sursum tendunt. Descendunt etiam per ipsum ad corda fidelium hominum, qui bono corde voluntatem suam relinquentes, ad recta opera flexibiles se reddunt, secundum quod operarius ad leuandum lapidem se inclinat quem ad ædificium deferat. In ipso etiam sursum ascendunt, cum cœlestia opera in hominibus perfecta Deo gratulabunde offerunt, vt corpus Christi

sti in fidelibus membris ipsius quam citissime perficiatur. Vnde etiam quasi lapides ad altiora portant, qui sunt pennata & lucida opera, quæ cum ipsis homines ad tutelam suam operantur: quoniam vnaquæque actio Deo offert alas suas, per quas se de fece humanæ mentis eleuet: fulgentem etiam splendorem habens, per quem ante Deum luceat, quia obstrui & abscondi non potest, quod fluit de fonte vitæ æternæ. Nam vt fons non debet esse in abscondito, sed in manifesto vt omnis homo qui sitit ad ipsum veniat & hauriat atque bibat, sic filius Dei non est obstrusus nec absconditus electis suis, sed manifestus, præparans se ad retributionem operum, vt ea manifestet iusta remuneratione, quæ propter ipsius voluntatem ab hominibus perficiuntur. Idcirco fidelis homo ambulet in fide ad Deum quæratque misericordiam eius, & dabitur illi. A non quærente autem non inuenietur: veluti fons nõ fluit ad homines ipsum solummodo scientes nec ad eum venire volentes, sed illos oportet ad eum accedere, si aquam eius haurire desiderant: sic homo faciat. Ad Deum accedat per legem sibi ab ipso constitutam, & inueniet eum, dabiturque illi cibus vitæ & aqua salutaris ita vt amplius nec esuriem nec sitim sustineat. Vnde & prædictæ virtutes intentum studium idem opus perficiendi habent, quoniam studiosissime sicut torrentes aquæ ad opus diuinum currunt, quatenus fulgentiores soleChristi membra capiti suo in lucidis acquisitionibus nobilissime perfecta coniungantur. Propter quod etiam vt audisti fortes operarij Dei appellantur: quia strenue in bonis operibus fidelium hominum semper conuersantur.

Quid septem virtutes.

15 Sed quod inter has virtutes præcipue septem vides, quarum etiam formas & habitus secundum quod tibi permittitur consideras, hoc est quod inter studiosa opera hæ septem virtutes præstantissimæ, septem ardentissima dona Spiritus sancti designant: quia in obumbratione Spiritus sancti virgo clarissima filium Dei sine peccato concepit in sanctificatione scilicet sanctarũ virtutum, quæ aperte in eodem vnigenito Dei manifestatæ sunt, quasi in forma sua illuminantes corda fidelium, & quasi in habitu suo in vnitate fidei se dilatantes, vt Isaias seruus meus testatur dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini.*

16 Hoc tale est. Virgo Maria egressa est de angustiis sæcularium oppressionum in dulcedinem honestatis morum, vt aliquis de domo egreditur in qua inclusus continebatur qui se non eleuat supra ipsam domum, sed recto itinere coram se graditur, & vt riuulus vini de torculari exprimitur non se exaltans supra torcular, sed moderate defluens in locum suum. Et quare virga? Quia non spinosa moribus, nec nodosa terrenis cupiditatibus, sed plana, id est carnali concupiscentiæ non copulata, orta scilicet de radice Iesse id est de illo qui quasi fundamentum erat regalis prolis, de qua illa illibata mater nata processit. Vnde & de radice eiusdem virgæ ascendit suauissimus odor, qui fuit integra puritas eiusdem virginis, volans in altissimum cacumen Spiritu sancto ita eam irrigante, quod ex ipsa almus flos natus est. Quomodo? Vt flos nascitur in agro non seminato semine, sic surrexit in ea cœlestis panis sine radice virilis commixtionis, & absque omni humano onere, sed tantum natus in suauitate Diuinitatis, non tactus vlla indignatione peccati, veniens, tortuoso serpente nesciente, nec eum propius tangente. Vnde & ille flos latenter illum decepit, ita quod sursum ascendit, & genus humanum in peccato conceptum ad alta sustulit, quod ille serpens prius fraudulenter deceperat, & in perditionem secum detraxerat. Et quoniam hic flos filius Dei erat, requieuit super eum spiritus Domini, id est spiritus æternæ diuinitatis. Quomodo? Quando humilitas exaltata est in ascensu illius floris, vbi in irrisione prostrata est superbia, quam prima mulier attendit, cum plus quam deberet sapere voluit, secunda muliere seruitio Dei se subdente, dum se recognouit paruam, in humilitate confessa Deum suum, Spiritus sanctus ardenter in ipso requieuit, in quo electa charitas latuit, quæ saluauit perditam plebẽ abstergens crimina & scelera hominum. Nam plenitudo sanctitatis erat in eo, quia viuens lumẽ in ipso radiauit, in quo noxium pomum cum sequentibus se nequitiis aruit, surgente in illo medicina mortuorm, quæ vexillum illud eleuauit quod mortem superauit & contriuit. Sanctitas enim in eo non caruit vlla possibilitate, ipso concepto absq; omni peccati commixtione, sicut sæpius offenditur in natis hominum qui nascuntur in multiplicium criminum varietate. Sed & cum flos ille dedit operando & docendo omnem inspirationem iustitiæ, iam fructum in plenitudine Spiritus sancti protulit: quoniam ipse filius Dei indutus carne, aperte in opere suo demonstrauit: quod antea Spiritus sanctus mystice & quasi in occulto, inspiratione sua commouit. Qui Spiritus sanctus super illum florem septempliciter requiescere designatur, quia cum Deus omnia per verbum suum in Spiritu sancto crearet, septima die ab omni opere suo requieuit. Sed & eadem dona in signatione sua geminantur, quoniam corpus & anima sibi coniuncta simul in gemina dilectione per vnctionem Spiritus sancti debent operari timore Domini solo posito, quia ipse quasi in tremore charitatem venerans, vnum super omnia adorari designat. Vnde etiam & spiritus Domini denominatur fortissimis virtutibus ab eo clarescentibus, vt à radice rami procedunt: quoniam vnus Deus est à quo omnia bona veniunt; & per quem omnia bona sapienter disposita sunt. Et quia spiritus Domini super ipsum florem requieuit; spiritus etiam sapientiæ super ipsum mansit: quoniam vbi spiritus Domini affuit, ibi sapientia non defuit. Sic ergo spiritus sapientiæ & intellectus in eo fuit; quoniam magna sapientia apparuit, cum Deus omnia per verbum suum creauit: sapientia sic diffusa est in illo, quod idem verbum erat sapientia. Sed ipsum verbum nondum incarnatum inuisibile fuit, id autem incarnatum visibile apparuit: quoniam verbum

quod

quod ante omnem creaturam erat in corde patris per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, ipsum enituit flos sub tempore scilicet emicans in humanitate, bonum intellectum hominibus proferens suis testificationibus. Quid hoc? Sapientiæ intellectus congrue adiungitur, quia cum homo à Deo in sapientia creatus sit, creatorem suum digne intelligere debuit. Ergo ante partum virginalem Deus intelligendus erat absque vlla dubitatione. Sed post partum, virginalem prædictum florem in carne proferentem, idem flos intelligendus erat Deus & homo, sed non sine admiratione. Et ille intellectus prius inuisibilis, visus est visibilis in flore, cum ipse flos hanc intelligibilem causam protulit, quod homo scilicet sapienter intelligit Deum in factis suis. Quomodo? Sapientia est origo bonorum operum, cum homo sapienter veneratur Deum suum. Cui intellectus adhæret, quoniam cum homo per sapientiam bonum operatur, iam illud dilatatur ad alios, ita vt bonum odorem & dulcem gustum ab ipso emicantem cum gaudio intelligant in eo. In virgineo quoque isto flore intellectum subsequitur consilium, quia homo intellectum habens, diuino consilio liberandus erat. Inde spiritus consilii & fortitudinis super eum requieuit, quoniam hoc consilium apud patrem sine tempore fuit, vt verbum suum incarnaretur, sub tempore perficiens omnia opera sua secundum voluntatem patris, & ostendens obedientiam per seipsum, ita vt ipsa ab eo ad homines fulgeret, quatenus eum ita in factis suis imitari discerent. Quod dum ita apparuit in fortissima virtute totum surgens de diuinitate, fortitudo se in ipso occuluit, quatenus diabolum tanto fortius debellaret quanto secretius illi se per consilium abscondisset. Quomodo? Consilio apte fortitudo adhæret, quoniam consilium Dei per fortitudinem filij ipsius regnum diaboli destruxit. Vnde idem filius Dei, fortissimus videlicet leo contriuit infidelitatis mortem per splendidissimum lumen quod fides est: quia magna fortitudo est hominem ea per consilium credere, quæ corporali visu non valet videre. Quid hoc? Consilium per coniunctam sibi fortitudinem perforat duritiam lapideorum cordium, quæ obdurata sunt in consuetudine prauorum morum ita ineptam duritiam transiens quod carnale opus abiicitur, & Dei opus aptissime perficitur. Quapropter & in prædicto flore fortitudinem scientia comitatur, quoniam homines per fortitudinem Dei ad scientiam ipsius ita vt eum cognoscant perueniunt. Hinc est quod & spiritus scientiæ & pietatis in eo etiam per supernam dulcedinem requiem habuit, quoniam ipse scienter miseriis hominum condoluit: spes etiam existens per quam intratur ad saluationē, cum scelus mundi scienter per mortem suam absterserit in magna pietate. Quid hoc? Scientiæ pietas recte adiungitur: quia filius Dei scienter in magna pietate adimpleuit voluntatem patris sui. Ipse enim filius solus natus ex virgine, transfudit inter populos germen cœlestis virtutis, vt sequantur consortium Angelorum quod pudicitia castitatis est: quia virtus hæc surrexit in superna pietate, sic videlicet quod in egrediente virga de Iesse, virtutes floris huius germinarent, quas prima mulier fugauerat dum consensit audiens consilium serpentis, ita quod in ea cecidit omne genus humanum, carens gaudio supernæ claritatis, nisi quod floriditas virgę illius scienter illud eleuauit per pietatem in sanctitate saluationis. Quomodo? Fortitudini quæ diabolum deuincit, adhęrentem illi scientiam Spiritus sanctus inspirat, cum Deus per fideles homines deuotissime in ardentibus desideriis agnoscitur, & intimo tactu fidelis animæ desiderantissime amplexatur. Sed & in virgineo flore pietatem timor Domini subsequitur, quia cum pietas inest fidelibus hominibus, timorem Domini acquirunt, ad explenda præcepta ipsius. Vnde timor Domini eundem florem repleuit, quia ipse tantam plenitudinem virtutum in se habuit, quod in eo nullus vacuus locus inuentus est, vbi aut mortifera superbia, aut delectatio honoris, aut præuaricatio legis sedē inuenire potuisset: sed totus plenus erat timoris Domini, non quærens alienam gloriam vt primus Angelus & Adam quæsierunt, sed honorans patrem suum in omni opere suo, dignam ei præbens obedientiam. Ideo & timor Domini initium habet omnis iustitiæ, quia ipse est finis & initium cæterarum virtutē, vt requiei septima dies, ostendit completionem & ortum creaturarum. Quomodo? Timor excutit & mouet tremorem, qui radix est germinādi vt fructuosę virtutes procedant. Vnde & flos iste plenus timoris Domini est, quia omnia germina bonorum operum adhærent ei: quoniam ipse materia eorum est, flore eodem germinante viriditatem quarumcunque virtutum, fructu earum præ cæteris repleto quatenus omnia bona perficiat: vt etiam de ipso scriptura habet: *Sicut malum inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraui sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

17 Hoc tale est. Filius virginis, dulcissimus amator castæ dilectionis, quem apprehendit fidelis anima desiderans dulcissima eius amplexione integritatem suam coronare, relicto carnali viro, & se copulans Christo, eumque certissimo fœdere amans & in speculo fidei aspiciens, est pulcherrimus fructus fructiferæ arboris, id est filius virginis exiens de virginali candore, sicut pomum de fructuosa floriditate præbentque escam refectionis esurientibus, & succum dulcedinis sitientibus, & hoc modo ligna syluestria præcellens, id est filios hominum qui in peccatis concipiuntur, & in ipsis conuersantur, nec talem fructum afferentes qualem ipse attulit, quoniam à Deo exiuit plenum fructum suauitatis vitæ afferens, aliis quidem nec viriditatem nec fructum à seipsis habentibus sed ab ipso. Quomodo? Ipse per incarnationem suam mundo saluationem dedit, dilectus Dei filius inter filios hominum apparens qui per feruorem ipsius virebant & fructum afferebant, sed non tanta plenitudine fœcundi quanta ipse repletus erat, quia totus sanctus à Deo exiens de virgine natus est: Et quare dilectus? Quia ipse hoc conculcat, quod fideli animæ ad cœlestia properanti obstitit. Vnde & sancta anima æquissimo iudicio eum dilectum

nun-

huncùpat, quoniam per fidem dilectionis seipsam relinquens, & in magno certamine carnalium voluptatum ad illum beneuole anhelans, atque in ardore lachrymabilis desiderij seipsam reprobans, ei adhæret, vt mulier viro, cui cum gaudio voluntatis suæ associata est. Et ideo cum in exordio conseruandæ castitatis ad eum incipit suspirare ad seipsam dicit: Volo prosternere carnalem voluptatem & me coniungere illi sub cuius dilectionis vmbra qua me in ardore ardentis desiderij sui à contrario igne obumbrauit, sedeo. Quomodo? Dum inebriatum studium in eius amore habens, subiectum in igneum carnis amorem in consensu animæ meæ premo. Et ob hoc dulcissimus fructus eius quem gustabam in anima mea suspirans ad Deum, dulcior mihi est in ea super omnem dulcedinem carnis, quam sentiebam in concupiscentiis eius. Et quare dulcis? Quoniam ipse ex virgine natus habet dulcissimum saporem, & fortissimum vnguentum stillans vt balsamum, quod est resurrectio ad vitam in qua mortui erecti sunt, ac continens maximam medicinam quæ tersit vulnera peccatorum per incarnationem ipsius, quæ plenissima sanctitatis & dulcedinis in omni genere virtutum cum virginitate est. Vnde ô virginitas quæ de ignea accensione consistis, robustissimum germen quod de stella maris emicans omnem spurcitiam turpitudinis contra sæuissima iacula diaboli semper dimicans conculcat, gaude in cœlesti harmonia, in spe consortij Angelorum. Quomodo? Spiritus sanctus simphonizat in tabernaculo virginitatis, quoniam ipsa verbum Dei semper ruminat, quomodo possit Christum amplexari cum omni deuotione ardens in eius amore, hoc habens in obliuione quod in concupiscentia carnis in ardore incendij fragile in homine est, vni viro quem nunquam peccatum tetigit adhærens, cui & sine omni concupiscentia carnis coniuncta est, semper cum illo florens in gaudio regalium nuptiarum.

Quid similitudo virtutum & sericea vestes.

18 Nunc autem quod similitudinem in prædictis virtutibus vides, ita quod omnes vt & aliæ virtutes quæ supra tibi demonstratæ sunt veluti vestibus ex serico induuntur, hoc est quod in ordine suo piam vnanimitatem illa luminaria in mentibus hominum parant, etiam quomodo reliquæ virtutes in Deo mollitiem indumentorum, id est lenitatem deuotionis in respectione sanctarum animarum, vepribus in duritia vitiorum carentium, habentia. Quod autem quædam albis crinibus retecto capite & absque amictu palliorum incedunt, hoc est quod illæ in copula candoris innocentiæ, ligaturam iunctuæ prauorum morum in mentibus fidelium hominum non habent, & quod etiam secularibus studiis circumdatę non sunt, omnino fugientes vicissitudinem vitiorum. Sed prima more fœmineo est in capite velata, atque quasi casula tanquam crystallus perlucida induta, quia vinculum subiectionis humiliter Deo subiecta portat, superna scilicet solicitudine omnem exaltationem diabolicam prosternens, pio que capiti id est Christo adhærens, humillimum quoque sacerdotem & absque omni puluere peccati purissimum in lucidissima cordis puritate incitans: quoniam constricti & humiles puriq; sacerdotes summi sacerdotes esse debent. Secunda autem nigros capillos habet, manifeste ostendens quod in capite suo Christo abstergit nigredinem peccatorum in hominibus. Tertia vero dissimilis humanæ formæ videtur, quoniam hoc ministerium habet, vt hominem ita concutiat quatenus terreatur & tremiscat de Dei iudicio. Vnde & specie caret hominis, quia homo sæpe Deum postponens, timoris eius obliuiscitur, quod ipsa omnino facere recusat. Prima quoque & quarta atque quinta albis tunicis vestiuntur, quia circumdatæ sunt veste innocentiæ quam Adam perdidit transgrediens piam iussionem, postmodum autem in candidissimo lilio floridissimæ virginitatis cum induto opere simplicis in Deo subiectionis recuperata in saluationem, quod ante Deum lucet sicut clarissima stella humanis oculis ignescit. Omnes etiam alba calceamenta habent, excepta tertia secundum speciem hominis non apparente, quoniam ipsæ pulcherrimum opus sunt in hominibus qui desideria carnis in se ad nihilum deducunt, iuxta exemplum sui saluatoris, quod est splendor splendidissimus: vna earum hominem non simulante, quia non habet respectum vllius audaciæ, semper solicita & non negligens vt homo qui sæpius suiipsius per contumaciam obliuiscitur, ipsa dispensatrix existens iustæ admonitionis vt quisque fidelis iudicium Dei caute intueatur: & excepta quarta quæ crystallinis calceamentis miro modo lucentibus calceatur, quoniam illa in voluntate sua se constringens, pergit lucidissimum iter Christi, ita mortem etiam in seipsa per igneum ardorem Spiritus sancti suffocans. Quod autem in eisdem virtutibus est dissimilitudo, hoc est quod quamuis vnius studij vnanimitatem habeant, tamen diuersa opera in hominibus operantur.

Humilitas.

19 Propter quod & prima imago prætendit humilitatem, quæ primitus filium Dei manifestauit, cum Deus qui cœlum & terram in sua habet potestate filium suum mittere ad terras non dedignatus est. Vnde etiam portat coronam auream capiti suo impositam, tres ramos altius extantes habentem, quoniam ipsa cæteras virtutes præcellens, & suauiter antecedens coronata est corona aurea, scilicet pretiosissima & fulgentissima incarnatione saluatoris, qui eam quasi in capite, id est in hoc mysterio cum incarnatus est decorauit. Quæ triangularis existit, quia Trinitas est in vnitate & vnitas in Trinitate, Filius scilicet cum Patre & Spiritu sancto, vnus & verus Deus omnia excellens in altitudine diuinitatis. Et pretiosissimis lapidibus viridis & rubei coloris & albis baccis multo fulget ornatu, quoniam eadem humanitas saluatoris ostendit in se altissimam & profundissimam bonitatem sui operis, quod idem filius Dei operatus est in viriditate illa cum virtutes iam in doctrina eius virebant: & in rubore sanguinis ipsius, cum mortem passus est in cruce, saluans hominem, atque in clarissima

albedine resurrectionis & ascensionis eius, cum quibus omnibus illuminata & ornata est Ecclesia, vt res illa illustratur & decoratur cui preciosi lapides imponuntur. Quod autem in pectore suo habet speculum lucidissimum, in quo mira claritate imago incarnati filij Dei apparet, hoc est quod in humilitate quæ in corde sacrati templi est, in beatissima & splendidissima scientia pie & humillime ac splendide firmissimeq; effulsit ipse vnigenitus Dei, in omnibus operibus suis quæ corporaliter gesit, in quibus se mundo præcipue manifestauit. Vnde etiam & ipsa in illustriori parte corda electorum fidelium consignat, in eis tribunal suum ponens, omnes actus ipsorum videlicet regens & dirigens, quia solidissimum fundamentum omnium bonorum in hominibus est, veluti etiam in supradicta materna admonitione sua ostendit.

Charitas. 20 Sed secunda designat charitatem, quoniam post humilitatem illam qua filius Dei incarnari dignatus est, ostensa est etiam vera & ardentissima lampas charitatis: cum Deus ita dilexit hominem, vt propter ipsius amorem vnigenitum suum mitteret incarnandum. Quæ tota videtur vt hyacinthus aërij in alto coloris, videlicet tam forma quam tunica ipsius, quia incarnatus Dei filius per humanitatem suam illustrauit fideles & cœlestes homines, vt res illa per hyacinthum illustratur cui imponitur: ita eos etiam incendens charitate, vt vnicuique homini indigenti fideliter subueniant, sicut & virtus hæc induitur tunica dulcedinis Dei, hoc habens officium quatenus deuotione, actu & vsu omnibus hominibus in recto lumine luceat. Propter quod etiam eidem tunicæ duæ zonæ inæstimabili modo, auro & gemmis ornatæ mirabiliter intextæ sunt, quæ sunt in dulcedine Dei gemina præcepta charitatis, bona scilicet & præcipua voluntate quasi auro & iustis operibus veluti clarissimis gemmis, mirabili dono summi datoris composita. Ita vt super vtrumque humerum eiusdem imaginis zona vna vsque ad pedes ipsius ante & retro descendat, quoniam eadem præcepta in multa solicitudine portat vnum scilicet in Deo vt in humero dextro, & alterum in proximo vt in humero sinistro, sicut scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.* Hoc tale est. Sic debes diligere Dominum Deum tuum, qui Dominus tuus est videlicet hoc honore quo dominatur omni creaturæ, & Deus tuus quia ipse non habens initium sed creator omnium existens, ita vt propter amorem eius in corde tuo primum exuperes & prosternas carnem corporis tui, quod tibi valde durum est, quia primum deuicta carne postmodum regnabit spiritus tuus in te, & tunc Deum in anima tua sic intelliges vt mandata eius scienter custodias, atque ea non pigro opere compleas. Et deinde hoc modo omnes vires corporis & animæ tuæ Deo subiiciuntur, quoniam hæc prima victoria in corpore tuo facta est, ita vt tunc in omnibus his propositis causis Deum fortissimum in tua mente comprehendas, quod tibi tanquam firmum propugnaculum est contra insidias inimicorum tuorum, ita vt fortitudinem eius in prædictis rebus nullus superare valeat inimicus: quia mens tua omnia hæc continere debet, in se confirmans & consolidans cuncta quæ agis. Hæc ergo facies toto corde, tota anima, & omnibus viribus, & omni mente tua, ita vt nihil deficiat tibi in fide: quatenus non consentias vlli rei quæ repugnat Deo, te diuidens in aliena, sed vt colligas te ad dulcedinem dilectionis eius, diligens & teipsum. Quomodo? Si diligis Deum, diligis salutem tuam. Et sicut tunc in his omnibus te diligis, sic diliges & proximum tuum: quia quisque fidelis homo est tibi proximus, existens in Christiano nomine ac in fide, ita vt sic gaudeas in eius recta prosperitate, & superna saluatione vt fideliter in fide conseruetur, sicut etiam lætaris de tua salute. Hoc ergo geminum opus charitatis sit in homine: descendens vsque ad pedes eius, id est ad finem consumationis: ante ipsum, scilicet apparens in lege Dei: & retro, in hominis videlicet subuentione: vt & homo sic charitatem sectetur, quatenus reiecta morte perueniat ad perfectionem vitæ: sicut etiam eadem charitas superius in verbis suis declarat.

Timor. 21 Tertia autem imago significat timorem Domini, qui post hanc charitatem quam Deus hominibus manifestauit, cum filium suum pro ipsis mortem subire voluit in mentibus fidelium surrexit, ita vt cœlestia præcepta plenius intelligerẽt & perfectius quam prius adimplerent. Quam nũc vides in eodem schemate vt in priori visione eam vidisti, quoniam incommutabilis Deus, simili & non dissimili honore & reuerentia habendus est in omni creatura & factura eius, vt & tibi superius declaratum est. Est quoque maioris & longioris staturæ quam cæteræ virtutes, dissimilisq; humanæ formæ, quia ipsa præ cæteris angustiam & tremorem infert hominibus, ita vt magnitudinem summæ maiestatis & altitudinem diuinitatis ipsius perspicacibus oculis semper considerando pauescant: quoniam Deus omnibus hominibus multa veneratione metuendus est, quia ab ipso & non ab alio creati sunt. Vnde etiam eadem virtus speciem hominis non habet, quia contradictionem illam qua Deo in malefactis resistitur (vt supra dictum est) abiicit figens tantum in timorem cognitionem suam in Deum, pergensque rectissima itinera voluntatis eius. Ideo & plurimos oculos vndique in se habet, tota in sapientia viuens, quia per oculos boni intellectus, vbique se circumspicit, Deum intuendo in omnibus mirabilibus eius: ita vt in bonis operibus eius rectum iter habeat, & in malis confusionem diaboli per cognitionem Dei diffugiat: omnis tali modo in sapientia fulgens, quia omnia mortifera spiritui nocentia contemnit, mortem fugiens & iniquitatem relinquens, atque sapienter domum sibi in vita ædificans. Induta est quoque quasi vmbroso indumento, per quod ipsi oculi prospiciunt, quia circumdata est validissima cõstrictione, frangẽs desideria carnis in hominibus, & aspiciens

per

per eandem abstinentiam in lumine vitæ, in quo mirifice fulget homo in beatitudine. Multoq; timore tremit coram me, quoniam angustiam & tremorem ponit in cordibus ignitorum hominum, ita vt turbinem & fragilitatem carnis suæ, semper habeant in pauore, ne labantur in peccatis, & ne fiduciam suam in seipsis aut in aliis hominibus ponant, sed in eum qui regnat in æuum, veluti etiam ipsa vt supra visum est in querimonia sua ostendit.

Obedientia 22 Quarta vero declarat obedientiam, quoniam post timorem illum, qui mihi in reuerentia exhibetur, præceptis etiam meis congrue obeditur. Vnde & niueum vinculum circa collum portat, quia candidissimas facit mentes hominum, qui per subiectionem fidelis subiectionis vbique fortitudinem colli voluntatis suæ deserunt & innocenti Agno scilicet filio meo adhærent. Atque manus & pedes candido ligamine habet ligatas, quoniam ad opus Christi & ad viam veritatis in albedine veræ fidei ligata est, non faciens neque vadens secundum se, sed secundum vocem præsidentis Dei: vt etiam in prædictis verbis suis demonstrat.

Fides. 23 Quinta autem designat fidem, quia post obedientiam qua populus præceptis meis obedit in auditu, fit etiam credulus in fide, ea fideliter complens in opere, quæ solerter percepit in admonitione. Et hæc circa collum rubeum torquem habet, quoniam vndique in fortitudine sua fideliter perseuerans, martyr o sanguinis decoratur, fiduciam suam non in fallacibus vanitatibus ponens, sed in Deo, secundum quod & ipsa de se vt supra ostensum est declarat.

Spes. 24 Sexta vero præfigurat spem, quæ post finem credendi in Deum surgit ad vitam in terra non habita sed in cœlestibus vsque ad tempus perpetuæ remunerationis celata: ad quam ipsa spes toto desiderio anhelat vt mercenarius ad mercedem suam, & vt puer ad debitam sibi hæreditatem. Vnde etiam tunica pallidi induitur coloris, quia fiducia operis sui quasi in pallore circumdatur, cum nondum in præsenti remunerata est, sed ad quod semper gemitibus suspirat, hoc futurum multa fatigatione expectat. Quod autem crux passionis crucifixi filij mei ante eam in aëre appareret, ad quam ipsa oculos & manus cum multa deuotione erigit, hoc est quod ad martyrium eiusdem vnigeniti mei, cœlesti desiderio quasi in aëre plurimam fiduciam in mentibus fidelium parat: ita vt ad eum interiorem visum fidei & clarissima opera sui laboris humili & syncera intentione erigant: sicut & hæc virtus superius ostendit in oratione sua.

Castitas. 25 Sed septima prætendit castitatem, quoniam postquam homines spem suam pleniter posuerint in Deum, crescit in eis perfectum opus. Ita quod se incipiunt à carnalibus desideriis constringere in castitate, quæ in flore carnis acutissimæ sentit abstinentiam, vt iuuencula scilicet sentit ardorem concupiscentiæ, nolens tamen in virum respicere. Sic castitas abiicit omnem spurcitiam in pulcherrimis desideriis, anhelans ad dulcissimum amatorem suum, qui est suauissimus & amantissimus odor omnium bonorum, in deliciis cunctarum virium virtutis constantiæ, ab amatoribus suis aspiciendus in timore & pulchritudine animæ. Vnde & ipsa lucidiore & puriore crystallo tunica vestitur, quæ ita in candore relucet vt aqua resplendet cum sole perfunditur, quia lucidissima in simplici intentione & purissima absque omni puluere ardentis libidinis concupiscentiarum mirabiliter confortata per Spiritum sanctum, circumdata est, veste innocentiæ lucente in clarissima albedine fontis aquæ viuæ, qui est splendidissimus sol æternæ claritatis. Quod vero super caput eius expansis quasi ad volandum alis columba stat, versa secundum faciem illius, hoc est quod castitas in initio suo velut in capite suo per expansionem & obumbrationem alarum columbæ, id est per protectionem Spiritus sancti confortata est, facientis eam diabolicarum insidiarum vicissitudinem transuolare, cum per igneum amorem sanctæ inspirationis illuc se dirigens aspicit, vbi castitas vultum dulcedinis suæ manifestat. Propter quod apparet etiam quasi in ventre eius veluti in speculo candidissimus infans, cuius fronti inscriptum est Innocentia, quoniam in visceribus purissimæ & euidentissimæ virtutis huius, est inuiolabilis & pulcherrima certissimaq; integritas, habens rudem formam propter integritatem simplicis infantiæ: sicut & frons, id est cognitio eius non arrogantiam & elatam superbiam sed simplicem ostendit innocentiam. Et quod in dextra manu regale sceptrum habet, sinistram ad pectus suum ponens, hoc est quod in dextra saluationis per filium Dei regem cunctorum, vita manifestata est in castitate, sinistram libidinis per eundem propugnatorem confundentem & ad nihilum redigentem, in cordibus eum diligentium. Quomodo? Quia non vult libidini vllam dimittere libertatem, sed vt rapax volucris putridum cadauer rapiens constringit, & ad nihilum deducit, sic ipsam libidinem coram Deo fœtentem abiicit & omnino conterit, ita vt nec sub ea spirare valeat, secundum quod etiam in verbis suis hæc virtus supra manifestat.

26 Sed quod in summitate præfatæ obumbratæ columnæ altam pulcherrimam imaginem vides, hoc est quod summa & præcellentissima pietate omnipotentis, in ipsa incarnatione saluatoris splendidissima virtus scilicet gratia Dei manifestata est: quæ fortissima plenitudo existit in Deo, monens homines pœnitentiam agere, vt per eam relaxentur ab ipsis perpetratæ nequitiæ. Quæ nudo capite stat, quia omnibus eam quærentibus aperta est dignitas & claritas eius: crispo & subnigros capillos habens, quoniam vnigenitus Dei sub tortuoso & implexo in nigredine infidelitatis suæ Iudaico populo, humanitate absque macula peccati in virginea carne se induit. Et faciem virilem habet tantæ ardentis claritatis, vt eam perspicue considerare non possis, vt faciem hominis, quia in gratia Dei in potenti virtute omnipotentis, Dominus vitæ in vita apparuit, ita

Quid ima go in summitate.

Caput.

Capilli.

Facies.

ardens in clarisſima diuinitate vt omnem viſum tam interiorem quam exteriorem hominis excedat, dum adhuc grauedine corporali grauatur, nec ita aperta in ſecretis ſuis apparens vt iudicio hominum nuda appareat : ſed abſcondita, quia iudicia diuinæ gratiæ occulta ſunt. Quod *Tunica.* autem eſt purpurei & ſubnigri coloris tunica induta, hoc eſt quod opus gratiæ Dei ardens in charitate ſe inclinat ad nigredinem peccatorum, quaſi ad indumentum hominum. Quomodo? Ita quod monet illos ad ſalutem eos leuans de luto peccati ad ſpectaculum luminis per pœnitentiam : quoniam vt dies fugat tenebras, ſic ipſa aufert facinora reædificando in pœnitentia peccatores ad vitam. Cui etiam ſuper vtrumque *Zona.* humerum eiuſdem imaginis zona vna coloris rubicundi croci, ante & retro vſque ad pedes eius ſe extendens intexta eſt, quia gratia Dei ſe inclinans ad fideles homines, in fortitudine & pietate ſua leuat eos ſurſum ad cœleſtia. Quomodo? Hoc eſt, his duobus itineribus zonarum tangens videlicet anxietatem fragilis carnis in ſanguinea pugna deſudantis, & virtutem roboris animæ in corpore tepentis & trahens eos in rubeo & in croceo ſplendore humanitatis & diuinitatis filij Dei, ſcilicet ſerenisſimi ſolis ad amorem ſupernorum : ita vt ſibiipſi in concupiſcentia peccati fidelis homo reſiſtat in integritate gratiæ tactus, videlicet coram ſe ad virtutes & poſt ſe ad mortificationem vitiorum, quatenus viriliter bono & vero ſine conſumet opera ſua, indutus in eis exoptabili & delectabili textura. Sed quod *Pallium.* circa collum habet Epiſcopale pallium mirabili modo auro & pretioſisſimis gemmis adornatum, hoc eſt quod Chriſtus filius Dei ſummus ſacerdos patris exiſtens, vbique in fortisſima virtute ſacerdotale habet officium : quod auro ſapientiæ & gemmis virtutũ ab imitatoribus ipſius in membris eorundem fidelium ſuorum per gratiam Dei debet decorari. Vnde & ſplendor candidisſimus ita eam vbique circumdat, vt nuſquam niſi ante à capite videlicet & deorſum vſque ad pedes eius, ipſam inſpicere poſſis, quoniam ſerenisſimo candore miſericordiæ omnipotentis gratia ipſius circumdata eſt: quæ in myſterio diuinitatis in retro actis temporibus ante humanitatem ſaluatoris inuiſibilis & minus grata latuit, tantum ab eiuſdem ſaluatoris incarnatione vſque ad vltimum membrorum ipſius qui circa finem ſæculi futurus eſt quantum humano intellectui poſſibile eſt apertius in operibus ſuis manifeſtata declaratur. Sed brachia & manus atque pedes ipſius tibi *Brachia, Manus, Pedes.* ad videndum obumbrati ſunt, quia fortitudo & opus atque finis itineris gratiæ Dei in hominibus, nulli grauato corpore ad cognoſcendum plene apparent. Quod vero ſplendor qui eam circumdat *Splendor oculis plenus.* oculis vndique plenus eſt, totusq; viuens, hoc eſt quod diuina miſericordia gratiæ Dei adiuncta multas miſerationes oculorum plurimarum miſericordiarum ſuarum oſtendit, in dolores hominum aſpicientes qui Deum ſequi deſiderant, omniſq; viuens eſt, in conſolatione & in ſaluatione animarum iplorum nullo modo parans in eis perditionem ſed vitam. Atque hac & illac ſe diffundit vt nubes diffluere ſolet, quoniam præcedit iuſtos vt ſibi prouideant ne cadant, ſubſequens peccatores vt pœniteant & reſurgant, omnibus ipſam quærentibus cœleſti dono ſe manifeſtans: ita vt nunc latiorem nunc autem conſtrictiorem ſe reddat, quia in miſeriis & plangentibus cordibus fidelium, aliquando multa fructuoſitate exuberat, aliquando etiam in flagitioſis & duris mentibus peccatorum ſe contrahens, propter ariditatem illorum. Propter quod etiam ipſa præcedit & ſubſequitur, tangit & monet homines vt prædictum eſt, vt qui filij Dei eſſe deſiderant, verba eius gaudenter ſuſcipiant, & ſuſcipientes compleant, caduca ſcilicet contemnentes, & manſura complectentes : ſicut & eadem virtus in ſuperiore exhortatione ſua filios Dei alloquitur. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardenti amore ſpeculi mei, ad verba hæc anhelet, & ea in conſcientia animi ſui conſcribat.

VISIO NONA.

POST hæc vidi vltra præfatam columnam humanitatis ſaluatoris, turrim lucidisſimi ſplendoris prædicto lapideo muro meridianæ plagæ prius vili ædificij ita impoſitam vt & intra & extra ipſum ædificium videri poſſet, latitudinis quidem vbique in interiori parte circuitus ſui quinque cubitorum, tantæ autem altitudinis vt eam diſcernere nequirem. Sed & inter turrim illam & columnam humanitatis ſaluatoris, fundamentum ſolummodo erat poſitum, muro nondum deſuper ædificato, ſed tantum interruptus & vacuus locus apparens, longitudinis erat cubiti vnius, vt etiam ſupra monſtratum eſt. Et turris hæc nondum fuerat ad plenum ædificata, multa tamen ſolertia & velocitate per plurimos operarios aſſidue conſtruebatur, habens in circuitu ſummitatis ſuæ ſeptem propugnacula, mira fortitudine conſtructa : ab interiore autem parte prædicti ædificij vidi quaſi ſcalam vſque ad cacumen turris illius erectam, & ab imo vſque ad ſummum in gradibus eius quãdam multitudinem hominum ſtantium igneas facies & alba veſtimenta ſed nigra calceamenta habentium, & inter eos aliquos ſimilis quidem ſchematis ſed maioris ſtaturæ & ſplendoris, ipſam turrim multa diligentia intuentes. Deinde in ſeptentrionali plaga eiuſdem ædificij, vidi mundum & homines qui de ſemine Adæ procreantur, intra prædictum lucidum murum ſpeculatiuæ ſcientiæ ipſius ædificij, & ambitum circuli qui de ſedente in throno protendebatur diſcurrentes : ex quibus multi idem ædificium inter turrim præcurſus voluntatis Dei & columnam Diuinitatis verbi eius, per præfatum murum ſpeculatiuæ ſcientiæ intrando & exeundo tranſibant, vt nubes hac & illac diffunditur. Sed qui ipſum ædificium intrabant, candidisſima veſte induebantur. Quorum alij de ſuauitate & lenitate veſtis illius gaudio magno exultantes eam retinebant,

nebant, alij autem quâsi de grauedine & difficultate eius triſtes effecti, illam exuere volebant. Quos benigne virtus hæc, quam ſcientiam Dei pridem nominari audieram, ſæpius compeſcens, vnicuique eorum dicebat: Conſidera & cuſtodi veſtem, qua indutus es. Vidique quod quidam eorum his verbis caſtigati, quamuis illud indumentum ipſis difficile videretur, illud tamen cum multo tudore retinebant: quidam vero verba illa ſubſannantes, veſtemque ipſam furioſe exuentes abiecerunt, ad mundum redeuntes vnde venerant, multaque perſcrutantes, multa inutilia ſæcularium vanitatum didicerunt. Quorum alij in ipſum ædificium tandem reuerſi, veſtem quam abiecerant iterum tollentes ſibi induerunt, alij autem reuerti nolentes ea denudati in mundo ignominioſe remanſerunt. Et vidi quod quidam ſordidiſſimi & nigerrimi quaſi per inſaniam excitati, ab Aquilone venientes in ipſum ædificium irruebant, turrimque præfatam bacchando inuadentes in eam vt ſerpentes ſibilabant. Ex quibus quidam ab hac ſtultitia ceſſantes, mundi effecti ſunt, aliis in eadem nequitia & ſorde ſua perſeuerantibus. Sed & intra idem ædificium conſpexi verſus eandem turrim quaſi ſeptem albi coloris marmoreas columnas, in miram rotunditatem tornatas, ſtantes, altitudinis ſeptem cubitorum, & in ſummitate ſua quaſi ferreum & rotundum habentes tabulatum, decenter aliquantulum in altitudinem ſurſum erectum: in cacumine autem eiuſdem tabulati vidi quaſi pulcherrimam imaginem ſtantem, & ad homines in mundum aſpicientem: cuius caput veluti fulgur tanto nitore radiabat, vt illud ad plenum non poſſem conſiderare. Et manus ad pectus ſuum reuerenter compoſuerat, pedibus eius in eodem tabulato mihi ad videndum occultatis. Circulum autem in modum coronæ multo fulgentem ſplendore gerebat in capite. Sed & tunica aurei coloris induebatur, in qua à pectore deorſum vſque ad pedes zona vna deſcendens, pretioſiſſimarum gemmarum ornatu viridis ſcilicet albi & rubei atque aërei purpureo fulgore interlucente coloris decorabatur. Et clamabat ad homines qui *Sapientia* in mundo erant, ita dicens: O tardi, cur non venitis? Nonne ſuccurretur vobis, ſi venire velletis? Cum cœperitis viam Dei currere, culices & muſcæ ſtrepitu ſuo vobis impedimento ſunt. Sed vos flabellum inſpirationis Spiritus ſancti accipite, & eas à vobis citius abigite. Vobis currendum eſt, & à Deo vobis eſt etiam auxilium ſperandum. Ad ſeruitium Dei non ficte vos exhibete, & confortabimini manu ipſius.

2 Sed in pauimento illius ædificij tres alias imagines vidi, quarum vna præfatis columnis accliuis erat, & reliquæ duæ ante ipſam ſibi collaterales ſtabant, ſe omnes ad columnam humanitatis ſaluatoris, & ad præfatam turrim dirigentes. Quæ autem ipſis columnis accliuis erat, tantæ latitudinis apparuit, vt latitudo quinque hominum ſibi aſtantium notari poteſt, tantæ autem proceritatis, vt longitudinem eius perfecte diſcernere non valerem, ita etiam quod per omne hoc ædificium proſpiceret. Magnum etiam caput & claros oculos habens acutiſſime in cœlum aſpiciebat, tota candida & perlucida exiſtens vt ſereniſſima nubes eſt. Aliam autem formam hominis in ea nullam conſpexi. Et per totum ædificium ad omnes reliquas virtutes clamauit, dicens: Omnes, ſtrenue ſurgamus, *Iuſtitia.* quia Lucifer tenebras ſuas per omnem mundum diffundit. Aedificemus turres & confirmemus eas cœleſtibus propugnaculis: quoniam diabolus aduerſarius & impugnator eſt electorum Dei. Qui vt primitus plurimum voluit & tentauit in ſua claritate, ſic etiam nunc plurimum vult & tentat in ſua tenebroſitate. Nam malitiam & nequitiam ſuam ſufflando & ſpargendo dilatat, nec ab hoc ceſſare vult. Aduerſum hæc nos cœleſtes milites ſumus poſiti in malitia & nequitia ſua illum ſuperare, alioquin homines præ illius impugnatione non poterunt in mundo ſaluari. Et vt ipſe in primo ortu ſuo repugnare tentauit diuinitati, ſic etiam imitator eius Antichriſtus in nouiſſimo tempore reſiſtere tentabit incarnationi Domini. Lucifer cecidit in initio temporum, & Antichriſtus corruet in fine eorum. Tunc quis Deus verus ſit cognoſcetur, & quis ſit qui nunquam cecidit videbitur. Vt autem Lucifer ſectatores habuit dæmones, qui eum ab altitudine cœli ſecuti ſunt in caſum damnationis, ſic & adhuc habet homines in terra qui eum ſequuntur ad interitum perditionis. Sed nos virtutes poſitæ ſumus contra aſtutias & exuffla-tiones eius quas emittit in mudum ad abſorbendas animas, ita quod omnes artes eius ad nihilum per nos in animabus iuſtorum redigantur, quatenus ex omni parte confuſus appareat. Vnde & per nos Deus agnoſcetur, quia non debet occultari ſed manifeſtari, quoniam iuſtus eſt in omnibus. Prior autem illarum quæ ante hanc imaginem ſibi collaterales ſtabant, armata videbatur, galea ſcilicet, lorica, ocreis, ac ferreis chirothecis induta, tenens etiam euaginatum gladium dextra, haſtam autem ſiniſtra. Et ſub pedibus ſuis horribilem draconem conculcans, os illius ferro haſtæ tranſuerberabat, ita vt ipſe immundiſſimas ſpumas euomeret. Sed & gladium quem tenebat, quaſi ad feriendum fortiter vibrabat. Et dixit: Fortiſſime Deus quis poteſt tibi *Fortitudo* reſiſtere & tibi repugnare? Hoc non poteſt ſerpens antiquus, draco ille diabolus. Vnde & ego tuo auxilio, illi repugnare volo, ita vt nullus mihi præualeat aut me deiiciat, nec fortis nec debilis, nec princeps nec abiectus, nec nobilis nec ignobilis, nec diues nec pauper. Ego vt fortiſſima calybs eſſe volo, omnia arma ad bella Dei apta faciens inuictiſſima, in quibus ſum acies acutiſſima, quoniam nullus perfringere poterit in te fortiſſimo Deo, per quem etiam ſurrexi ad eiiciendum diabolum. Vnde & fragilitati hominum ſemper certiſſimum ero refugium, dans mollitiei ipſorum incidentem gladium ad ſe defendendum. O miſerantiſſime & piiſſime Deus, adiuua contritos corde.

3 Altera vero imago triceps apparebat, ita vt in naturali loco capitis, & in vtroque humero suo caput appareret, medio tamen alia duo aliquantulum supereminente. Sed & ipsum medium & quod à dextris eius erat, tanto fulgore radiabant, vt claritas ipsorum visum meum reuerberaret. Ita quod vtrum virilem an muliebrem formam haberent, perfecte considerare non valerē: illo autem quod à sinistris apparebat aliquantulum obscuro, & muliebri consuetudine, candido velamine velato. Tunica vero ex albo serico illa imago induta fuerat, & candidissimis calceamentis. Et in pectore suo signum crucis gerebat, circa quod etiam splendor magnus in pectore eius velut aurora fulgens rutilabat. In dextra autem nudum versabat gladium, quem pectori suo & cruci cum multa deuotione applicabat. Et vidi in fronte medij capitis scriptum, sanctitas: & in fronte dextri, radix boni: & in fronte sinistri, non parcens sibi. Et medium ad alia duo aspiciens, dicebat: Prior de sancta humilitate in ipsa nata sum, vt infans nascitur in matre. Per ipsam etiam educata & confortata sum, vt per nutricem puer enutritur ad fortitudinē. Mater mea humilitas vincit & superat omnia contraria, quæ aliis etiam intolerabilia sunt. *Sanctitas*

4 Et caput quod ad dexteram eius erat respiciens ad caput principale ait: Ego in primo ortu radico in monte excelli culminis, qui Deus est. Et ideo ô sanctitas vt stare possis, oportet vt adhæream visceribus tuis.

5 Quod autem ad læuam ipsius stabat etiam ad ipsum principale caput suum aspiciens, dicebat: O væ, ô væ, ô væ, quomodo tam rigida & inflexibilis sum, quod me tā difficile superare possum ô sanctitas ad tuum auxilium? quia sine me stare non poteris si fugero. Ach, ach, ach bonum negligenti: quia me tam oportet inquietissimam spinam eradicare, quæ me pungendo conatur ad perditionē impellere, si eam non eruero antequam in me tota defigatur, & antequam veluti in putrido cadauere in me confoueatur. O sanctitas vt libere perseuerare possim in te, rapacissimum diaboli laqueum deuitare volo, & eum dirumpere in vero Deo.

6 Et iterum qui sedebat in throno vt supra, hæc mihi manifestauit dicens: Incarnato Dei filio, vocatio noui populi per doctrinam ipsius in Spiritu sancto ad saluationem subleuata surgens confortatione fortium hominum in exhortatione beatarum virtutum munita aduersus immanissimum hostem, cui nullus hominum resistere valet nisi gratia Dei adiutus, ita se inexpugnabilem Dei adiutorio exhibet vt nulla arte insidiarum eius euelli aut deleri possit à Deo. Vnde & turris hæc quam vides vltra præfatam columnam humanitatis saluatoris præfigurat Ecclesiam, quæ filij mei incarnatione completa, noua constructio in omni bono opere exorta est, in fortitudine & altitudine cœlestium actuum, vt munitissima turris ad resistendum iniquitati oppositæ diabolo.

Cur lapideo muro plaga meridiana inserta.

7 Quapropter & lucidissimi splendoris est prędicto lapideo muro meridianæ plagæ ipsius ædificij ita imposita vt & intra & extra ipsum ędificium videri possit, quia serenissima luce humanitatis filij Dei illustrata, viuentes lapides per calorem Spiritus sancti hoc modo succensos, in diuino opere habet, vt & interiori scientiæ scripturarum cœlestis intellectus ac exteriori stultitiæ sæcularium rerum ac fidelibus & infidelibus in ædificatione illa quam summus pater per vnigenitum suum operatur aperte demonstretur.

8 Et latitudinis quidem vbique in interiori parte circuitus sui, quinque cubitorum est, quoniam amplitudinem omnis intimę inspectionis & intentionem totius continuę meditationis per quinque sensus sui ornatus in infusione Spiritus sancti, cum omnibus virtutibus illis quas verus Agnus ei manifestat, ad honorem eiusdem Agni videlicet sponsi sui remittit. *Latitudo quinque cubitorū.*

9 Tantæ autem altitudinis apparet, vt eam discernere nequeas, quia maior altitudo & profunditas diuinæ sapientiæ & scientiæ in ecclesiastico opere est, quam cor humanum fragile & mortale perscrutari possit sua æstimatione. *Altitudo.*

10 Sed quod inter turrim istam & columnam humanitatis saluatoris fundamentum solummodo est positum muro nondum desuper ædificato, sed tantum interruptus & vacuus locus apparens, longitudinis cubiti vnius, vt tibi etiam supra prænonstratum est, hoc est quod de Ecclesia in desponsatione filio meo adiuncta, magnum adhuc præconium in scientia Dei quasi in firmo fundamento occultatum manet, quod nondum in completo opere perfectionis propalatum resplendet, sed sine apertione in humanis cordibus latet: longitudinis tamen vnius cubiti, quoniam sensus hominum in potestate vnius veri & omnipotentis Dei sunt: ita quod etiam homo in scientia boni & mali per intellectum suum potest capere quod sibi vtilius sit, vt & tibi aperta ostensione supra manifestatum est. Et quod turris hæc nondum est ad plenum ædificata, multa tamen solertia, & velocitate per plurimos operarios assidue construitur, hoc est quod eadem Ecclesia ad cursum & ad statum illum nondum peruenit, ad quem peruentura est, quamuis multa solicitudine & industria per celeritatem temporum labentium, in transeuntibus & superuenientibus filiis suis quotidie sine dilatione ad effectum decoris sui properare non cesset. *Fundamentum inter turrim & columnā.*

11 Habet tamen in circuitu summitatis suæ septem propugnacula, mira fortitudine constructa, quoniam circumdata est in celsitudine cœlestium operum septem inexpugnabilibus donis sancti Spiritus: quæ tantæ virtutis existunt, vt nullus aduersarius ea possit destruere vel per altitudinem mentis suæ ad ea superbe valeat pertingere. *Septem propugnacula.*

12 Quod autem ab interiore parte prædicti ædificij vides quasi scalam vsque ad cacumen turris illius erectam, hoc est quod in opere illo quod supernus Pater in diuino consilio per filium suum operatus est, multi in vnanimitate gradus florent in simplicitate constitutionis Ecclesiasticæ processionis, scilicet ad altitudinem cœlestium secretorum pertingentes, in quibus Ecclesia confortata *Scala.*

& ro-

& roborata est consistit. Et ab imo vsque ad summum in gradibus eius quædam multitudo hominum stat, quia à primis temporibus desponsationis Ecclesiæ vsque ad nuptiale tempus illud, cum ipsa aperte cum sponso suo in pleno muro filiorum suorum gaudebit, in gradibus constitutionis præceptorum Dei: cum quibus ipsa ædificata est lucebunt apostolica luminaria, eam à tenebris infidelitatis sua tuitione defendentia.

Facies & vestimẽta

13 Vnde etiam igneas facies & alba vestimenta sed nigra calceamenta habent, quoniam in intellectuali sensu eorum, id est apostolicorum rectorum spectabilis fides, credere scilicet in vnum Deum per ardorem sancti Spiritus in ipsis quasi facies accensa est: ita quod & per purissimam claritatem in veste bonorum operum coram Deo & sæculo resplenduerunt, nigris tamen indumentis pedum apparentibus, quia itinera infidelitatis & sordis multiplicium scelerum incredulorum populorum pertransierunt, quos suo exemplo ad viam iustitiæ (quamuis multa difficultate) tamen conuertentes perduxerunt.

Schema, statura, splendor.

14 Sed quod inter eos aliqui similis quidẽ schematis, sed maioris staturæ & splendoris apparent, hoc est quod inter eosdem Ecclesiasticos defensores, primi fundatores ipsius Ecclesiæ sunt, qui eam primum post filium Dei sua prædicatione ædificantes eundem quidem tenorem habẽt quem & sequaces eorũ qui eos præcipue imitati noscuntur: quoniam secundum hoc vt illi præcesserunt, sic illi subsecuti sunt: eis tamen forma præstantes, quia ipsi alium nullum prædecessorem habebant, à quo exemplum nouæ gratiæ traherent præter filium Dei, ab cuius ore verbum vitæ audierunt: atque eos claritate præcellentes, quoniam fulgorem incarnationis eius præ cæteris præsentialiter viderunt. Qui & ipsam turrim multa diligentia intuentur, quia sponsæ Dei in amore diuino, suę pietatis solicitudine adesse nõ cessant, vt in robore suo perfecte cõsistat vt scriptum est; *Sicut turris Dauid collũ tuũ quæ ædificata est cũ propugnaculis. Mille clypei pẽdẽt ex ea, omnis armatura fortiũ.*

15 Hoc tale est. Vt incarnatio filij summi rectoris, fortissimi scilicet leonis ex virginea floriditate venientis fortissimum instrumẽtum houę gratiæ posita est, sic fortitudo fidei tuæ ô noua sponsa, incorrupta durans, certissimum munimen fidelis populi constituta est. Quomodo? Fortissimis viribus tuis assunt & adhærent omnes munitiones filiorum tuorum, qui nutriendi sunt noua illustratione riuulorum è viuo & purissimo fonte stillantium: quos habes in hac fortitudinis coniunctione, vt collum reliquo corpori coniunctum est: ita vt nec destrui nec dissipari possis, sicut nec victoriosa instrumenta veri Dauid poterunt superari. Quomodo? virtus Christi Iesu filij Dei fortissima turris est, in qua victoriosissimæ militiæ fideliũ intrictissima probatione exercentur, quibus nullus aduersarius se prævalere gloriabitur: quia in se Christum verum Deum & hominem continent, per quem in secunda regeneratione omnis cõpago filiorum tuorum in salutem decentissime protenditur: vnde & illa purissima incarnatio à Prophetis prædicta, & preciosissimis lapidibus virtutũ adornata cum propugnaculis apostolicæ doctrinæ, id est cum plantatoribus iustitiæ veri luminis in vniuersum orbem ad salutem credentium propalata est: vt hæc parabola demonstrat: Dominus quidam vrbem marmoream habens in quam magna voce intonuit, plurimis celaturis muros eius interius celauit: ex quibus acutissimam limationem impolitorum lapidum spirauit. Quo facto, idem dominus in vnico verbo suo aquis aquarum dicebat, vt sua effusione æqualitatem facerent supra montes. Et hoc etiam peracto ignem ignis similiter admonuit, vt parua tabernacula pararet. Quo etiam adimpleto, eadem tabernacula ita in altum profecerunt, vt vrbem illam celeri profectu suo excellerent altitudine.

16 Hoc tale est. Dominus iste est quẽ nunquam præcesserit alius dominatione, sed ipse solus super omnia & in omnibus est, quia nihil ante eum, nec post eum inuentum est, ac ideo Dominus omnium est. Hic nobilem vrbem chorum scilicet Prophetarum, aduersus rabiem sęcularium tempestatum fortem & constantem in sua potestate habuit, quoniam infusione Spiritus sancti repleti erant, cum in eos idem Dominus voce magna intonuit ita quod in eis inspirationem illam suscitauit, qua mysteria eius obscuris verbis protulerunt, vt primum sonus auditur cum nondum verbum cognoscitur, sonum tamen Prophetiæ eorum, vero verbo filio scilicet Dei incarnato subsequẽte. Qui Dominus multiplices celaturas in cordibus eorum fecit, cum intellectum ipsorum multiplici spiritu sapientia insudit, ita quod in spirituali sensu profunda Dei tam præsentis quam futuri videlicet sæculi prophetauerunt, per quem efficacissimos sermones contra contrarios mores hominum protulerunt: quibus durissima corda Iudæorum ad lenitatem & pietatẽ sælicium actuum prouocauerunt. Sed incarnato verbo Dei, cœlestis Pater in eosdem filio suo innuens Apostolis (qui homines existentes segregati erant de communi populo vt purissimi riuuli eligũtur) de cæteris aquis fluentibus in plano dicebat, vt inundatione veræ fidei effluerent in orbem terrarum, deprimentes & conterentes magnum schisma contemptus, sufflatus superbiæ & exaltationis cultura idolorum, vt homines verum Deum cognoscendo desererent infidelitatem suam in prædicatione illorum. Qua fide in populis roborata, idem prouisor vniuersorum ignitas mentes electorum suorum, qui accensi fuerant de ignitis cordibus illorum quos Spiritus sanctus in igneis linguis aduenies tetigerat, suauiter etiam in Spiritu sancto admonuit, vt contemptores mundo effecti in contemplatione cœlestis vitæ, paruuli & pauperes spiritu esse non abnuerent: sed vt per hæc parua habitacula humilitatis, sibi supernas diuitias compararent. Quæ humilitatis operâ dum contemptores caducorum in excelso studio subtilissima præcepta Dei semper ruminantes imitarentur, vt martyres, virgines & reliqui sui metipsorum abiectores, ita in hac sui contritione ad amorem cœlestium ascenderunt, vt etiam agricolas in vinea veteris testamenti laborantes in

velocitate bonorum studiorum suorum superarent, dum semetipsos quasi pro nihilo habentes toto desiderio ad æterna anhelarent. Vnde & mille clypei multæ perfectæ videlicet defensiones perfectæ fidei noua gratia, pendent à filio Dei, dum primi pastores Ecclesiæ exemplum ab ipso trahentes & ob spem supernorum semetipsos conculcantes, Catholicam fidem sanguinis sui effusione roboratam, ab ignitis iaculis diaboli (quæ vulnerant animas hominum) protegunt: quis multiplices virtutes armaturæ cœlestis militiæ in cæteris electis subsequentes, etiam in hoc sęculo amori Dei obsequuntur. Quomodo? Quia antiquus serpens primo homini pessimum fœtorẽ contemptus Dei insufflauit, idcirco & ipse diabolus odore omni aromatum castitatis scilicet & continentiæ, ac ligaturæ prȩceptorum Dei, necnon societatis Christi, iugum eius sufferre atque contemptus totius mundi durissime in his sibi contrariis cœlestibus iaculis transfigitur, ita quod abiectus de ciuitate Dei, confusus & conculcatus in aperta sue damnationis parte à fidelibus abhorreatur.

Mundus & semen Adæ.

17 Quod autem in septentrionali plaga illius ędificij vides mundum & homines qui de semine Adæ procreantur, inter prædictum lucidum murum speculatiuæ scientiæ ipsius ædificij & ambitũ circuli qui de sedente in throno protenditur discurrentes, hoc est quod in carnalibus desideriis quæ respicientia ad imbecillitatem versantur in terrenis sæcularium cupiditatum mundus & mundiales homines de culpa primi parentis positi sunt, ex altera parte scientia boni & mali ipsis apposita, vt ad opus Dei per bonum accedant, & malum effugiant, & ex altera potestate Dei illis ostenta, vt & se sub maiestate eius esse sciant, & omnia facta sua ab ipso examinari non dubitent.

18 Vnde & multi ædificium ipsum inter turrim præcursus voluntatis Dei & columnam diuinitatis verbi ipsius per præfatum murum speculatiuæ scientiæ intrando & exeundo transeunt, vt nubes hac & illac diffunditur, quia multum diuinum opus veteri testamento & nouo exordio admoniti aggredientes, ipsum per speculatiuam scientiam relictis carnalibus desideriis intrant, multiq; voluptates suas sequẽtes illud in malis concupiscentiis suis ibidem exeunt: ita quod in voluntate sua siue ad bonum siue ad malum, in velocitate nubium, id est in motione cogitationum suarum se hac & illac relaxando deducunt. Sed quod ij qui ipsum ædificium intrẽt, candidissima veste induuntur, hoc est quod ij qui opus Dei bona voluntate aggrediuntur, purissima & lucidissima veste veræ fidei vt Deum cognoscant per misericordiam ipsius vestiuntur. Quorum alij de suauitate & lenitate eiusdem vestis gaudio magno exultantes, eam retinent, quia contrito & humiliato spiritu, imbuti dulcissima & lenissima Catholica fide, ac perfusi interiore liquore sanctitatis, semper interioribus oculis lætantur in cœlestibus, ea deuotissime adimplentes retinentes quæ ipsis Spiritus sanctus inspirat. Alij autem quasi de grauedine & difficultate eius tristes effecti, illam exuere volunt, quoniam veluti grauissimo onere grauati & quasi difficillima via impediti, inquietissima & amarissima consuetudine illicitæ voluptatis se intrinsecus dilaniantes & macerantes, fidem in operibus suis abiicere conantur, nec diuinis præceptis se commoueri patiuntur. Quos benigne virtus hæc quam scientiam Dei nominari audisti, sæpius cõpescens, vnicuique eorum dicit vera admonitionis suæ vt prædictum est, quia altissimus Deus præsciens molliri corda durorum lapidum in hominibus, flectit se in misericordia sua ad eos (vt tibi ostensum est) frequenter commonens illos vt intra se gementes & flentes ipsum orent quatenus eos liberet de importunitate nequitiæ suæ qua diabolica suasione perfusi sunt: ita vt in hac pœnitentia possint reuerti ad intellectum bonæ voluntatis, recordantes vestis innocentiæ quam susceperunt in regeneratione spiritus & aquæ. Sed vt vides quod quidam eorum his verbis castigati quamuis idem indumentum ipsis difficile videatur, illud tamen cum multo sudore retinent, hoc est quod ipsi inspiratione Spiritus sancti admoniti in fide quam suscipiunt quasi grauem & difficilem mentibus suis viam arripiunt, sed eam quamuis multo labore tamen non desperantes nec tædio torpentes tandem perficiunt. Quidam vero eadem verba subsannantes, vestemque ipsam furiose exuentes abiiciunt, ad mundum redeuntes vnde venerunt, multaq; perscrutantes, multa inutilia sæcularium vanitatum discunt isti sunt qui legem Dei & iustitiam eius derisui habentes, fide Catholica in vanitatibus errorum suorum se denudant, eam abnegantes in operibus malignis quæ pertinent ad mortem, & ad mundi huius vanitates se declinant, quas prius ficte dimiserant, ac libidinosa facta in actibus peruersis scitantes ardentem gustum sęculi discunt, atque eum diabolicis irrisionibus secundum deceptionem illius peruertunt. Quorum alij in idem ædificium tandẽ reuersi, vestem quam abiecerant iterum tollentes sibi induunt, quia isti ad opus diuinum de via erroris sui redeuntes veniunt, & schisma diaboli quod secundum voluntatem illius acceperant abiicientes, habitum veræ fidei quem in baptismo susceperant & quem ipsi in erroribus suis verũ Deum deridentes abiecerant, iterũ puro & simplici corde confitentes resumunt. Alij autem reuerti nolentes, ea denudati in mundo ignominiose remanent quoniam ipsi ad Deum pura pœnitentia redire contemnentes veste innocentiæ spoliantur & idcirco nudi à bono fidelium operum, sed pleni malo vitiorum diabolicarum artium, in nequitiis mundialium vanitatum cum maxima confusione tam præsentis sæculi quam futuri vitam suam vsque ad mortem impœnitentes deducunt.

Qui ab aquilone in ædificium irruunt.

19 Sed quod vides quomodo quidam sordidissimi & nigerrimi quasi per insaniam excitati ab aquilone venientes in ipsum ędificium irruunt turrimq; præfatam bacchando inuadentes, in eam vt serpentes sibilant, hoc est quod quidam scelerati homines sub mobili calore læti stuporis, sordentes per nigredinem diabolicæ aspectionis Deum aspiciunt, nec causam illam quã desiderant per donum sancti Spiritus quærunt, sed diabolica arte afflati

& in-

& incitati atque à parte damnationis missi calli da arte diuinum opus intrant, ac furtim subtrahendo & palam rapiendo atque in insaniam bacchando temere per nefandissimam pecuniam horribilis diabolicæ nigredinis, constituta à Deo officia deglutiunt & Ecclesiam hoc modo per insanum furorem conturbantes, in eam sibilos deceptionis antiqui serpentis dant. Quomodo? Diabolica astutia tamdiu incautos homines afflat donec eos secundum voluntatem suam per mortiferam emptionem exuperat, hoc sibilo iactantiæ Ecclesiam contaminantes dum sic furantur potestates quæ mea ordinatione constitutæ sunt. Qui quoniam hæc faciunt, à conspectu meo impœnitentes proiecti sunt: nec in his factis eos scio: quia ea per se & non per me adepti sunt: vt Osee seruus meus ostendit dicens: *Ipsi regnauerunt sed non ex me, principes extiterunt & non cognoui. Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola vt interirent.* Hoc tale est. Homines voluntatem suam sequentes, compu-ant & constituunt in seipsis quicquid eorum proprius appetitus deliberat. Quid hoc? Concupiscens videlicet concupiscentia eorum quæ in ipsi s est, suadet vt dominentur hominibus furtiuo & rapto honore, non postulato nec sumpto, nec constituto ex me: quod tamen aliquando ita fieri permitto, vt iudicialis pœna superueniat eis ob proprias voluntates eorum, quia me in hoc non quæsierunt. Et quid hoc eis prodest? Quia in hoc non viriditatem, sed ariditatem habent, & quoniam hoc non plantatur sed inutilis herba nascitur in eis absque trunco. Infructiferæ enim herbæ de terra facile nascuntur per se, fructiferæ autem seminantur & plantantur magno labore. Sic permitto quod aliquando terrenum desiderium hominis, sine radice in malo facile floreat, plantationem boni non quærens, quia viriditatem æstatis non habet: permittens etiam quod aliquando rectum desiderium eius bene radicatum in bono, fructum per multas miserias afferat, rigationem sanctitatis amans, quoniam asperitate hyemis caret. Vnde etiam sæpe viles homines præcellũt in principatu communem & vtilem populum, vt inutiles herbæ aliquando excelsiores sunt vtilibus, ipsis tantum positis in propriis desideriis suis non mea plantatione, aut tactu cognitionis doni mei, aut ordinationis meæ radicatis: sed hoc iusto iudicio permitto fieri, quia illud à me non quæsierunt, sed intra seipsos constituerunt: vnde & mihi super hoc in iudicio meo respondebunt. Nam & fœlicitatem optimæ doctrinæ quam in animo suo ab omni indignitate infidelitatis deberent examinare vt argentum purgatur à cuncta falsitate, & vtilitatem profundissimæ sapientiæ quam in voluntate sua deberent ordinare splendidissima fide, semper videntes quomodo Deus colendus, venerandus, & confitendus sit, faciunt sibi in contrarietatem vanitatis. Quomodo? Ipsi incuruant eam ad maximam infœlicitatem, intellectũ suum quem à Deo habent insatiabilibus concupiscentiis carnis suæ offerentes, quasi fœtens & putida ipsa caro eorum Deus sit, nolentes oculos suos erigere ad Deum qui formauit illos, sed voluntatem suam pro Deo habentes: quoniam secundum hoc viuunt, vt in seipsis ordinant & constituunt. Hoc autem ideo non faciunt, vt agrum illum qui gignit cibum vitæ æternæ possideant, sed vt absint ab eo & impœnitentes in perpetuum intereant: quoniam ille quem pro Deo colunt mortuus est, sicut & ipsi mortui sunt, videlicet tam venditores quam emptores spiritualium, hoc esse desiderantes quod à me non quæsierunt. Nam qui potestatem per vesanam concupiscentiam inuadit, ita quod rationabile donum Spiritus sancti venale facit, quomodo posset ex tali venditione saluari? quia homo qui substantiam suam alienis vendit, ea non debet amplius vti. Et quomodo deberet etiã mercator ille vti empta saluatione quam à Deo nolebat recipere, sed festinauit eam adipsci pecunia, quam tamen vt adipisceretur recto iudicio suo Deus fieri permisit? Nam quibusdam Deus indignatus illud eos furari permittit, pro quo tamen occulto iudicio in præsenti eos punit, & non in futuro, vt secundum quod in obliuione Spiritus sancti amauerunt, in seipsis cõfundantur: ita quod per confusionem hanc ad hoc perducuntur vt ad Deum in pœnitentia reuertantur, vnde & hac peracta remissionem in futuro consequuntur. Quosdam autem in hoc tolerat, non in præsenti eos crucians, sed iusta ex causa in futurum differens, quia voluntatem suam pro Deo habent, quapropter & ipse eis in futuro ostendit, quid voluntas eorum ipsis in amaris cruciatibus prosit. Sed & alios tam in præsenti quam in futuro punit: quoniam clarus eorum intellectus in ipsis vilem ac contemptibilem sua sponte se facit, mittens diabolum in malis suis. Alios quoque ad hoc peruenire permittit, vt ipsum malum in pœnitentia eorum confundatur, cum se pro perpetrata iniustitia acriter punientes, illam quasi putridum cadauer abiiciunt. Quibusdam vero ne hoc adipiscantur, misericorditer resistit, quia si ad illud pretingerent, pœnas gehennales non effugientes in eis fortiter cruciari mererentur. Quicunque autem prostituerit aut sibi vsurpauerit cathedram potestatis in consilio patris sui qui pecunia est, quoniam ipsa pater illius efficitur in mercatu, ipsi perditionem acquirens ab illa dignitate, & ille qui dedit & qui accepit abiiciendus est: quia si homini pecus suum furtim ablatum & alij venundatum fuerit, ille cui ablatum est, repertum cum omni iure repetit, qui vero vendidit aut qui emit, absque contradictione vterque dimittet illud. Sic & dignitas potestatis quæ secundum iustitiam meam debet possideri, si per aliquem furtiuo munere diripitur, & in alios peruerse dissipatur, à me cum districto iudicio requiritur: ac propterea ille qui eam in mercatum posuit, vel qui eam indigne comparauit, vtilitate illius iusto iudicio vterq; carebit, quia templum nomini meo consecratum, domum rapinæ fecerunt. Quomodo? Sapientiam & consilium quod à me in corde suo habuerunt, sua sententia in forum posuerunt, sibi ex hoc pecuniam iniquitatis in aliorum perditione recipientes. Quapropter mercatum illum in amara pœnitentia abiicient, vel mihi inde in igne diri ardoris respondebunt.

bunt. Nam qui viuentem dignitatem quam spiritus in spiritualibus apicibus viuificat, mortuo pretio comparans ad fœtorem scaturientis putredinis perducere conatur, ex ipsa præsumptionis peruersitate (nisi citius pœniteat) in perditionem detrudetur: vt accensus in Spiritu sancto desertor erroris relinquensque omnia filius columbæ Petrus transeunti turbini qui in teterrima nigredine lucē volebat absorbere dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est enim tibi pars neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.*

20 Hoc tale est. Pecunia fallacis confidentię tuæ quam habes in aliena re vt dominum, ipsa autem te habens vt mancipium immo vt nihilum, sit tibi in perditione gehennalis ignis, si hoc donum quod ignei Spiritus sancti est, per nefas pecuniæ comparatum, impœnitens retinueris: quoniam in transitoria scientia animæ tuæ accensionem ipsius acutissimi inspectoris, fallaciter existimasti pecunia possideri, quam diffusus es te posse habere dono Dei. Si autem ob causam hanc pœnitueris, illud quod emisti dimittes, pecuniamq; quam pro ipso dedisti sic perditam senties: quia quod æternum est, cum luto mercari voluisti ab illo, qui te formauit ex limo. Sed te in illa emptione durante, non habebis partem lucis in consortio supernorum Angelorum: quoniam in sermone linguę tuę rapacitatem cordis tui protulisti, aliud concupiscens quam ciues æternæ claritatis desiderent. Vnde & cor tuum in hac peruersitate coram Deo iniustum est, hoc volens habere per emptionem pecuniæ, quod gratis à Deo donandum est. Itaque desertores huius diuini pacti, quia illud quærere deberent gratuito dono Spiritus sancti & non faciunt, iusto iudicio per me vanis simulacris comparantur: quoniam vt illa opus manuum existentia à veritatis consortio sunt vacua, sed tamen ab infidelibus pro Deo coluntur: sic & isti per contrarietatem terrenorum munerum illuminatione Spiritus sancti carentes, fallaces magistri efficiuntur, non electi in suspirio animæ suæ veluti officio illo sint indigni, sed in flagrante superbia illud ab hominibus accipientes voluntatem meam in hoc non considerantes. Quapropter nescio vnde sint illi & quasi alieni sunt à me, quia ob hanc iniustitiam suam si sic perseuerauerint, à me proiecti sunt. Si autem ex toto corde pœnituerint, eos suscipiens gaudium super ipsos faciā Angelorum.

21 Sed quamuis iniuste agant qui peruerso ardore has dignitates desiderant, nec eis consentiendum sit qui eas sua nequitia inuadere nituntur vt dictum est, ipsa tamen regimina bona ad vtilitatem hominum à Deo bene disposita sunt, nec eis superbe & pertinaciter resistendum est, sed potius in amore meo obediendum. Vnde nullus fidelium qui Deo vult digne obtemperare opponat se magisterio sibi præsidenti, quoniam illud imitatur honorem Dei, custodiens & pascens oues ipsius, vt honor ipsarum ouium non disipetur in alienum qui fur & latro est: quia vt nullus debet repugnare Deo, sic nemo debet insipienter resistere magisterio suo. Ergo omnis homo viuens in anima & corpore altioribus se dignitatibus, siue corporales siue spirituales iustitias retineant, subiectus eis debet obedire vt in timore magisterij earum dirigatur constituta lex hominum, ne ipsi deuiantes in indisciplinata libertate voluntatis suæ sibiipsis legem ponant secundum quod voluerint, sic errantes in via Domini: quia ne errent, propter hoc potestas à Deo est. Quomodo? Inspiratione Spiritus sancti regimina hominum disposita sunt, vt per ipsa discant homines timere Dominum. Quæ si illi secundum libitum suum in contrarietatem peruerterint, non tamen sic in voluntate Dei est, sed in secreta permissione eius vt iusto iudicio cōcupiscentia illorum in peruerso ardore ad detrimentum sui compleatur. Ergo dignitates potestatum inspiratæ à Deo ad vtilitatem hominum ob magnam necessitatem eorum ab ipso iuste ordinatæ sunt, ne plebs Dei more pecudum sine regimine viuens, per deuia quæque instabilitatis suæ incederet. Vnde quæ ipsis repugnat, nolens per impulsum superbiæ eis in humilitatis subiectione vt iustum est obedire, non hominibus contradicit, sed mihi creatori qui cuncta iuste dispono se pertinaciter secundum transgressionem Adę opponitur, propter hanc rebellionem tenebras damnationis sibi accumulans, sicut & ille de gaudio in ærumnas expulsus est: non autem ille qui peruersæ nequitiæ hominum in zelo meo in humilitate incedens non consentit, quia is iustitiam iustitia Dei potius auget quam minuat, si hoc congruenter & opportune fecerit, sed is qui ipsas dignitates per elatam superbiam indecenter opprimere voluerit, quoniam illæ mea dispositione ad vtilitatem viuentium vt prædictum est propalatæ sunt. Et qui contra eas superbe calcitrat, inspirationi meæ repugnat: quamuis aliqui insania ignorantiæ suæ timorem meum non inspicientes, eisdem dignitatibus in iniquitate voluntatis suæ diuinum præceptum præuaricantes se ingerant: quod iusto iudicio ita fieri permitto vt desiderant ipsi, per æquissimam examinationem ex hoc in graui pœnitentia. aut in igne gehennæ responsuri.

22 Sed vt vides quod ex his quidam ab hac stultitia cessantes mundi effecti sunt, aliis in eadem nequitia & sorde sua perseuerantibus, hoc est quod ex eis aliqui per inspirationem diuinam à peruersitate sua resipiscentes, per puram & veram pœnitentiam mundari & saluari merentur, aliis obduratis & impœnitentibus in eadem calliditate sua & immunditia vsque ad finem vitæ suæ permanentibus, atque ita suffocatis miserabiliter & crudeliter in tormentis diræ mortis morientibus. *Qui mundi effecti.*

23 Quod autem intra prædictum ędificium conspicis versus præfatam turrim Ecclesiæ, quasi septem albi coloris marmoreas columnas in miram rotunditatem tornatas, stantes, hoc est quod in opere omnipotentis Patris ad munimentum & ad decorem nouæ sponsæ, Spiritus sanctus inspirationis suæ septem candidissima sustentacula omnem aduersitatem tempestatum sua fortitudine abstergentia declarās, summam potestatem nec initium nec finem in rotunditate æternitatis habentē manifestauit. Quæ sunt altitudinis septem cubitorū, *Septē mar moreæ cōlumnæ.*

quia

quia omnem fortitudinem & altitudinem totius humani intellectus illa dona excedentia, eum qui cuncta creauit purisſima fide colendum demonſtrant. Et in ſummitate ſua quaſi ferreum & rotundum habent tabulatum, decenter aliquantulum in altitudinem ſurſum erectum, quoniam in excellentia ſuæ claritatis inuincibilem & incomprehenſibilem diuinitatis poteſtatem deſignant, tegentem & ſuſtentantem illos elegantiſſima rectitudine ſua in cœleſtibus, qui ſe hic per dona ſancti Spiritus ſeparauerint à carnalibus voluptatibus.

Imago in cacumine

24 Quod autem in cacumine eiuſdem tabulati vides quaſi pulcherrimam imaginem ſtantem, hoc eſt quod virtus hæc in altiſſimo Patre ante omnem creaturam fuit, ordinans in concilio eius quæque inſtrumenta creaturarum quę in cœlo & in terra condita ſunt, ipſa ſcilicet magnus ornatus fulgens in Deo, latiſſimusq; gradus graduum cæterarum virtutum exiſtens in ipſo, eique dulciſſima amplexione inardentis amoris coniuncta tripudio. Quæ ad homines in mundum aſpicit, quoniam illos qui eam ſequi voluerint ſua protectione ſemper regit & cuſtodit: eos valde diligens, quia conſtant in ipſa. Nam imago illa ſapientiam Dei deſignat, quia omnia per ipſam à Deo creata ſunt & reguntur: cuius caput veluti fulgur tanto nitore radiat, vt illud ad plenum non poſſis conſiderare, quoniam Diuinitas terribilis & blanda omni creaturæ eſt, omnia videns & conſiderans, vt oculus hominis ea diiudicat quæ ſibi fuerint appoſita, à nullo tamen hominum in profunditate myſterij ſui ad finem valens perduci. Vnde & manus ad pectus ſuum decenter componit, quæ eſt poteſtas ſapientiæ quam ad ſeipſam ſapienter conſtringit, ita quod omne opus ſuum tali modo dirigit, vt nullus ei in aliquo nec prudentia nec potentia reſiſtere poſsit: pedibus eius in ipſo tabulato tibi ad videndum occultatis, quia profunda eius in corde Patris abſcondita nulli hominum patent, ſoli Deo ſecreta eius nuda & manifeſta. Quod vero circulum in modum coronæ multo fulgentem ſplendore habet in capite; hoc eſt quod maieſtas Dei initio & fine carens incomparabili nitet honore, tanto fulgore diuinitate radiante, vt acies mortalium mentium in ipſa reuerberentur. Sed quod tunica auret coloris induitur, hoc eſt quod opus ſapientiæ quaſi in purisſimo auro frequenter conſideratur. Quapropter & à pectore deorſum vſque ad pedes zona vna deſcendēs precioſiſſimarum gemmarum ornatu, viridis ſcilicet albi & rubei atque aërei purpureo fulgore interlucēte coloris decoratur, quoniam ab exordio mundi cum primum ſapientia opus ſuum in apertam oſtenſionem dedit, iamq; ſe vſque ad finem ſæculorum quaſi vna via tetendit in ſanctis & iuſtis mandatis ornata, videlicet prima plantatione viridis germinis Patriarcharū & Prophetarum, qui in ærumnis gemitus laboris ſui maximo deſiderio filium Dei flagitabant incarnari, & deinde decorata candidiſſima virginitate in virgine Maria, & poſtea in robuſtiſſima & rubente martyrum fide, ac demum in contemplationis purpurea & lucida charitate, qua Deus & proximus per calorem ſancti Spiritus diligendus eſt, quod ita ad terminum mundi procedet admonitione illius non ceſſante, ſed ſemper quamdiu ſæculum durat emanante: vt etiam hæc virtus in exhortatione ſua declarat vt prædictum eſt.

Tres imagines in pauimēto.

25 Sed quod iterum in pauimento ipſius ædificij tres alias imagines vides, hoc eſt quod hæ virtutes terrena calcantes, & cœleſtia in diuino opere ſectantes tria inſtrumenta per quæ Eccleſia in filiis ſuis æterna petit deſignant, nutrimentum ſcilicet magiſtrorum & pugnam fidelium aduerſus diabolum, ac reuerſionem eorum de conſenſu vitiorum: quarum vna præfatis columnis accliuis eſt, quia Eccleſiaſtici doctores per donum ſancti Spiritus imbuti, requiem capiunt ipſius fortitudine: & reliquæ duæ ante ipſam ſibi collaterales ſtant, quoniam dilectio Dei & proximi eius exhortatione in iſtarū coniuncta & ſociabili continetur operatione. Vnde & ſe omnes ad columnam humanitatis ſaluatoris & ad præfatam turrim dirigunt, quia pari vnanimitate filium Dei verum Deum & verum hominem in Eccleſia deuotiſſime coli & adorari oſtendunt, iuſtitiam per iuſtitiam eleuantes, deſignando videlicet in antiquis ſanctis altiſſimum Deum in incarnatione filij eius ſaluationem operatum animarum.

Imago cōlinis ac-cliuis.

26 Sed hæc imago quæ ipſis columnis accliuis eſt, præfigurat iuſtitiam Dei, quoniam ipſa poſt ſapientiam per Spiritum ſanctum in hominibus cum omnibus iuſtitiis ſuis operatur: tantæ latitudinis apparens vt latitudo quinque hominum ſibi aſtantium nominari poteſt, quod eſt expanſio quinque ſenſuum humanæ capacitatis, cum quibus ipſa in latitudine legis Dei conuerſatur, continens & conſeruans à Deo inſtituta præcepta vitæ, ipſam diligentibus. Quæ & tantæ proceritatis eſt, vt longitudinem eius perfecte diſcernere non valeas, ita etiam quod per omne hoc ædificium proſpiciat, quia ipſa in latitudine ſua humanum intellectum excellens, ſurſum tendit ad cœleſtia: ſic quod etiam in incarnatione ſaluatoris de cœlo proſpexit, cum idem ſaluator ſcilicet filius Dei à Patre exiuit, qui vera iuſtitia exiſtit. Vnde & in omnia Eccleſiaſtica inſtrumenta aſpectum ſuum dirigit, quoniam illa per eam fabricantur & continentur, vt altiora propugnacula ad fortiſſimam turrim per quam conſtare poſsint coniunguntur. Quapropter & magnum caput & claros oculos habens, acutiſſime in cœlum videt, quoniam maxima & ſumma bonitas iuſtitiæ, lucidiſſimum viſum per incarnatum filium Dei hominibus declarauit: cum ille in humano corpore terrenis ac tenebroſis oculis ſe manifeſtauit, cœleſtia intuens per redemptionem animarum. Et tota candida & perlucida exiſtit vt ſereniſſima nubes eſt, quia ipſa in candore & puritate mentium iuſtorum hominum habitat, qui omne ſtudium ſuum ad hoc intendunt, vt iuſtitiæ Dei fidelisſime ſubditi ſint. Vnde & ipſa nubibus ſe aſſimilat, quoniam in cordibus iuſtorum gratam ſibi habitationem parat. Sed quod aliam formam hominis in ea nullam conſpicis, hoc eſt quod cœleſtis & non terreſtris manet, ſecundum quod & tibi declaratum

eſt,

est, videlicet humanis operibus quibus grauantur homines illi non adhærentibus : sed quæ ipsos ad iustificationem vitæ perducunt, quoniam Deus iustus est, vt & ipsa diabolo opposita in opere Dei cæteras virtutes exhortans superius fideliter demonstrat.

Prima imago collateraliũ.

27 Imago autem prima illarum quæ ante prædictam imaginem sibi collaterales stant, ostendit fortitudinem : quia post iustitiam Dei surgit fortitudo quasi princeps in conspectu summi regis, recto & sancto opere repugnans in hominibus cunctis insidiis aduersariorum : armata apparens, videlicet virtute omnipotentis Dei, quoniam ipsa fortis in fide fortiter resistit diabolicæ subiectioni. Quapropter & galea, id est superno vigore ad salutem credentium induitur, & lorica, quod est Christianorum lege, quæ per iustitiam quam continet in se nulla sagitta diabolicæ artis aboletur : ac ocreis, scilicet rectis itineribus in doctrina principalium magistrorum frequentatis: atque ferreis chirothecis, quæ sunt fortissima & acutissima opera quæ fideles perficiunt in Christo. Tenet etiam euaginatum gladium dextra, id est in bono opere nudam & apertam in diuina scriptura Dei admonitionem, quam verus Dei filius in mystica significatione denudauit, cum interiorem dulcedinem nuclei in detectione legis ostendit. Hastam autem habens sinistra, qua fiduciam æternorum in hac etiam actione designat infidelibus hominibus se habere, vbi carnalibus concupiscentiis per voluptatem carnis impugnantur. Quod autem sub pedibus suis horribilem draconem conculcat, hoc est quod per viam rectitudinis antiquum & horridum serpentem potestati suæ subigit : os etiam illius ferro hastæ transuerberans ita vt ipse immundissimas spumas euomat, quoniam rictus sordidissimæ & diabolicæ libidinis, in acutissima audacia castitatis transfodiens conspumatione ardentis libidinis, qua ille homines polluit ab eo extorquet. Vnde & gladium quem tenet quasi ad feriendum fortiter vibrat, quia Deus penetrabile verbum suum ad interficiendum omnem infidelitatem idolorum & aliorum schismatum quæ incredulitatis sunt, in extensa fortitudine manifestauit : sicut & virtus hæc in admonitione sua manifestat.

Secunda collateralium.

28 Altera vero imago sanctitatem significat, quoniam cum per fortitudinem diabolo repugnatur, sanctitas in hominibus bonis ad ornatum cœlestis militiæ oritur. Quæ triceps est, quoniam hac trina dignitate ad statum suum perducitur: ita vt in naturali loco capitis & in vtroque humero suo caput appareat, quia iusta & digna actione Deus caput totius veræ exultationis & in prosperis & in aduersis ex quibus vel lætificari vel contristari potest homo, metuendus & venerandus est : medio tamen alia duo aliquantulum supereminente, quoniam ille qui iudex bonorum & malorum existit, omnia supereminet sua æquitate. Sed quod idem medium & quod à dextris eius est tanto fulgore radiant, vt claritas ipsorum visum tuum reuerberet, ita quod vtrum virilem an muliebrẽ formam habeant perfecte considerare non valeas, hoc est, quod sanctitas in culmine honoris & in parte prosperitatis æternæ dulcedinis, tanto splendore diuinæ gratiæ perfusa consistit, vt profunditas mysterij eius ita intellectum hominum excedat, vt prę grauedine mortalitatis nec libertatẽ nec subiectionem eius in Christo possit intueri, prętĕquam quod viget in ipso. Illo autem capite quod à sinistris apparet aliquantulum obscuro & muliebri consuetudine candido velamine velato, quoniam perfectio hæc quæ se fortiter constringit ob amorem Dei, in aduersitate illa qua ipsa diabolica infestatione & humano opere impugnatur, quasi anxietatem & solicitudinem quomodo se diuino auxilio defendat habet, humillima subiectione in albedine & pulchritudine Christiani certaminis se redemptori summo gemitibus fidelium cordium commendans. Quod vero tunica ex albo serico eadem imago induta est, hoc est quod opere lucidissimi & suauissimi studij in quo perfecta sanctitas filium meum imitatur circumamicta apparet, candidissimis etiam calceamentis munita, quia per mortem Christi, in candore regenerationis spiritus & aquæ refulget in mentibus hominum, vt & ipsi mortem eius imitentur. Et in pectore suo signum crucis habet, circa quod etiam splendor magnus in eodem pectore velut aurora fulgens rutilat, quoniam in intentione mentium fidelium illam diligentissime complectentium recordationem Passionis Christi Iesu ruminat. Hoc etiam vbique serenissima claritate fidei in eisdem mentibus designans, quod ille qui obediens patri taliter in sancta humanitate sua passus est voluntate patris, in pulcherrima aurora solis quæ virgo Maria est sine macula peccati natus aduenerat. Quod autem in dextra nudum gladium tenet, quem pectori suo & eidem cruci cum multa deuotione apponit, hoc est quod bono & sancto opere ostendit, quomodo scripturas per Spiritum sanctum denudatas in recordatione mentis electorum hominum (quia & ipsi passionis redemptoris sui dulcissime recordentur) diligit. Vnde etiam vides in fronte medij capitis scriptum Sanctitas: quia in interiori facie quæ est animæ absque vlla indignatione pudoris cum gaudio vitæ sanctitas cognoscitur : & in fronte dextri, Radix boni, quoniam ipsa palam initium & fundamentum in saluatione sanctitatis est: & in fronte sinistri non parcens sibi, quia sine corpore molliciem & vanitatẽ carnalium voluptatum abiiciens, semper se in districtione constringit, ornamenta cæterarum virtutum sibi coniungens vt possit perfici & perdurare contendit. Sed & medium ad alia duo aspiciens & illa ad ipsum, vtilitatem suam adinuicẽ conferunt, quoniam ipsa fortiter in vnanimitate interioris visionis & dilectionis consistentia, ita vt nullum eorum sine adiutorio alterius durare valeat, verba & admonitiones suas ad profectum hominum dirigunt vt dictum est. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

* *
*

VI.

VISIO DECIMA.

1 ET post hæc in summitate orientalis anguli præmonstrati ædificij, vbi prædictæ duæ partes muri ipsius illa lucida & lapidea videlicet, coniunctæ erant, vidi quasi septem gradus candidissimi marmoris, qui ad lapidem illum magnum super quem præfatus lucidus sedens in throno apparuit, in modum testudinis aduoluti videbantur. Et super illos gradus sedes posita erat, super quam iuuenis quidam sedens virilem & nobilem vultum pallidi tamen coloris, & capillos subnigros vsque ad scapulas eius diffluentes habebat, purpurea tunica indutus. Qui à capite vsque ad vmbilicum eius mihi apparuit, sed ab vmbilico deorsum obumbratus mihi ad videndum fuerat. Et ipse respiciens in mundum, maxima fortitudine vociferabat ad homines qui in eo erant dicens: O stulti homines qui tepide & turpiter marcetis in vobilipsis, nolentes vel oculum vnum aperire ad videndum, quid in bonitate spiritus vestri sitis, sed semper ardetis operari malum quod habet cõcupiscentia carnis vestræ, recusantes esse in bona conscientia & in recta speculatione animi vestri, quasi intellectum boni & mali non habeatis, nec gloriam hanc vt malum sciatis deuitare & bonum perficere, audite me filium hominis dicentem ad vos: O homo respice quid esses, dum coagulatio in ventre matris tuę fuisti? Etenim tunc inscius & impotens tui in viuificatione eras. Sed tunc datus est tibi spiritus & motio ac sensibilitas, vt viuens mouearis & te mouens, intelligas fructum vtilitatis. Habens enim scientiã boni & mali atque efficaciam operandi vnde excusare te non vales, quin omnia bona ex his habeas in te, ita vt summa inspiratione admonitus, Deum diligas in veritate & iustitia, tibiq; resistas in concupiscentia & delectatione iniustitiæ: ita vt te in his crucies, & hoc modo martyrium meum colas, tibiipsi in his ardoribus repugnans, crucem meam scilicet in tuo corpore baiulando, id est illicita desideria fugiendo, cum te delectat peccare. Et cur tibi est tanta potestas videlicet vt deuites malum & facias bonum? De scientia enim boni & mali, qua intelligis quod homo es, mihi responsurus es. Sed bonum contemnis, & malum operaris ardens in carnalibus desideriis: quia bonum tibi quasi graue videtur, malum autem in te facile excitatur. Et cum hoc sit, non vis te cõstringere, sed libere peccare. Quid feci quando pro te in cruce passus sum in infirmitate carnis, cum contremui ac angustiatus sum ego filius hominis? Ob hoc requiro à te aduersum te martyrium quod pateris in voluptate carnis tuæ, & in reliquis perturbationibus ac illicitis desideriis tuis quæ sunt contra voluntatem meam, atque in aliis huiusmodi nequitiis quæ hæc subsequuntur in quibus te non potes excusare quin noueris quando bene & male operaris. Sed non abiicio copulam costæ legalis coniunctionis, quæ per diuinum consilium constituta est in multiplicationem procreationis filiorum Adæ, vbi hoc in vero desiderio prolis & non in falsa voluptate carnis ab iis sit quibus illud sine iniuria licitum est, secundum quod eis in lege diuina præceptum est, scilicet sæculo deditis & non spiritu segregatis. Bonum ergo quod habes à me, diligere debes aduersum te. Cœlestis es in spiritu, terrestris in carne. Vnde quæ cœlestia sunt debes amare, & quæ terrestria sunt conculcare. In opere autem cęlestium demonstro tibi supernum prę-mium, in voluntate vero carnis tuæ cum vis perficere quod iniustum est, ibi ostendo tibi martyrium meum & pœnas quas sustinui propter te, ita vt tu in contrariis desideriis tibiipsi resistas propter amorem passionis meæ. Plurimum intellectum habes in te, plurimus etiam census inde requiretur à te. Multum tibi datum est, multum etiam à te requirendum est. Sed in omnibus his caput & adiutorium tuum sum. Nam superno tactu tactus, si inuocaueris me, responsum audies à me: si pulsaueris ad ianuam, tibi aperietur. In spiritu perspicacissimæ scientiæ quo donatus es, omne quod tibi vtile est, habes in te. Et quoniam hoc est in te, idcirco & oculi mei acutissime perspicientes, considerabunt quid inueniant in te. Quapropter de conscientia tua requiro vulnera & doloré cordis tui, in quibus te coërceas, cum senseris te voluntate tua trahi ad peccatum. Et cum ita in eo exarseris vt quod totus liquefactus vix suspirare valeas, ecce tũc inspicio te. Quid tunc facies? Si tunc in hoc labore, vulnerato corde, & madentibus oculis, concussus timore iudicij mei inuocaueris me, & si tunc etiam in hoc clamore perseueraueris vt tibi succurram aduersus nequitias carnis tuæ, & cõtra pugnas malignorum spirituum, faciam omne quod tibi fieri desideras, atq; domum habitationis meæ ponam in te. Nunc ergo fili mi respice quanto labore & sudore in agro laboretur antequam semine seratur, sed postquã semine seminatus fuerit dat fructũ suum. Ergo attende & considera hæc. Nonne recuso terræ id præstare, vt fructum gignat absq; sudore laboris? Sed cũ mihi placuerit ipsa fructibus superabundanter ita repletur, vt homines abundãtissime sufficientiam habeat, aliquãdo etiam superabundẽt: & cum voluero ita eis attenuatur, vt homines aliquando præ nimia fame vix viuant, aliquando etiam multi in illis attenuati deficiant. Secundum modũ hunc homines per mẽ positi, scilicet homini illi qui bono corde semen verbi mei voluntarie suscipit, magna dona Spiritus sancti vt bono agro superabundãter tribuo. Ille autem qui aliquando verbũ meũ recipit, aliquando etiam recipere recusat, est quasi ager qui hoc tempore viret, hoc autẽ arescit. Hic homo tamẽ omnino nõ perit, quia quãuis famem in anima patiatur, aliquid tamẽ quamuis parũ viriditatis habet: sed hic per omnia moritur, qui nulla intẽtione verba mea recipere exoptat, & qui nec admonitione Spiritus sancti, nec doctrina hominũ, cor suum vllo modo excitare vult ad bonum. Hæc miraris ó homo, & scire vis cur hęc ita fiant. Sed vt nec diuinitatem mortali obtutu vales aspicere, sic nec secreta eius mortali sensu poteris capere, nisi quantum in permissione ipsius

psius tibi possibile est. Tu autem vacillante animo tuo, huc & illuc versaris. Vnde veluti aqua à calore ardentis camini absorbetur, sic spiritus tuus ab inquietudine stulti animi tui opprimitur: quoniam hæc scire cupis quæ non sunt scienda carni humanæ conceptæ semine humano in peccatis. Leua ergo digitum tuum, & tange nubes. Quid nunc? Sed hoc fieri nõ potest, sic nec illud dum hoc scrutaris quod tibi sciendum non est. Sed velut herbæ agros suos comprehendere non valent quia sensu & intellectu carent, nescientes quid neq; ipsi, neq; quid ipsæ sint vel quid operẽtur fructu suo quamuis impleant & circumdent agros vtilitatis gratia, & veluti culices aut formicæ, aut cætera minora animalia non desiderant dominari super reliqua sibi similia, aut scire siue intelligere virtutem vel significationem leonis seu aliorum maiorum animaliũ, sic nec tu cognoscere poteris quid in scientia Dei sit. Quid tu fecisti vel vbi fuisti, quãdo cœlum & terra creata sunt? Qui hæc creauit auxilio tuo tunc non indiguit, sic nec nunc. Vt quid scrutaris iudicium Dei, cum desuper imbre salutari tactus fueris? ostende mihi quomodo in agro cordis tui labores, & quomodo eum colas. Quod si labor ille mihi placuerit, fructum optimum tibi do secundum laborem tuum, erit & fructus tuus cum mercede. Nunquid do fructum terræ sine labore? Sic etiam nec tibi facio ô homo, absque sudore, quem requiro à te. Habes enim per me illa in te, in quibus potes laborare. Ergo diligenter in labore te exerce, & fructũ inde consequeris. Et cum fructum habueris, mercedem inde referes. Sed quid? nunc multi deuoto & puro ac simplici corde quærunt, & inuenientes retinent me. Multi autem ioculantes & ludentes volunt me adire sine labore animi & cogitationis suæ, nolentes præmeditari quid facere debeant, me scilicet inuocando, & sensum corporis sui considerando, volentes tantum me apprehendere, quasi de graui somno euigilent repentino motu simulationis & deceptionis arripientes viam sanctitatis, vt in seipsis excogitant: alij autem in abiectione sæcularium negotiorum, alij in continentia carnalium, alij in virginitatis pudore super humeros suos assumentes iugũ meũ, existimantes sibi possibile esse omne quod voluerint, nolentes intueri qui sint aut quid perficere possint, nec volentes habere in scientia sua quis eos formauerit, aut quis eorum Deus sit, volentes eum tantum habere domesticum suum qui omnem voluntatem ipsorum perficiat. Sic nolo dare donum meum nec seminare vacuum agrum in homine illo, qui in huiusmodi vanitate se mihi in alienatione ignorantiæ nesciat. Vnde & pes eius sæpe in lapsum erit. Cui & dico: O homo quare nõ inspexisti agrũ animi tui vt eradicares inutiles herbas & spinas ac tribulos, me scilicet inuocando & teipsum considerando, antequam velut ebrius & insanus ac teipsum ignorans venires ad me: quoniam nullum lucidum opus, sine adiutorio meo perficere potes. Nam post hanc præcipitationem qua me velut in somno quæsisti, cum in seruitio meo tędio affectus recordatus fueris somni illius, in quo prius in consuetudinalibus peccatis tuis dormiuisti, ad eadem priora scelera insanus & inscius boni, adiutorio & consolatione Spiritus Paracleti destitutus reuerteris. Tu autem quem quęsisti ductorem & adiutorẽ ad hæc? fallacẽ certe & deceptibilẽ animum tuum: qui te stulte in ariditatem ducebat, sine viriditate & recordatione intellectus tui, oblitũ quod nihil boni sine me facere posses. Et quid tũc habes? Certe tũc miser & vacuus cades coram me & coram populo, atque vt inutilis puluis conculcaberis. Nam quid est tibi possibile cõtra me? Nihil. Et quid potes meo auxilio? Lucidissima potes opera quæ sũt splendidiora solis splendore, & dulciora in interiore gustu super mel & lac, cum desideranti populo manifestãtur. Nam cum requiris me intimo intellectu animæ tuæ, vt in baptismo per fidem doctus es, nonne do totũ quod desideras? Sed post casum suum, multi gemẽdo & dolendo requirunt me, qui priusquam caderent me quæsisse debuerant. Quibus manũ meam porrigo dicens. Quare non quæsisti me ante casum? Vbi erã? Et vbi requisisti me? Nunquid cum quæreretis me, abieci vos? Et dico: O homo si secus pontẽ profundissimę aquę stares, & propter inanem iactãtiam & tui cordis obliuionem (qua me in omnibus despexisti, cum possibile tibi putabas esse omne quod voluisti, quasi nõ indigeres adiutorio meo) temerarie in teipso diceres pontẽ hunc volo deuitare & per aquam ambulare, nõne prudenter faceres? Quod si præsumptuose & insipienter faceres, nonne in eadem creatura quæ tibi subiecta ad vtilitatẽ tuam creata est, spiritum tuum exhalares? Sed ne hoc tibi contingat, pręcaues propter præsentem & visibilem timorem aquę, te absorpturæ in mortem. Aut si maximã arborem abscisam ruere videres, nonne fugeres ne ab ea cõprimereris? Vel si leones aut vrsos tibi occursuros aspiceres, nonne si posses præ timore quem conciperes te in terra absconderes? Et cum corporis læsionem ita fugis, quare nõ deuitas terribilissimam mortem animæ, timens creatorem tuum? Nonne vidisti aut audisti vllum mihi vnquã resistere? Nã qui non est mecum, dissipabitur: & super quem cecidero, confringetur. Quid fuisti quando cœlum & terra creata sunt, quæ ita vires suas peragunt vt eis constitutum est? Tu vero consilio Dei formatus, & ipsius illuminatione tactus, præcepta eius trãsgrederis. O magna âmẽtia. Per creaturã quæ tibi subiecta famulatur, Deum tuum contemnis: tu terrã calcas ac cœlum suspicis quæ creatorẽ suum timentes ei obediunt & iussionẽ ipsius adimplent, quod tu insipientissime, minime facis cum eum in cogitatione aut in opere tuo neq; vis scire neq; ad eum respicere, ita vt velis ipsũ vt decet agnoscere. Quapropter si non pœnitueris, infernus iusto iudicio te deglutiet: sicut & illum qui obduratus de cœlo proiectus est, quẽ tu imitatus es. Attamen cum lapsus fueris, clamans fideliter quære me, & subleuatum suscipiam te. Tu autem ô homo tam frequenter vis summa tangere, qui nec infima vales comprehendere. Vnde audi me, tibi dicentem: Si per me admonitus in abiectione sęcularium negotiorum, aut in continentia carnalium iugũ meum ferre desideras, antequã hoc aggrediaris primum clama, & in hoc perseuera quærens me, & ego adiuuabo

uabo te. Quod si etiam admonitione mea tactus, me vis imitari ad me respiciens, in virginitatis pudore quia vt flos de inarato agro nascitur, sic & ego sine virili semine de virgine filius Dei natus sum, ostende mihi agrum animi tui in multa humilitate, & alloquere me in largitate interiorum lachrymarum tuarum, & dic: O Deus meus, ego indignus homo non habeo à meipso hanc possibilitatē perficere vt virginitatem meam possim conseruare, nisi tu Domine adiuues me: quia totus culpabilis sum in ortu ardentis succi de quo pullulo in multis miseriis, frequēter repetens originem fragilitatis meæ. Vnde etiam nō possum mea virtute meipsum superare in gustu dulcedinis carnis meæ, dum sum arbor concepta & nata in peccatis. Ob hoc tu Domine da mihi in virtute tua igneum donum, quod in me extinguat hunc fomitem & hunc ardorem peruersitatis, ita vt cum rectis suspiriis bibam de aqua fontis viui qui me faciat gaudere in vita, qui sum cinis & puluis plus aspiciens in opera tenebrarum quam in opera lucis. Et si tunc in hac supplicatione studiosus & constans fueris, agrum illum paro mihi in te, quem Isaac filio suo proposuit cum dicebat: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: eundemq; agrum meum in corde tuo benedicam*: & vt etiam prosequutus aiebat: *Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Atque eodem modo & tu ante communem populum sublimata generatio eris. Ego autem rosas & lilia, ac alia optima virtutum pigmēta in agrum illum seminabo, & cum inspiratione spiritus sancti assiduo imbre rigabo: atque in eradicatione inferacitatis abscindam ab illo malum, ita vt oculos meos circumferens, eos in viriditate & in floriditate huius incorrupti agri pascam. Istud est meum & per me, & non tuum ô homo nec per te. Nam ego sum flos campi, quoniam vt sine aratro campus gignit florem, sic ego filius hominis sine virili coniunctione genitus sum ex virgine. Ideoq; hoc donū est meum & non tuum, quia tu in peccatis conceptus, in peccatis natus es ex corruptione. Sed si id donum à me fideliter petieris, illud à me fiducialiter impetrabis, tibiq; dabo vt coram patre meo consortium meum habeas in virginitate. Hoc autem præ fragilitate corporis tui non poteris habere sine labore caloris qui in te est, quia humana natura fragilitatis tuæ sæpe se prodit in te, quam deuitare non vales, quia caro de carne es. Sed in hoc ferre debes crucem meam & imitari matyrium meum, te videlicet constringendo, ita vt per me deuincas te: quod mihi semper amabile est, quia te fragile vasculum scio: tunc autem volo tibi communicare ac compati doloribus tuis. Quod si etiam in his aliquando ceciderís, surgens citius pœnitentiam ex corde age & suscipiens saluabo te. Quidam autem decepti à diabolo, & perdurantes in malo, putant se sanctificatos esse, cum exteriorē hominem in se continent à coniugio, abiicientes circumcisionem mentis vbi superflui sunt in immundis cogitationibus, & etiam abnegantes circumcisionem spiritus vbi proferunt malum in locutionibus & operibus suis, nolentes scire quoniam hoc flagitium sit, sed tantum tepide obseruantes, vt caro eorum integra sit à commixtione, renuentes omnino integritatem spiritus sui. Vnde indigni coram me, sunt proiecti extra legem tam carnalem quam spiritualem, quia nec in carne nec in spiritu secundū iustitiam Dei vixerunt. Nam nec constitutam sibi legem coniugij tenuerūt, nec quod plus est quam quod in lege præceptum est, in virginitatis amore seruauerunt. Quapropter indigni oculis meis sunt, quoniam nescio qui sint. Non enim vidi eos in præcepto legis ambulare, nec quod in illa re plus facerent quam quod eis præceptum est. Vnde & repulsi à visione mea sunt. Ego comparo eos infertili terræ gignenti spinas & tribulos ac infœlices herbas, ad nullos vsus hominum valentes quæ in altitudine & colore suo se assimilant rosis & liliis ac aliis vtilibus floribus & herbis vtilem succum & dulcem fructum atque bonum odorem vsibus medicinæ in se habentibus & iterum comparo eos cupro, quod se extrinsecus assimilat auro, intus autem deceptionem & hypocrisin auri retinens, quoniam secundum hunc modum hi homines foris ostendunt se habere similitudinem prudentium virginum, interius autem fallacia & indignatione pleni sunt. Vnde & coram me sunt vt tepidus ventus, cuius nec calor nec frigus vllum vigorem habet, quia nec vtiles sunt in calore animi sui vt perseuerent in virginitatis continentia vt cœperunt, nec valent in frigore mundanæ vitæ vt degant in sæcularibus rebus vt sibi proponunt. Nam nec extra legem peccant vt publicani, nec intra legem vt iniusti, sed in semetipsis tepentes nec perfecte iusti, nec iniusti sunt. Sed vt catulus immundorum animalium abiicitur antequam se sentiat viuere, vel antequā confortetur in fortitudine ætatis suæ, sic iste populus proiicitur in mortem: quoniam nec se scit viuere ad vitam, nec in se intelligit fortitudinem virtutum quæ sunt in domo sapientiæ. Vnde & ab ore meo exufflo eos, quia indigni sūt aspectu meo, si sic impœnitentes perseuerauerint. Nunc autem ô homo, respice in te. Si enim quispiam hominum tibi thesaurum daret, quoniam te plurimum diligeret tibique diceret: Lucrare in hoc & esto diues, vt & hoc pacto sciatur quis ille scit qui tibi thesaurum hunc dedit, tunc te oporteret acutissime cogitare quomodo illum vtiliter lucrifaceres, dicens in te: Thesaurus Domini mei in optimo lucro apparere debet in me, ita vt & ipse laudetur in illo. Et cum illum vtiliter hoc modo augmentatum multiplicares, bonus rumor inde ad aures illius qui tibi thesaurum dederat perueniret. Vnde & ipse propter hoc recordatus tui magis te diligeret, ac maiora dona tibi conferret. Sic & creator tuus facit. Ipse dedit tibi thesaurum optimum viuentem scilicet intellectum, valde diligens te: quoniam creatura ipsius es, præcepitque tibi per verba ab eo constitutæ legis, vt intellectu tuo lucrum facias bonis operibus, diuesque euadas in virtutibus, ita vt ipse bonus dator, per hoc diligentius cognoscatur & laudetur. Quapropter omni hora te oportet meditari, quomodo hoc tam gran-

de donum quod percepisti vtile tam cæteris quam tibiipsi factum in operibus iustitiæ, splendorem sanctitatis reddat ex te, quatenus homines bono exemplo tuo prouocati, Deo honorem laudis inde exhibeant. Quod cum humiliter in omni iustitia multiplicaueris, laus & gratiarum actio ad cognitionem Dei, qui in Spiritu sancto tibi virtutes has inspirauit, accrescit: vnde & ipse misericordiam gratiæ suæ ad te conuertens, per dulcedinem dilectionis suæ superabundanter magis te faciet ardere in amore ipsius, ita vt consolatione Spiritus sancti repletus, sapienter omne quod bonum est discernas, & maiora opera bona facias, ardentissimo amore glorificans patrem tuum, qui tibi benigne dedit hæc. Verba autem ista oues meæ audiant, & quicunque aures interioris Spiritus habent ea concipiant, quia mihi placent vt sic operentur homines qui me cognoscunt & diligunt, vt & ipsi in seipsis intelligant quid eis in donis Spiritus sancti faciendum sit.

2 Sed in eadem orientali plaga vidi super pauimentum præfati ædificij coram eodem iuuene tres imagines iuxta se stantes, & illum deuotissime inspicientes: contra Aquilonem autem inter circulum illum magnum qui de prædicto lucido sedente in throno protendebatur, & inter idem ædificium conspexi quasi rotam in aëre pendentem, & in ea imaginem hominis vsque ad pectus apparentem, & in mundum acutissime prospicientem. Ante angulum vero eiusdem ædificij ad austrum, imago alia intra ipsum ædificium super pauimentum apparebat, quæ se ad prædictum iuuenem cum magna hilaritate conuertebat. Et his imaginibus talis erat similitudo: vt cęterę virtutes quas prius videram, sericinis omnes vestiebantur indumentis. Omnes quoq; albis velaminibus capita sua obtectæ erant, excepta illa quæ à dextris media prædictarum trium stans, nudo capite candidos capillos habere videbatur. Nulla autem earum pallio circumamicta fuerat, præter eandē mediam ipsarum trium quæ albo pallio induebatur. Sed tunicis albis omnes vestiebantur, excepta illa quæ in rotā apparens tunicam subnigram habebat. Et præter hanc, quę à siniſtris media earundem trium existens tunica pallidi coloris vtebatur. Omnes etiam calceamentis albis indutæ fuerant, excepta media ipsarum trium cuius indumenta pedum nigra videbantur, & diuerso colore depicta. Sed hęc dissimilitudo fuit in eis: In pectore imaginis quæ media fuit trium prædictarum sibi astantium, duę fenestellæ apparuerunt: & supra ipsas, ceruus ad dextram eiusdem imaginis versus, ita vt anteriores pedes suos super fenestram dextram & posteriores super siniſtram posuisset, quasi se ad currendum coaptasset. Et eadem imago dicebat: Ego sum fortissima columna & non mobilis leuitate instabilitatis, ita vt à flabro venti possim commoueri vt folium arboris quod ab eo mouetur, & hac & illac propellitur, sed perdurare debeo in vero lapide qui est verus filius Dei. Et quis potest me commouere? Quis potest me lædere? Hoc non poterit fortis aut debilis, princeps aut ignobilis, dines aut pauper, quin perseuerem in vero Deo qui non cōmouebitur in æternum. Nec ego mouebor, quia supra fortissimum fundamentū fundata sum. Nolo enim esse cum adulantibus quia à vento tentationis in omnes vias sparguntur, nunquam in requie stabilitatis persistentes, sed sēper ad inferiora & deteriora cadētes. Sic autem non ego, quoniam supra firmam petram posita sum. Sed imago quę à dextris eius erat, prædictum ceruum aspiciens dicebat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vnde volo transilire mōtes & colles, ac imbecillitatem dulcedinis transitoriæ vitæ, respiciens tantum simplici corde ad fontem aquæ viuæ, quia ipse innumerabili gloria plenus est cuius suauitate satiari nemo potest, tædio saturitatis eius. Imago autem quæ à siniſtris eius stabat, ad præfatas fenestellas videns aiebat: Semper aspicio, semper teneo lumen verum & æternum, nec cogitando aut suspiciendo ac intuendo satiari potero perpetua dulcedine quæ est in superno Deo.

3 Sed imago quæ contra Aquilonem in rota apparuit, in dextra manu virentem ramusculum habuit, ipsa vero rota assidue circumuoluebatur eadem imagine in ea immobili permanente. In circuitu autem eiusdem rotæ scriptum erat: *Si quis mihi ministrat me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Et in pectore ipsius imaginis sculptum: Ego sum hostia laudis in prouinciis. Et ipsa imago dicebat: Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei, quia fons salutis mortem submergens riuulos suos in mē transfudit & me virentem in redemptione fecit.

4 Imago vero quæ ante angulum ad austrum respicientem apparebat, tanti splendoris in facie erat vt eam perfecte intueri non possem. Sed ab vtroque latere suo alam albi coloris habebat, quarum latitudo lōgitudinem cuiusdam imaginis superabat, & ait: Quis tantæ fortitudinis est, vt tentet Deo repugnare? Et quis huius audaciæ est qui audeat me denudare & corrumpere in turpitudine odij & inuidiæ? Deus iustus est & vnus in sincera potestate & gloria. Eum semper amplecti volo puro corde & læta facie, semperque gaudere in omnibus iustitiis eius. Nolo autem esse mutabilis, sed semper in vno animo durare & assidue Deum laudare. Vnde nec diabolus nec maleuolus homo me poterunt emollire, aut ad hanc rabiem dolositatis deiicere, quin semper imitatrix pacis in recta vnanimitate perseuerem. Transacto autem mundo, clarius in cœlesti visione apparebo.

5 Post hæc vidi & ecce omne pauimentum prædicti ædificij totum vt album vitrum apparuit, à sereddens splendorem serenissimum. Sed & splendor lucidi illius sedentis in throno, quia omnia hæc mihi demonstrabat per ipsum pauimentum vsque in abyssum resplenduit. Inter circulum autem illum de sedente in throno protensum, & inter hoc ædificium terra tunc apparuit, & quasi aliquantulum deorsum vergens ita vt ipsum ædificium inde velut super montem positum videretur. Et lucidus qui sedebat in throno iterum mihi dicebat: Filius Dei viuentis natus ex virgine,

he, ipſe lapis angularis exiſtens, quem ij reprobauerunt qui in lege Dei ob ſalutem ſuam ædificare debuerunt, quod tamen facere recuſauerunt magis diligentes tenebras quam lucem & mortem quam vitam, potenter in his regnat, qui tactu Spiritus ſancti ardentes, ſalubriter ſeipſos exterius conculcant, ad interiora ſpiritus toto anniſu in plenitudine virtutum & bonorum operum ſe rapientes.

Quid ſeptē gradus candidiſſimi lapidis

6 Idcirco etiam in ſummitate orientalis anguli præmonſtrati ædificij, vbi prædictæ duæ partes muri ipſius, illa lucida & lapidea videlicet coniunctæ ſunt, quaſi ſeptem gradus candidisſimi lapidis vides, quoniam in altitudine iuſtitiæ à vero oriente qui lapis angularis in diuino opere eſt emanante vbi duæ coniunctiones neceſſariæ munitionis ſcilicet ſpeculatiua ſcientia & humanum opus in vnanimitate quietis ſibi cohærent, adeſt ſeptenarius aſcenſus candidisſimæ fortitudinis, plenus rectisſima actione exiſtens, quam Deus operatur & perficit in homine, vt in ſex diebus operatus in ſeptimo requieuit. Qui ad lapidem illum magnum ſuper quem præfatus lucidus ſedens in throno apparet, in modum teſtudinis decenter aduoluti videntur, quia omnis actio quæ fide & opere in fidelibus hominibus perficitur, timori Domini cui ipſe fortisſima omnipotentia præſidet qui cuncta regit, authoritate prouidentiæ eius digniſsimo compoſitionis effectu coadunatur.

Quid ſedes ſuper gradus.

7 Vnde & ſuper illos gradus ſedes poſita eſt, id eſt ſuper opera quæ Deus operatur in hominibus firmisſimum protectionis firmamentum regentis & adiuuantis eos: quia quicunq; vult cum eo perſeuerare, non decidet in errore, quoniam ipſe fortisſimum ſuſtentaculum exiſtit, ſuper quod omnis iuſtitia conſtituta eſt.

8 Et ſuper ſedem iuuenis quidam ſedens eſt conſtantisſimo regimine filius hominis filius Dei in omni iuſtitia cum Patre & Spiritu ſancto regnans Deus vnus: virilem & nobilem vultum habens, quia ipſe fortisſimus leo deſtruxit mortem nobili facie, ſine peccato ſcilicet viſibilis veniens, natus ex virgine: pallidi tamen coloris exiſtens, quoniam cum terrenis terrenum honorem non queſiuit, ſed humillimus, modicus & pauper in ſancta humilitate apparuit.

Quid capilli ſubnigri.

9 Vnde etiam capillos ſubnigros vſque ſcapulas ſuas deſcendentes habet, quia Iudaicus populus claritatem fidei quæ in incarnatione eiuſdem filij Dei demonſtrata eſt non quærens, obumbratus in vmbra exterioris intellectus legis pertinaciter & infideliter tabuit: ortus tamen in capite iuſtitiæ & vſque ad humerum fortitudinis vbi perfectum opus in humanitate filij Dei floruit peruenientes, ibi in incredulitate ſua finem accepit. Et purpurea tunica indutus eſt, quoniam in charitate ſanguinem ſuum fundens, hominem qui perierat redemit.

Cur à capite ad vmbilicū apparet.

10 Quod autem à capite vſque ad vmbilicum tibi apparet, hoc eſt quod ab incarnatione eius vſq; ad præſens tempus opera quæ geſsit in Eccleſia fidelibus manifeſta ſunt: ſed ab vmbilico deorſum obumbratus tibi ad videndum eſt, quia illa quæ à tempore hoc vſque ad completionem ſæculi huius, in eadem Eccleſia futura ſunt, nec videri nec ſciri poterunt niſi quantum reuelatione diuina & fide Catholica percipiuntur: quoniam maximæ coruſcationes virtutum quæ ante nouiſsimum diem in hominibus manifeſtandæ ſunt, adhuc hominibus incognitæ latent.

11 Et ipſe reſpiciens in mundum, quia idem filius Dei aſpectum miſericordiæ ſuæ dirigens ad homines, propter præteritas & futuras cauſas dicit fideliſsima verba ſuæ admonitionis ad eos, vt ipſi in ſanctis eius cœleſtem militiam imitentur effugientes pericula peccatorum, & vt fortisſime præliando ſupernam fœlicitatem adipiſcantur in factis ſuis contradicentes pœnis impiorum.

Quid tres imagines in Oriente

12 Sed quod in eadem orientali plaga vides ſuper pauimentum præfati ædificij coram eodem iuuene tres imagines iuxta ſe ſtantes, & illum deuotisſime inſpicientes, hoc eſt quod in ortu iuſtitiæ, carnalia deſideria deprimentis, in diſpoſitione omnipotentis Patris apparente filio Dei in carne, hæ tres virtutes in deuotione vnanimes per virtutem Trinitatis conſtantisſime manifeſtatæ ſunt ad ipſum dirigentes aſpectum ſuum, quia illum in fidelibus hominibus deſiderant & quærunt. Vnde etiam contra Aquilonem inter circulum illum magnum qui de prædicto lucido ſedente in throno protenditur, & inter ipſum ædificium conſpicis quaſi rotam in aëre pendentem, & in ea imaginem hominis vſque ad pectus apparentem, & in mundum acutisſime proſpicientem, quia aduerſus diabolicas artes inter ſecretam poteſtatem Dei & ſpiritualem ædificationem ipſius circuitio miſericordiæ eius in mentibus hominum quaſi in aëre pendens, & nunc potentiam iuſtitiæ Dei tangens, nunc opus ipſius in eis fortiter confirmans voluitur: in qua perfectio Chriſtiana in contemptu mundi vſque ad pectus fortitudinis ſuæ apparet, quia virtus hæc in robore fortisſimi certaminis confidens in Deum, homines in mundo ſæculariter conuerſantes acutisſimo intuitu admonitionis ſuæ commonet, vt in abiectione terrenorum imitentur præcedentis filij Dei exemplum, conſtantisſima intentione fortiter aſpirantes ad ipſum.

13 Idcirco etiam ante angulum eiuſdem ædificij ad auſtrum vergentem, imago alia intra ipſum ædificium ſuper pauimentum apparens, ſe ad prædictum iuuenem cum magna hilaritate conuertit, quoniam vt caſus hominis per bonitatem ſuperni Patris in ardore fructuoſitatis reſtauraretur ad vitam, hæc virtus in plenitudine diuini operis ſæcularia conculcans, & in dulcedine ſui affectus ſe aperte manifeſtans, ad filium Dei in conſortio Angelici ordinis cum gaudio fidelium hominum intendit: quia in incarnatione eiuſdem ſaluatoris per ſupernam virtutem floruit. Sed his imaginibus vna ſimilitudo eſt, quia pari deuotione Deum manifeſtant in hominibus, qui ipſum in operibus ſuis concorditer magnificant.

14 Vnde etiā vt cæteræ virtutes quas prius vidi-

Cur fericinis vestimentis induta.

sti fericinis omnes vestiuntur indumentis, quoniam in viribus suis reliquis virtutibus quæ tibi superius veracissimæ demonstratæ sunt, dissimiles non existunt, sed in leni negotio suauissimi operis fidelium hominum, semper ad Deum pariter sursum tendentes sunt. Quod autem omnes albis velaminibus in capitibus suis obtectæ sunt, hoc est quod simul in candido proposito legalis institutionis cum magna colligatione ante Deum caput omnium occupatæ sunt: vt mulier ante virum suum velari solet, excepta illa quæ à dextris mediæ prædictarum trium stans nudo capite candidos capillos habere videtur, quia eadem prosperitate roboris per supernam Trinitatem apparentis, nulla solicitudine huius sæculi grauata, in candore tantum cœlestis desiderij quærit dissolui & esse cum Christo: propter quod etiam nulla earum pallio circumamicta est, quoniam ab omni officio seruitutis denudatæ sunt, per quod ab officio libertatis suæ semper videlicet in cœlum aspicere & ad Deum anhelare possent impediri, nihil aliud desiderantes nisi quod à terrenis rebus separatum est: præter mediam ipsarum trium quæ albo pallio induitur, per quod in sustentatione diuina pulchritudo discreti operis beatæ legis insinuatur, cum quo eadem virtus ita circumamicta obtegitur vt homo pallio suo circumdatur. Sed quod tunicis albis omnes vestiuntur, hoc est quod in candore bonorum operum absque nigredine prauorum morum conuersantur qui in nequitiis & vitiis obcæcatæ infidelitatis obtenebrantur, excepta illa quæ in rota apparens, tunicam subnigram habet, quia hæc in volubilitate diuinæ clementiæ his actibus circumdata est, quæ in districtione sua carni difficiles sunt: & præter hanc quæ à sinistris mediæ earundem trium assistens tunica pallidi coloris vtitur, ipsa in aduersitate per munimentum summæ maiestatis ad defensionem sui circumdata & vallata, lachrymabili mœrore gementis operis, in quo flens & eiulans ad Deum semper suspirat. Vnde etiam omnes calceamentis albis indutæ sunt, quoniam in morte filij mei lucentes viam pacis in mentibus hominum parant, quatenus cœlestia desiderent: excepta media ipsarum trium cuius indumenta pedum nigra videntur & diuerso colore depicta, quoniam hæc sub protectione Dei manens, sed magna schismata infidelium in irrisione nigredinis à via veritatis deuiantium sustinens, recto tamen itinere fidei decorata in mortificatione filij mei non dissidens per multas infestationes diabolicarum artium & per diuersas tribulationes morum hominum, in sua fortitudine & pulchritudine perseuerans tendit ad superna. Sed tamen dissimilitudo est in eis, quia quamuis vnanimes & sibiinuicem in operatione sunt adhærentes, tamen suas vires vnaquæque in subiectis sibi hominibus singulariter in feruore supernæ claritatis demonstrat.

Constãtia

15 Vnde imago quæ media est trium prædictarum sibi astantium, declarat constantiam, quæ columna & munimen est earum quæ sibi adhærent virtutum in medio huius numeri Trinitatem sanctam significantes: se manifestans & hominibus vt in bonis operibus constantes sint ostendens, quia etiam Christus Deus & homo opera sua quæ in mundo operatus est, bono fine consumauit: sicut & virtus hæc firmamentum interiorum virtutum in hominibus existens, cum magna disciplina homines ad Deum perducit. Ergo & in pectore eius duæ fenestellæ apparent, quod est in cordibus hominum manifestatio cœlestium in duobus speculis fidei demonstrata: quoniam Diuinitas & humanitas in filio Dei credenda est, per quem virtus illa in hominibus perfecta à fortitudine rectitudinis suæ non mouebitur. Sed super ipsas fenestras ceruus ad dextram eiusdem imaginis versus apparet, quia super fidem hanc quod filius Dei Deus & homo creditur, ipse per credulitatem fidelis populi firmissime ponitur, cum per cursum velocitatis suæ cœleste desiderium designans, ad dextram constantiæ vertitur, quoniam vita æterna in perseuerantia boni operis reperitur: ita vt anteriores pedes suos super fenestram dextram, & posteriores super sinistram ponat, quia quod ipse verus Deus sit, nec in tranquillitate fidei contemnendum, aut quod verus homo sit nec in eiusdem fidei impugnatione ab vllo Deum veraciter diligente diffidendum est. Vnde & se quasi ad currendum coaptat, quoniam saluatio animarum in cursu eius reperta est, cum ipse in magnis doloribus properans ad passionem crucis, vitam in veritate perseuerantibus contulit: vt & virtus hæc in verbis suæ confessionis supra designat.

Cœleste desiderium.

16 Sed secunda imago quæ à dextris eius est, cœleste desiderium præfigurat: in cœlum semper aspiciens & ad saluationem tendens, per quod constantia prosperitatem caducorum non appetens, magis fœlicitatem æternorum desiderat. Quapropter & prædictum ceruum inspicit, quia filium Dei in lucidissimo opere suo assidue attendens, in dulcissimis amplexibus illius saturari non poterit, quemadmodum & superius in locutione desiderij sui affirmat.

Cõpunctio

17 Tertia autem imago à sinistris eius stans, ostendit compunctionem cordis atque recordationem mentis assidua contritione exilium suum gementem & plorantem, cuius beata effusione constantia contrarietatem sinistræ partis quæ perditio animæ est declinans, ad vitam de morte festinat. Vnde etiam ad præfatas fenestellas aspicit, quoniam in cordibus fidelium omnem intentionem suam ad filium Dei, tam in humanitate quam in diuinitate regnantem intendens, eius dulcedine continua visione perfrui delectatur, sicut etiam in verbis suis aperta manifestatione demonstrat.

Contẽptus mundi.

18 Sed imago quæ contra Aquilonem in rota apparet, perfectionem Christi & contemptum mundi prætendit, quia plenitudo virtutum in abiectione sæcularium per filium Dei apertissime declarata est, qui inter homines conuersatus terrenis non inhians, imitatores suos fortiter ad cœlestia toto ardore commonuit anhelare. Quæ in dextra manu virentem ramusculum habet, quoniam in fœlicitate saluationis animæ opus viridissimi & pulcherrimi germinis beatarum virtutum quod

inspi-

inſpiratione Spiritus ſancti perfuſum eſt, continet. Quapropter & ipſa rota aſſidue circumuoluitur eadem imagine in ea immobili permanente, quia miſericordia Dei pia compaſſione ſe ad homines flectens, & miſeriis eorum compatiens, ſe quærentibus ſemper flexibilis eſt, perfectione Chriſti in contemptu mundi nullam mobilitatem inſtabilitatis habente, ſed ſemper ad ea tendente quæ ſunt ſine vlla mutabilitatis offenſione. Quod autem in circuitu eiuſdem rotæ ſcriptum eſt : *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur. Et vbi ſum ego illic & miniſter meus erit*, hoc eſt quod vbique flexibilis miſericordia Dei, hoc continet in ſe, quod quicunque filio Dei obſequium exhibuerit exemplum eius imitando, in cœleſti beatitudine gaudebit, cum ipſo conſortium ſine fine adepturus Angelorum. Vnde etiam in pectore ipſius imaginis ſculptum apparet: Ego ſum hoſtia laudis in prouinciis, quia Chriſtus ſapienter contemptum docēs ſæcularium, per ſecretum conſilij ſui cordibus electorum ſuorum inſinuat, quod ipſum omnis fidelis anima hoſtiam patri oblatum in ligno crucis, intima deuotione veneratur & adorat, cum etiam in toto terrarum orbe gloriam & laudē eius, vox & lingua omnium fidelium propter remunerationem vitæ non ceſſet reſonare, vt etiam ipſa in locutione ſua aperte propalat.

Cōcordia. 19 Imago vero quæ ante angulum ad auſtrum reſpicientem apparet, ſignificat concordiam, rabiem malignorum ſpirituum fugientem, ſed conſortium beatorum Angelorum amplectentem : cum ipſa ob amorem Dei ſciſſuras infidelium deuitat, & ad vinonem perpetuæ pacis anhelat. Vnde & tanti ſplendoris in facie eſt, vt eam perfecte intueri non poſſis, quoniam mortifero odio & inuidia carens, maiorem claritatem in animabus hominum parat, quam mortalis mens capere valeat fragili corpore grauata. Sed quod ab vtroque latere ſuo alam albi coloris habet quarum latitudo longitudinem eiuſdem imaginis ſuperat, hoc eſt quod & in proſperis & in aduerſis ad ſudorem iuſti laboris ſe coniungētibus, illa virtus protectionem ſuæ candidiſſimæ bonitatis extendens, plus in latitudine expanſionis ſuæ quā poſſidet in charitate ſupernorum tenet, quam in longitudine naſcentis humani generis habeat: quia finito mundo ipſa ſuper cœlos cœlorū volans, magis tunc quam nunc in claritate ſua apparebit. Vbi nihil terrenum nihilq; caducum quæritur, ſed quod cœleſte & æternum eſt, dulciſſima amplexione amatur: & vbi omnia clara atque læta perdurabunt, abſterſa omni nebula iniquitatis, quemadmodum & in verbis profeſſionis virtutis huius fideliter denunciatur.

Fortitudo 20 Quod vero vides pauimentum ædificij totum vt album vitrum apparens & ex ſe reddens ſplendorem ſerenisſimum, hoc eſt quod fortitudo veræ fidei portans & explanans opus & ciuitatem Dei, tota in candore & in ſpeculo ſimplicitatis puriſſima & planiſſima eſt, ipſa fide cum omnibus operibus ad ſe pertinentibus in ipſa ciuitate Dei vigilante & ædificante : quatenus Deus in initio bonorum operum hominum per ſplendorem ſerenisſimæ intentionis tangatur, & in fine eorum per ſaluationem animæ apertiſſime cognoſcatur : quia peracta operatione, fides ipſa oſtendit qua deuotione quæque anima Deum quæſiuit.

Quid ſplē dor ſedētis in throno.

21 Vnde & ſplendor lucidi illius ſedentis in throno qui omnia hæc tibi demonſtrat per ipſum pauimentum vſque in abyſſum reſplendet, quoniam gratia omnipotentis Dei cuncta regentis & omnia quæ in hac viſione cognoſcis tibi manifeſtantis, per fortitudinem fidei diabolum in perditione mortis ad nihilum redegit. Quomodo? Deus ſerpentem antiquum & mortem æternæ perditionis per puriſſimam fidem, quæ eſt in regeneratione ſpiritus & aquæ deiecit in profundum perpetuæ confuſionis, fortiter pertranſiens tenebras infidelitatis, cum filiis Dei fideles ſuos admonuit, vt verba doctrinæ ſuæ ab ipſo accepta in mundum emitterent.

Quid ædi ficium ſuā per moniē

22 Sed quod inter circulum illum à ſedente in throno protenſum, & inter hoc ædificium terra tantum apparet, quaſi aliquātulum deorſum vergens, ita vt idem ædificium inde velut ſuper montem poſitum videatur, hoc eſt quod inter fortitudinem poteſtatis omnipotētis Dei & inter electum opus bonitatis ipſius, plurimi homines ſunt qui veram fidem abnegantes magis temporalia quam æterna ſectantur, vt ſunt Pagani, Iudæi ac falſi Chriſtiani ſemper de malo in malum deſcendentes, nec in caducis rebus ſpeculum Catholicæ fidei ſurſum aſpicientes, ſed magis in voluptatibus ſuis prauum opus in profundum peccatorum protrahere laborātes: ita vt maximum & pulcherrimum opus Dei, inter tenebras huius infœlicitatis omni homini illud quærenti in altitudine ſummæ bonitatis palam appareat, vt Ioannes dilectus Euangeliſta in reuelatione diuina teſtatur dicens: *Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo habentem claritatem Dei.*

23 Hoc tale eſt. Spiritus eleuat ſpiritum. Quomodo? In virtute ſua Spiritus ſanctus trahit hominis mentem de pondere carnis: vt poſſit volare in viſione oculorum ſpiritus illius qui interiora videt non obſcuratus cæcitate carnalium voluptatum. Quid hoc? Sed Spiritus ſanctus ſurſum eleuat ſpiritum hominis ad montem cœleſtium deſideriorum, vt perſpicue conſiderare valeat opera quæ in ſpiritu peragenda ſunt: quod eſt magnitudo operum Dei, cui mille artes diabolici operis ſubſtratæ ſunt, ita quod eis dominatur ſicus mons planitiei terræ præfertur, & quod immobile fundamētum eſt ſicut mons qui de loco ſuo non tranſit: tantæ etiam altitudinis exiſtens quod mortalis homo eam in ſenſu ſuo enarrare non poſſit, quia omnem humanam prudentiam ſuperexcellit, quæ de terrenis mentibus terrenarum qualitatum aſcendit. Et ſic fideli & ſanctæ animæ opera ſpiritus oſtenduntur, ſicut etiam cœleſtis Hieruſalem ſine opere manuum carnis, per opus à Spiritu ſancto datum ſpiritualiter ædificanda eſt: ita magnitudine & altitudine ſanctorum operum in ſpiritu apparente, vt eadem ciuitas in operibus bonis quæ tactu Spiritus ſancti fiunt in hominibus, adornatur:

tur: quoniam ipsa sic supra montem posita & innumeris ædificationibus ædificata, in se nobilissimos lapides qui sanctæ animæ in visione pacis sunt, colligit ab omni putredine peccati purgatos. Vnde etiam cum ipsis pretiosis lapidibus vt aurum fulget, quia in bonis hominibus sapientia opus suæ claritatis demonstrat. Sed opera illa in rectitudine iustitiæ peracta, cum quibus etiam ipsa cœlestis Hierusalem adornata perficitur, vnde exorta venerunt? videlicet de altitudine cœli: quoniam vt ros de nubibus descendit & terram humore suo perfundit, sic bona opera à Deo in homines descendunt, & infusione Spiritus sancti rigantur: ita quod fidelis homo bonum & suauem fructum generans, consortium supernæ ciuitatis adipiscitur. Sic ergo cœlestia opera per donum Spiritus sancti de cœlo in homines venientia, habent claritatem in ipso, à quo etiam emanauerunt. Quomodo? Quia claritas Dei in bonis operibus iustorum hominum fulget, ita quod ipse tanto ardentius in terra cognoscitur, adoratur & colitur per quas virtutes ipsa sancta ciuitas in ornamentis suis decoratur, quia homo adiutorio Dei bona opera faciens, eum in mirabilibus suis veneratur. Et sic est hæc reuelatio per oculos spiritus visa & cognita, vt in inspiratione Spiritus sancti recta opera in hominibus peracta coram Deo in supernis apparent.

24 Itaque vt præmonstratum est Deus operatur ab Oriente & à Septentrione & ab Occidente ad Meridiem, vbi per filium suum in dilectione Ecclesiæ omne quod ante cõstitutionem mundi prædestinatum fuerat, ad effectum illum perducit qui nouissimus dies est: sicut etiam hoc opus suum per se educens illud cum prædictis in mystica designatione turribus & virtutibus confirmatum & ornatum, atque in summa perfectione cõpletum reducit ad seipsum. Quomodo? Iustitia iustæ actionis post casum Adæ designata in Noë, ad nouissimum diem tendit multis miraculis circumuallata, quæ Deus in electis suis per diuersa tempora demonstrare non cessauit vt in præparatione in Noë, & in ostensione in Abraham & in Mose, & in operatione in filio suo. Quomodo? Ante tempora in corde cœlestis patris erat quod filiũ suum in fine temporum pro vera salute & redemptione perditi hominis mittere voluit in mundum, qui natus ex virgine omnia quæ antiqui sancti Spiritu sancto repleti prædixerant, perfecto opere compleuit: veluti brachium hominis se primum flectit ad opus, & vt deinde manus operatur. Quid hoc? Iustitia videlicet iusto iudicio Dei cum Adam de terra floriditatis proiectus est, cœpit primum in Noë moueri vt in prima iunctura humeri, ita tendens ad fortiora in Abraham & in Mose quasi ad flexibiliora secundum iuncturam brachij, sic tandem perueniens ad perfectum opus in filio Dei: per quem omnia signa & præconia veteris legis aperto opere completa sunt, & per quem omnes virtutes cum quibus cœlestis Hierusalem in filiis suis adornabitur, certissima declaratione in regeneratione spiritus & aquæ manifestatæ sunt, vt manus in digitis suis opus quod operatur ad perfectã ostensionem perducit, hoc modo opus meum ad gloriam meam & ad tuã confusionem perficiõ diabole, tibi per fortitudinem brachij mei oppositus in Aquilone, in Septentrione & in Occidente, nec non etiam secundum solis cursum tibi resistens ab Oriente & à Meridie, ita te subuertens in Occidente, quatenus in omni parte confusus sis: quia in Ecclesia mea quæ mons est fortitudinis, ad interitum tuum ô deformissime impostor facio opus iustitiæ & sanctitatis, ita vt tu dereictus omnino intereas, qui volebas vt plebs mea interiret. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO VNDECIMA.

1 Deinde vidi ad Aquilonem, & ecce ibi quinque bestiæ stabant: quarum vna erat vt canis igneus, sed non ardens: vna vt leo fului coloris. Alia vt equus pallidus. Alia vt niger porcus. Alia vt lupus griseus & se ad occidentem vertebant. Et in occidente coram bestiis illis veluti quidam collis quinque apices habens apparuit, ita vt ab ore cuiusq; bestiæ funis vnus ad vnumquemq; apicem ipsius collis extenderetur, omnes subnigri coloris, præter funem illum qui ab ore lupi tendebatur, qui ex parte niger & ex parte albus videbatur. Et ecce in oriente iuuenem illũ quem prius super angulum coniunctionis lucidi & lapidei muri ædificij purpurea tunica indutum videram, super ipsum angulum iterum vidi, sed nunc ab vmbilico deorsum mihi apparentem, ita vides vt ab vmbilico vsque ad locum illum vbi vir discernitur quasi aurora fulgeret: ibi erat veluti lyra cum chordis suis in transuersum iacens, & ab hoc loco vsq; ad calces pedum id est ad mensuram duorum digitorum transpositorum superius tangentem talum vmbrosus erat ac ab illa mensura per totos pedes suos lacte candidior apparebat. Sed & illa muliebris imago quam ante altare quod est ante oculos Dei prius conspexerant, nunc etiam mihi & hic iterum ostensa est, ita tamen quod eam etiam ab vmbilico ventris deorsum viderem. Nam ab vmbilico vsq; ad illum locum vbi mulier cognoscitur, varias & squamosas maculas habebat. In loco autem muliebris cognitionis monstruosum & nigerrimum caput apparuit igneos oculos, & aures vt aures asini, & nares & os vt nares & vt os leonis habens ac magno hiatu frendens, & velut ferreos ac horribiles dentes horribiliter acuens. Sed ab illo capite vsque ad genua sua imago illa alba & rubea & velut multa contritione contusa erat. Ab ipsis autem genibus vsque ad duas zonas quæ per transuersum superius tangentes calcem pedũ albæ videbantur, sanguinea apparebat. Et ecce illud monstruosum caput se tanto fragore à loco suo emouit vt omnis muliebris imago in omnibus membris suis inde concuteretur. Sed & velut magna massa multæ fæcis ipsi capiti coniuncta est. Vnde illud supra quendam montem se eleuans altitudinem cœlorum ascendere tentauit. Et ecce velut ictus tonitrui repente veniens, ipsum caput

tanta

tanta fortitudine repercusſit, quod & de monte illo cecidit, & quod ſpiritum in mortem emiſit. Vnde ſubito fœtens nebula montem ipſum totum comprehendit, in qua caput illud tanta ſorde inuolutum eſt, vt aſtantes populi in maximum terrorem conuerterentur, ipſa quidem nebula circa ipſum montem aliquantulum diutius immorante. Quod aſtans populus cernens, multo timore concuſſus ad inuicem dicebat: Heu heu quid eſt hoc? Quid videtur nobis hoc eſſe? Ah nos miſeros, quis nos adiuuabit? Aut quis nos liberabit? Neſcimus enim quomodo decepti ſumus. O omnipotens Deus miſerere nobis. Reuertamur. Reuertamur ergo properemus teſtamentum Euangelij Chriſti: quoniam ah ah ah amare decepti ſumus. Et ecce pedes prædictæ muliebris imaginis candidi apparuerunt, ſplendorem ſuper ſplendorem ſolis reddentes. Audiuiq; vocem de cœlo mihi dicentem: Quamuis omnia quæ in terra ſunt ad finem ſuum tendant, ita quod mundus in defectu virium ſuarum poſitus, ad exitum ſuum multis ærumnis & calamitatibus oppreſſus incuruetur, tamen ſponſa filij mei tam à prænunciis filij perditionis, quam ab ipſo perditore in filiis ſuis multum fatigata, nequaquam contereretur, quamuis ab eis multum impugnetur: cum ipſa in fine ſæculorum robuſtior & validior exurgens pulchrior & clarior reddetur, quatenus hoc modo ad amplexus dilecti ſui ſuauius & dulcius procedat. Quod & hæc viſio quam cernis, myſtice deſignat.

2 Vides enim ad Aquilonem, & ecce ibi quinque beſtiæ ſtant, quæ ſunt in carnalibus deſideriis quibus macula peccati non deeſt, quinque ferocisſimi curſus temporalium regnorum ferociter in ſe bacchantes.

3 Quarum vna eſt vt canis igneus ſed non ardens, quia curſus temporum illorum, homines ſuæ conſtitutionis mordaces habebit, in ſua quidem æſtimatione velut ignis apparentes, ſed in iuſtitia Dei non ardentes.

4 Et vna vt leo fului coloris eſt, quoniam curſus ille bellicoſos homines ſuſtinebit, multa quidem bella mouentes, ſed in eis rectitudinem Dei non inſpicientes: quia in fuluo colore regna illa incipient fatigationem debilitatis incurrere.

5 Alia autem vt equus pallidus, quia tempora illa homines in diluuio peccati laſciuos & in velocitate voluptatis ſuæ operationem bonarum virtutum tranſilientes producent: vbi tunc cor regnorum illorum in pallore ruinæ ſuæ confringetur, quoniam ruborem fortitudinis ſuæ tunc perdet.

6 Sed alia, vt niger porcus, quoniam curſus ille rectores magnam nigredinem triſtitiæ in ſeipſis facientes habet, & ſe luto immunditiæ inuoluentes, videlicet diuinam legem in multis contrarietatibus fornicationum & aliarum ſimilium abominationum poſtponentes, ac multa ſchiſmata diuinorum præceptorum in ſanctitate machinantes.

7 Alia vero vt lupus griſeus, quia illa tempora habebunt homines multas rapinas tam in poteſtatibus quam in reliquis ſucceſsibus ſibiipſis congerentes cum in his certaminibus, nec nigros nec albos, ſed velut griſeos in verſutiis ſuis ſe oſtendentes, capita regnorum illorum diuidentes deiicient: quoniam tunc veniet tempus irretitionis animarum multarum, vbi error errorum ab inferno vſque ad cœlum erigetur: ita quod filij lucis torculari martyriorum ſuorum imponentur, filium Dei non negantes, ſed filium perditionis abiicientes, qui diabolicis artibus voluntates ſuas perficere tentabit. Et hæ beſtiæ ſe ad Occidentem vertunt: quoniam hæc caduca tempora cum occidente ſole cadunt: quia ſicut ille oritur & occidit, ita etiam faciunt homines cum hic naſcitur & ille moritur.

8 Vnde etiam ibi in Occidente coram beſtiis illis velut quidam collis quinque apices habens apparet, quia in carnalibus concupiſcentiis in ipſis excurſibus diſpoſita poteſtas, quinque altitudinum propalata oſtenditur: ita vt ab ore cuiuſque beſtiæ funis vnus ad vnumquemque apicem ipſius collis extendatur, quoniam ab initio illorum temporum tenor prolixitatis ad quamq; altitudinem diſpoſitæ poteſtatis protenditur: omnes ſubnigri coloris præter funem illum qui ab ore lupi protenditur qui ex parte niger & ex parte albus videtur, quia iſtæ prolixitates ſunt in varietate contumaciæ voluptatis hominum. Tenore illo qui in voracitate rapinæ poſitus eſt in parte nigredinis, multas iniquitates protendente: ita tamen quod ex ipſa ij in multo candore iuſtitiæ procedunt, qui terrentibus miraculis filio perditionis vt ipſi reſiſtant, occurrent: quemadmodum ſeruus meus Iob de iuſto viro iuſtitiam faciente oſtendit, dicens: *Innocens contra hypocritam ſuſcitabitur, & tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.* *Quid collis in Occidente.*

9 Hoc tale eſt. Qui innocens eſt ſanguinei operis, id eſt homicidij & fornicationis & ſimilium malorum operum velut ardens ſcintilla contra illum excitatur, qui ſemper in operibus ſuis mentitur. Quomodo? Quia ille mel nominat, ſed venenum deuorat: & amicum vocat, quem ſicut inimicum ſuffocat. Videlicet cum dulcia verba ſonant, ſed intra ſe malitiam habent: & cum amico blande loquitur, ſed illum in inſidiis occidere nititur. Sed qui habet virgam, indigna pecora à ſeipſo fugans ex recto itinere cordis ſui, habet etiam clara itinera coram fulgente ſole: quoniam ipſe clara ſcintilla & clara lux in Deo ſuſcitatur quaſi fulgens facula, atque ita fortisſimis puriſsimisq; operibus ſe circumferens, ipſis apponit fortem loricam & incidentem gladium, à ſe etiam vitia expellens & virtutes ſibi concilians.

10 Quapropter etiam in Oriente iuuenem illum quem prius ſuper angulum coniunctionis lucidi & lapidei muri ipſius ædificij purpurea tunica indutum videras, ſuper eundem angulum iterum vides; quia oriens iuſtitiæ filius hominis, præſidens fortitudini coniunctionis ſpeculatiuæ ſcientiæ & humano operi in bonitate Patris ſurſum ædificante, cum ipſe filius hominis in voluntate Patris ſui ſanguinem ſuum pro ſalute mundi fudit *Iuuenis ſuper angulum.*

(vt

(vt tibi monstratum est) ibi ipse etiam modo sedens in eadem altitudine, ad confirmationem veritatis tibi denuo per mysteria miraculorum suorum manifestatur: sic tamen vt nunc ab vmbilico deorsum tibi appareat, quoniam à fortitudine membrorum suorum quæ est electorum eius, vbi modo ipse sponsus Ecclesiæ viget vsque ad completionem eorum multa admiranda & obscura signa vides: ita videlicet vt ab vmbilico vsque ad locum illum vbi vir discernitur, quasi aurora fulgeat, quia à perfectione illa cum iam fidelia membra sua perfectionem fortitudinis habent, vsque ad tempus filij perditionis qui se virum virtutis esse simulabit, in rectitudine se deuote colentium fulgorem iustitiæ demonstrabit. Vnde & ibi velut lyra cum chordis suis in transuersum iacet, quod est in persecutione illa qua filius iniquitatis multos cruciatus electis inferet, gaudium canticorum eorum qui iam propter dira tormenta quæ in corporibus suis patiuntur à corporalibus nexibus soluuntur, ad requiem transeuntes.

Cur vsq; ad calces pedũ vmbrosus.

11 Sed ab ipso loco vsque ad calces pedum, id est ad mensuram duorum digitorum transpositorum superius tangentem talum eius vmbrosus est, quoniam à persecutione hac quam fideles à filio diaboli passuri sunt, vsque ad doctrinam duorum testium scilicet Enoch & Heliæ terrena despicientium, & ad superna desideria labores suos ponentium, fides Ecclesiasticæ institutionis velut in dubio habenda est, hominibus multo mœrore dicentibus: Quid est quod dicitur de Iesu? Verum ne est an secus?

Cur lacte candidior per totos pedes.

12 Sed ab illa mensura superius tangente talum per totos pedes suos lacte candidior apparet, quod est à testimonio testium illorum æterna præmia exspectantium filio perditionis deuicto, filius hominis ante finem mundi in Catholica fide candidissimus & pulcherrimus fulgebit: ita quod tunc palam veritas per ipsum cognoscetur, & quod falsitas in filio iniquitatis per omnia abiicietur: vt & Dauid seruus meus testatur vbi dicit: *Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

13 Hoc tale est. Profunda scientia quæ est magnus status in homine scilicet pulchram formam linguarum hominum voluntate & dispositione Dei tangens, strenue symphonizat in altari Dei, quia Deum nouit & beati in laudibus sonantium mentium currunt, torrens iter verborum in purissimo fonte fortissimi dominatoris facientes, cum in perdito tempore destruuntur hiatus sibilorum diabolicarum artium, quæ mentes hominum turpiter inficiunt.

Quid muliebris imago ante altare.

14 Sed & illa muliebris imago quam ante altare quod est ante oculos Dei prius conspexeras, nunc etiam tibi & hic iterum ostenditur, quia sponsa filij Dei purissimis orationibus sanctorum instans, & eas supernæ inquisitioni secundum quod tibi præmonstratum est deuotissime offerens, modo etiam tibi in eisdem sacramentis pro assertione iustitię declaratur: ita tamen quod eam modo etiam ab vmbilico ventris deorsum videas, quoniam ipsa pro creatione illa qua nunc Ecclesiastica dignitate prouehitur, vsque ad plenitudinem filiorum eius multis miraculorum mysteriis ad tuitionem multorum, tibi manifestatur. Nam ab vmbilico vsque ad locum illum vbi mulier cognoscitur, varias & squamosas maculas habet, quod est à fortitudine illa qua modo in filiis suis digne & laudabiliter viget, vsque ad tempus illud vbi filius perditionis artes suas, quas diabolus primæ mulieri immisit perficere conabitur, varietatem & duritiam in obiectione multorum vitiorũ tam in fornicatoriis quam in mortiferis & rapacibus malis lamentabiliter & miserabiliter sustinebit. Quomodo? Quoniam ij qui eam diligere deberent, eam acriter persequentur.

Quid mõstruosum caput.

15 Vnde etiam in loco muliebris cognitionis monstruosum & nigerrimum caput apparet, quia cum artibus primę seductionis in monstruosis turpitudinibus, & in nigerrimis iniquitatibus, perditionis filius insaniens veniet: igneos oculos & aures vt aures asini, & nares & os vt nares & os leonis habens, cum furibundos actus nequissimi ignis & turpissimos sonitus contradictionis, Deum abnegari faciens hominibus immittit, ita pessimum fœtorem sensibus eorum infundens, ac crudelissima rapacitate Ecclesiastica instituta dilanians, scilicet magno hiatu frendens, & velut ferreos ac horribiles dentes horribiliter acuens, quoniam voracissimo rictu vitiorum fortitudinem & insaniam mordacitatis suæ, sibi consentientibus pessime infigit.

Cur imago contritione tusa.

16 Et ab illo capite vsque ad genua illa, alba & rubea & velut multa contritione contusa est, quoniam à pessima deceptione qua filius perditionis homines primum blande & leniter seducere conabitur, vsque ad tempus illud cum eos iam crudelius inflectere & incuruare tentabit Ecclesia in filiis suis albedinem veræ fidei, sed in ipsa angustiam sanguinei stuporis ac maximas ærumnas diuersarum passionum sustinebit.

Cur sanguinea.

17 Ab ipsis autem genibus vsque ad duas zonas quæ per transuersum superius tangentes calcem pedum albæ videntur, sanguinea apparet, quia cum iam velut motionem oppressionis suæ sustinuerit, vsque ad duos testes veritatis qui Ecclesiam fortissime continebunt, iam circa consummationem mundi candorem iustitiæ & rectitudinis ostendentes, sceleratissimas persecutiones & crudelissimas effusiones sanguinis, in iis qui ipsum perditorem contempserint patietur. Quid hoc? Cum filius perditionis in contraria sua doctrina iam fiduciam & fortitudinem fallaciter confortatus acceperit, tunc & Ecclesia in cursu festinationis suæ nobilissimo sanguine perfundetur: vbi & ipsa tunc plene iam cęleste habitaculum construetur. Nam vos ô plateæ Hierusalem, tunc in optimo auro per sanguinem sanctorũ fulgebitis, quia diabolus tunc extinguetur, quoniam membra superni regis prosecutus est, ita quod ipse præ magno terrore suo ad nihilum redigetur. Sed ô vos homines qui in ipsis habitare desideratis, illum fugite, & Deum qui vos creauit adorãte. In sex enim diebus perfecit Deus opera sua, & in septimo requieuit ab opere suo.

Quid

18 Quid hoc? Sex dies, ſex numeri ſæculi ſunt, ſed in ſexto noua miracula mundo edita ſunt, vt etiam in ſexto die Deus opera ſua cõpleuit. Nunc autem mundus in ſeptimo numero ſæculi, ante nouiſſimum diem, eſt ſicut in die ſeptimo. Quomodo? Prophetæ voces ſuas compleuerunt, filius etiam meus voluntatem meam in mundo perfecit, & aperte Euangelium in toto mundo prædicatum eſt: ſed & hoc per tempus temporum pleni numeri, & per plus temporum annorum ipſius pleni numeri, quamuis in multa diuerſitate morum hominum tamen per me bene fundatum perſtitit. Sed nunc Catholica fides in populis vacillat, & Euangelium in hominibus claudicat: fortiſſima etiam volumina quæ probatiſſimi doctores multo ſtudio enucleauerunt, turpi tædio diffluunt, & cibus vitæ diuinarum ſcripturarum iam tepefactus eſt. Vnde nunc loquor per non loquentem hominem de ſcripturis, nec edoctam à terreno magiſtro, ſed ego qui ſum ediſſero per eam noua ſecreta & multa myſtica quæ hactenus in voluminibus latuerunt: velut homo facit qui limum ſibi primum componit, & deinde ex eo quaſque formas ſecundum voluntatem ſuam diſcernit. O fructuoſi doctores boni lucri, animas veſtras redimite & hunc ſermonem fortiter clamate, nec ad ipſum increduli eſtote, quia ſi illum ſpernitis, non illum ſed me qui verax ſum contemnitis. Vos namque populum meum ſub lege mea nutrire debetis, habentes curam vſque ad prefinitum tempus illius curationis, cum deficiet omnis cura omnium laborum. Sed de hoc tempore habetis tempora temporum præfixæ prædeſtinationis, ad tempus illud currentes in quo filius perditionis veniet. Conualeſcite ergo & confortamini electi mei, præcauentes ne in laqueum mortis cadatis, ſed victorioſiſſimũ vexillum horum ſermonum eleuate, & ſuper filium iniquitatis ruite. Nam in errore ſemitarum illarum quæ præcurrunt & ſubſequuntur filium perditionis, quem vos Antichriſtum nominatis, veſtigia illius imitamini qui vos viam veritatis edocuit cum in carne in mundo cum magna humilitate & non cum ſuperbia apparuit. Audite ergo & intelligite. Spiritus enim dicit Eccleſiæ de tempore nouiſſimi erroris: Mors irruet in Eccleſiam in ipſa hora cum in fine temporum maledictus, maledictionis filius veniet, qui eſt maledictio maledictionum: velut filius meus in Euangelio de ciuitate peſſimi erroris teſtatur dicens: *Et tu Capharnaum nunquid vſque in cœlum exaltaberis, vſque in infernum deſcendens.* Hoc tale eſt. O tu antrum iniquitatis, foſſa abſconſionis exiſtens, & alas ſimulationis hypocritarum habens, quomodo in excelſo parietum ſtare poſſes, cum oculus tuus nequitias vitiorum inſpiciat, quæ ardens lumen in ſordibus abſcondunt dicentes: Quis ſimilis eſt parricidæ in hypocriſi, quem ſtulti dominatorem nominant. Nunquid cœlum in miraculis ſignorum habebis, cum digitum tuum barathro intinges. Quomodo? Opera tua fundum inferni petent, in cuius voracitate abſorpta iacebis, ita quod etiam infernus fœtorem illum euomet, in quo mundus amaritudinẽ mortis in perditore perditionum videbit.

19 Sed caput ſine ventre & abſque cæteris membris eſſe non debet. Caput Eccleſiæ filius Dei eſt: venter & cætera membra quæ ſequuntur, Eccleſia cum filiis ſuis eſt. Eccleſia autem nondum in membris & in filiis ſuis perfecta eſt, ſed in nouiſſimo die cum numerus electorum implebitur, tunc & Eccleſia plena erit. Sed & tunc in vltimo die turbatio orbis terrarum fiet, cum ego Deus quatuor elementa abluam, cum illo quod mortale in carne hominis eſt, & tunc in conſumatione ſęculi plenum gaudium ſobolis Eccleſiæ erit. Vt enim prędictum eſt, in ſex diebus perfecit Deus opera ſua. *Quod caput Eccleſia.*

20 Quinque dies, quinque numeri ſæculi ſunt, in ſexto noua miracula in terris propalata ſunt, velut in ſexta die primus homo formatus eſt. Sed nunc ſextus numerus finitus eſt, & deuentum eſt in ſeptimum numerum, in quo nunc curſus mundi velut in ſeptima die requiei poſitus eſt: quia labor ille quem prius fortiſſimi doctores in profunditate clauſorum ſigillorum ſanctarum ſcripturarum habuerũt, modo apertus exiſtens aperte proferendus eſt, in leuitate verborum velut verba huius libri ſunt, quaſi in ſeptima quietis die Sex enim dies operis ſunt, ſeptima requiei eſt. Numerus dierum alius non eſt: quod ſupereſt tibi ô homo ſciendum non eſt, ſed in ſecreto patris eſt. Sed vos ô homines de tempore hoc, tempus temporũ in curſu veſtro habetis antequam homicida ille veniat, qui fidem Catholicam peruertere cupiet. Quid autem deinde fiat, nec tempus nec momentum vobis de hoc ſciendum eſt: ſicut nec quid poſt ſeptem dies hebdomadis ſit, ſcire poteſtis, ſed ſolus Pater hoc nouit, qui & hæc in ſua poteſtate poſuit. De diebus enim hebdomadis aut de temporibus temporum ſæculi, amplius tibi ô homo ſciendum non eſt. *Quid quũque dies. Quid ſextus. Quid ſeptimus.*

21 Sed poſt quinque numeros ſæculi cœleſtia miracula mundo edidi, ſicut & in quinque diebus alia creatura ante hominem creata fuerat, quæ homini ſubiecta eſt. Sic etiam & plenitudo infidelium & Iudæorum fuerat, & diuerſa ſchiſmata diuerſorum malorum tam gentilis quam Iudaïci populi efferbuerant, & lex ac prophetia iam ſudauerant, atque omnes populi tam in malis quam in bonis probati erant: antequam vnigenitus meus carnem de virgine ſuſciperet. Nam eum mittendũ decretum non fuerat niſi præmiſſis omnibus his, vt omnis iuſtitia in illo probaretur, & vt omnis iniuſtitia ab illo ſcandalizaretur. Quod ſi filius meus prius veniſſet, hoc quaſi inſipienter factum fuiſſet: velut homo ille prudenter agit qui fruges ſuas antequam matureſcant colligere vult: vel ſi incarnatio eius in ipſum finem mundi dilata eſſet, tunc raptim veniret quaſi auceps ille qui aues fraudulenter capit, illis neſcientibus quomodo rete eius intraverint. Sed filius meus venit in tempore illo velut cum iam dies poſt nonam ad veſperas tendit, ſcilicet cum iam maxima virtute diei abſcendente frigus adeſſe incipit, ita poſt quinque numeros mundi filius meus mundo affuit cum mũdus iam ad occaſum currit. Quid tunc? Ipſe enim veniens medullam legis aperuit, vbi aquam legis in vinum Euangelij conuertit, vbi & maxima fluenta virtu- *Quid poſt quinque numeros.*

tum

tum emanare fecit: quod tam tempestiue veniens compleuit, vt Ecclesiasticæ virtutes quas Spiritus sanctus incendit firmis radicibus in hominibus confortarentur, & vt virginitas quam in seipso attulit, in dignissima germina florum pullularet & dilataretur.

22 Sed insanus homicida, filius scilicet perditionis, in breuissimo tempore veniet, velut cum iam dies abscedit sole in occasum latēte videlicet cum nouissimum tempus iam cadit & mūdus tenorem suum deserit: hoc autē testimonium ô fideles mei audite, & illud deuote ad cautelam vestram intelligite, ne vobis nescientibus terror illius perditoris repente veniens, in ruinam infidelitatis & perditionis vos præcipitet. Vnde vos armate, & ad validissimam pugnam hoc modo fidelissimis munitionibus prænoniti, vos præparate. Cum enim tempus illud aduenerit quo nequissimus ille deceptor horribiliter apparebit, mater illa quę illum fallacem in mundum parturiet à pueritia sua in puellari ætate diabolicis artibus plena vitiis, in deserto abiectionis inter nefandissimos homines enutrita est, ibi parentibus eius eam nescientibus, nec illis cum quibus moratur eam scientibus, quoniam diabolus eam illuc ire persuadet, & ibi eam secundum voluntatem suam decipiendo componit, quasi Angelus sanctus sit. Et ideo illa ab hominibus se separat, vt tanto facilius celari possit: vnde etiam aliquibus sed tamen paucis viris nequissimo latrocinio fornicationis occulte commiscetur, & in tanto studio turpitudinis cum illis se polluit, velut Angelus sanctus feruorem prauitatis illius eam perficere iubeat. Et sic in feruentissimo ardore fornicationis illius filium perditionis concipit, nescies de quo semine virorum illorum eum conceperit. Sed Lucifer serpens scilicet antiquus turpitudine ista delectatus, coagulationem hanc iusto meo iudicio artibus suis afflat, & eam omnibus viribus suis totam in ventre matris illius possidet, sic illo perditore de ventre matris suæ pleno diabolico spiritu egrediente. Deinde illam consuetuam fornicationem deuitat, & aperte stulto & insipienti populo dicit, quia virum non habeat, nec patrem infantis sui sciat: fornicationem autem quam perpetrauit, sanctam dicit. Vnde & populus illam sanctam putat, & nominat. Sic filius perditionis diabolicis artibus vsque ad fortiorem ætatem enutritur, semper noto populo sibi se subtrahens. Sed mater eius eum cum quibusdam magicis artibus interdum tam populo Deum colenti, quam non colenti ostendit, sic eum ab eis faciens videri & amari. Qui cum ad plenam ætatem peruenerit, manifeste contrariam doctrinam docebit, ita mihi & electis meis repugnans, tantamq; fortitudinem acquirens vt in magna potestate sua, se supra nubes eleuare conetur. Nam ego iusto iudicio meo permitto eum in diuersis creaturis voluntatem suam exercere, quoniam vt diabolus in initio dixit similis ero altissimo & cecidit, ita etiam permitto vt idem diabolus in tempore nouissimo cadat cum ipse in hoc filio suo dicit, Saluator mundi ego sum. Et vt omne sæculum fidelium cognouit quod Lucifer mendax fuit, cum se in initio dierum similem Deo esse voluit, sic etiam omnis fidelis homo videbit quod filius iniquitatis mendax est, cum se ante nouissimum diem filio Dei similem facit. Ipse enim est pessima bestia, homines qui ipsum negant interficiens, & regibus, ducibus, principibus, diuitibusque se adiungens, humilitatemq; deprimens, ac superbiam erigens, orbemq; terrarum diabolica arte sibi subiiciens. Potestas namque eius vsque labrum venti procedit, ita quod aërem videtur commouere, ignemq; de cœlo educere, & fulgura, tonitrua ac grandines producere, montes etiam euertere, aquas exsiccare, siluis viriditatem suam auferre, eisq; iterum succum viroris sui reddere. Tales enim illusiones in diuersis creaturis ostendit, videlicet in humore, in viriditate, & in siccitate earum. Sed & in hominibus deceptiones suas facere non desinit. Quomodo? Videbitur enim sanis immittere ægritudinem, & infirmis sanitatem, dæmones eiicere, ac interdum mortuos suscitare. Quomodo? Cum enim aliquando quispiam vita euanuerit, cuius anima in potestate ipsius diaboli est, circa cadauer illius qui vita discesserit, interdum permissione mea illusiones suas ostendet, cadauer illius quasi viuat moueri faciens, quod tamen per breuissimā horam & non per lōgius spatium facere interdum permittetur, ne hac præsumptione gloria Dei derideatur atque nihilipendatur. Quod quidam videntes in eum confident, quidam autem & priorem fidem suam retinere volentes, eum tamen sibi propitium semper optabunt. Quos tamen durius lædere nolens, quasdam infirmitates ipsis immittit. Qui dum medicinam & auxilium medicorum quærent nec curari poterunt, ad ipsum recurrent tentantes, si eos curare valeat: quos dum ad se venientes viderit, debilitatem quam eis intulit ipsis aufert. Vnde valde eum amantes in ipsum credent. Et sic multi decipientur, cum ipsi oculos interioris hominis obnubilant, per quos in me respicere debuerant, volentes in probatione animi sui velut in quadam nouitate illa scire quæ exterioribus oculis vident, & quæ manibus palpant, contemnentes illa inuisibilia quæ in me manent, & quæ vera fide comprehendenda sunt, quia mortales oculi me videre non possunt: sed miracula mea in obumbratione illis ostendo quibus voluero, meipsum autem nullus videbit, dum in mortali corpore manet, nisi in vmbratione mysteriorum meorum, vt seruo meo Mosi locutus sum, quemadmodum scriptum est: *Non enim videbit me homo & viuere poterit.* Hoc tale est. Obtutum mortalitatis suæ non ponet in claritatem diuinitatis meę, ille qui mortalis est: ita quod in corruptibili cinere mortalem vitam possit habere, dum in transeuntis temporis mutatione est, scilicet quod vitam vnam deserit & ad aliam transit: quoniam omnia viuentia per me solidata sunt, & quia ego viuo nec vlla mutatio in me est. Nam vt culex viuere non potest si se in flammam ignis immittit, ita etiam mortalis homo non posset subsistere, si coruscationem diuinitatis meæ videret: sed ego mortalibus hominibus quamdiu grauamine mortalitatis suæ grauati sunt, me ita in obumbra-

Qt lieb ma te o

bratione ostendo, velut pictor ea quæ inuisibilia sunt, per imagines picturæ suæ hominibus declarat. Quod si ô homo me dilexeris, te amplectar, & calore sancti Spiritus te calefaciam. Cum enim bona intentione tua me inspexeris, meque in tua fide cognoueris, tunc & ego tecum ero. Sed qui me contemnunt, ad diabolum se conuertunt, quoniam me scire nolunt. Vnde & ego ipsos abijcio. Eosdem autem diabolus illudit & decipit quomodocunque sibi placuerit, ita quod ipsi putant quod verum sit, quicquid eis ostenderit. Et hanc ipsam artem deceptionis suæ diabolus illis infundit, qui in ipsum confidunt, ita quod ipsi in hac arte diuersa portenta in creaturis secundum voluntatem suam hominibus fallaciter ostendunt. Sed tamen nec elementa, nec alias creaturas quæ à Deo creatæ sunt, in alium modum transmutare possunt, nisi quod solum per deceptiones suas, quædam monstra velut quasdam nebulas in eis sibi credentibus fingunt. Nam & Adam cum plus quæreret quam habere deberet, gloriam paradisi perdidit, sic & isti visum & auditum interioris hominis amittunt, quoniam Deum deserunt & diabolum colunt. Secundum hunc modum filius perditionis, deceptiones artium suarum in elementis operatur, ostendens in eis pulchritudinem, dulcedinem & suauitatem secundum voluntatem hominum quos decipit. Sed hæc potestas ei ob hoc permissa est, vt fideles in recta fide cernant, quod diabolus nullam potestatem in bonis habet, sed solum in malis æternæ mortis. Quicquid enim ille filius iniquitatis operatur, id in potestate, superbia & crudelitate facit, misericordiam, humilitatem & discretionem non habens: sed cum imperio & magno stupore homines ad hoc præcipitat, vt ipsum sequantur: plurimos enim populos sibi acquirit, dicens eis vt voluntates suas libere peragant, ne se multum in vigiliis aut in ieiuniis constringant: proponens eis vt tantum Deum suum diligant, quem se esse simulat, quatenus sic ab inferno liberati ad vitam perueniant. Vnde illi hoc modo decepti dicunt: O væ miseris illis qui ante tempora ista fuerunt, quia diris cruciatibus vitam suam afflixerunt, pietatem Dei nostri heu ignorantes. Ille enim thesauros & diuitias eis ostendit, ac eos secundum voluntates ipsorum epulari permittit, fallacibus signis doctrinam suam confirmans, ita quod ipsi putant quod non oporteat eos vllo modo corpora sua constringere & castigare. Sed & circumcisionem & Iudaïsmum secundum mores Iudæorum illis obseruare iubet, fortiora præcepta legis, quæ Euangelium cum digna pœnitentia in gratiam conuertit, ipsis iuxta voluntatem eorum leuiora faciens. Et dicit qui ad me conuertitur, peccata illius delebuntur, viuetq; mecum in æternum. Baptismum etiam & Euangelium filij mei abiicit. Et omnia præcepta illa quæ Ecclesiæ tradita sunt, deridet. Et iterum sibi famulantibus diabolica irrisione dicit: Videte quis & qualis ille insanus fuerit, qui hæc obseruare per mendacia sua simplici populo instituit. Ego autem pro vobis & ad gloriam vestram mori, & à morte resurgere volo. Et sic populum meum ab inferno liberabo, vt deinceps mecum in regno meo glorioso viuatis, quod ille fallax prius se fecisse simulauit. Et deinde dilectis suis dicit, vt eum gladio percutiant, atque in mundum sindonem vsque ad diem resurrectionis suæ inuoluant, illis ita deceptis quod putant se illum occidere, & præcepta eius hoc modo perficere: postea se resurgere simulans diræ maledictionis scripturam velut saluationem animarum profert, quam pro signo hominibus tradens, iubet vt ipsum adorent. Quod si quis fidelis propter amorem nominis mei recusauerit, diro cruciatu tormentorum ab illo consumetur: vnde omnes qui hæc viderint vel audierint maximo admirationis & dubietatis stupore concutientur: quemadmodum etiam Ioannes dilectus meus ostendit, dicens: *Et vidi vnum de capitibus eius tanquam occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post bestiam.*

23 Hoc tale est. Ego amator mysteriorum Dei vidi fallacem & maledictum in maximis & innumerabilibus iniquitatibus omnem sanctimoniam sanctorum circumeuntem, & multiplicibus vitiis eam fatigantem, qui artibus mendaciorum suorum sanguinem suum in occisione se effundere, & ita mori assimilabit, non in corpore suo cadens sed in fallaci vmbra, velut percussus & moriens æstimatus. Vnde etiam in errore fallacium vulnerum suorum quasi mortuus fuerit simulat se quasi à sopore mortis reuixisse, & ita admirabilem & terribilem stuporem omnes homines qui in tota terra sunt, in horrore huius maledicti capient: sicut etiam populus in magnitudine & fortitudine Goliath obstupuit, cum eum armatum in bello aduersum se stare videret. Et ita vt vides columnæ electorum meorum, tam de cruciatibus istis quam de contrariis & immanibus ac horribilibus signis, quæ filius perditionis emittet magno stupore pauoris commoueri videbuntur, gemitum lamentabilis angustiæ emittentes. Sed duos testes meos quos ad id tempus in secreto voluntatis meæ reseruaui scilicet Enoch & Heliam, vt ipsi repugnent & vt errantes ad viam veritatis reducant emittam. Qui fortissimas & robustissimas virtutes fidelibus ostendent, quia cum verba testimonij eorum in ore vtriusque sibi æqualiter consentient, fidem audientes adhibebunt. Nam idcirco hi duo testes veritatis tamdiu per me reseruati sunt, vt tunc ipsis procedentibus, sermo eorum in cordibus electorum meorum teneatur & solidetur, quatenus inde germen Ecclesiæ meæ in magna humilitate subsistat. Et ipsi ad filios Dei quorum nomina in libro vitæ sunt dicent: O vos recti corde & electi in gloriosa laude beatarum gratiarum vitæ, audite & intelligite quæ vobis fiducialiter differimus. Hic maledictus à diabolo missus est, vt animas quæ se præceptis illius subiiciunt in errorem mittat. Nos enim de hoc mundo recluſi eramus, reseruati in secretis Dei quæ hominibus abscondita sunt, ita quod in solicitudine & angustia hominum non fuimus. Nam ad hoc reseruati sumus, & ad vos missi, vt

Quid est putiunum occisum & à plaga curatum.

vt erroribus istius perditoris contradicamus. Videte ergo, si vobis aut in corporali statura aut in ætate similes simus. Et omnes qui cognoscere & confiteri verum Deum volent, hos duos senes & veraces testes, vexillum iustitiæ Dei portantes subsequentur, iniquum errorem deserentes: quoniam ipsi in magnis præconiis & coram Deo & coram populo fulgebunt, vicos & plateas & ciuitates, atque alia loca vbicunque filius perditionis contrariam doctrinam efflauerit percurrentes, ac in eis multa signa in Spiritu sancto facientes, ita vt omnis populus, qui eos viderit, in maximam admirationem ducatur. Idcirco autem hæc magna signa, supra firmam petram solidata, illis dabuntur, quatenus illa contraria & falsa signa abiiciantur. Nam, vt fulgur incendit & comburit, sic & filius perditionis peruersa iniquitate & nequitia sua faciet, populos magicis artibus velut igne fulguris comburens. Sed Enoch & Helias, cum recta doctrina quasi cum ictu tonitrui, omnem cohortem illius exterrentes deiicient, fideles hoc modo stabilientes. At tamen in permissione voluntatis meæ, ab illo tandem consumati, mercedem laborum suorum in cœlestibus consequantur. Tunc flores doctrinæ eorum cadentes, quia voces ipsorum iam in mundo non audientur, bonum fructum in electis ostendent, verba & rabiem diabolicæ artis contemnentibus, & in spe supernæ hæreditatis bene firmatis: quemadmodum & Salomon de bono & recto homine ostendit, dicens: *Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio.* Hoc tale est. Acutum habitaculum vbi contritio & infœlicitas non est, speciale speculum oculi Dei in recto homine est, in quo idem oculus fortitudinem miraculorum suorum quasi in appetitu percutientis gladij videt. Sed in procedentibus factis velut in crescentibus fructibus superbi cordis, quod in propriis voluptatibus suis ruinas ædificat, tristitia illa erit, quia superbum cor in eam spem non confidit, quæ in superna saturitate floret.

Quid monstruosum caput se à loco dimouens.

24 Sed vt vides quod ipsum monstruosum caput se tanto fragore à loco suo emouit, quod omnis prædicta muliebris imago in omnibus membris suis inde concutitur, hoc est cum se filius perditionis caput iniquitatis existens, multa arrogantia superbiæ velut à paruo errore infixæ sibi nequitiæ tollit, maiorem errorem arripiens, scilicet supra omnes exaltari volens, id est, cum deceptiones suæ finem acceptura sunt, omnis Ecclesia in omnibus filiis suis tam maioribus quam minoribus in maximum timorem mittitur, expectans insaniam præsumptionis illius. Et velut magna massa multæ fæcis ipsi capiti coniungitur, vnde illud super quendam montem se eleuans, altitudinem cœlorum ascendere tentat, quia maximæ artes diabolicarum insidiarum, multam immunditiam afferentium eidem filio iniquitatis assistentes, ipsi alas superbiæ subministrant, ac eum in tantam præsumptionem erigunt, quod ipse etiam secreta cœlestia se putat posse penetrare. Quomodo? Nam cum omnem voluntatem seductoris diaboli compleuerit, ita quod iusto iudicio Dei amplius tantam potestatem iniquitatis & crudelitatis suæ habere omnino non permittetur, omnem cohortem suam congregabit, & sibi credentibus dicet quia ad cœlos ire velit. Sed sicut diabolus nesciuit filium Dei ad redemptionem & salutem animarum nasci, ita & iste pessimus cum se in mortiferum malum omnium malorum inuoluet fortissimum ictum manus Dei super se venire ignorabit.

Quid ictus tonitrui.

25 Et ecce velut ictus tonitrui repente veniens caput ipsum tanta fortitudine percutit quod & de monte illo deiicit & quod spiritum suum in mortem emittit, quoniam potestas Dei se manifestans, eundem perditionis filium tanta virtute zeli sui prosternit, quod & de superbia illa qua se contra Deum erexerat, magno præcipitio præsumptionis suæ ruit, & quod vitalem flatum suum in mortem æternę damnationis ita consumatus euomit: quia sicut tentationes filij mei finitæ sunt, cum ipse tentatus diabolo dixit: *Vade turpissime sathana:* & ille exterritus fugit, sic etiam & tentationes istæ quas filius iniquitatis Ecclesiæ infert, in hoc zelo meo consumationem accipient.

Cur nebula fœtens.

26 Inde subito fœtens nebula montem ipsum totum comprehendit, in qua caput ipsum tanta sorde inuoluitur, vt astantes populi in maximum terrorem mittantur, quia immundissimus intolerabilisque & infernalis fœtor locum elationis illius totum replebit, in quo ille pessimus criminator tanta immunditia & fœtore efferuebat, vt iusto Dei iudicio nec initium nec finis eius amodo in memoria habeatur: quoniam populi illi cadauer ipsius sine voce in terra prostratum & multa tabe perfusum videntes, se deceptos esse cognoscent: ipsa nebula circa montem illum aliquantulum diutius immorante, quoniam fœtor ille diabolicam elationem circumamplectens, immundam ostendit, vt homines ab illo seducti fœtorem & immunditiam illam videntes, errorem suum declinent, & ad veritatem redeant. Nam astans populus hæc cernens, multo timore concutitur, quia hæc videntes maximus horror incutit, ita vt lugubres voces & flebiles querelas proferant, & se grauiter errasse dicant.

Quid candidi pedes.

27 Et ecce pedes præfatæ muliebris imaginis candidi apparent, splendorem super splendorem solis reddentes, hoc est quod fortitudo fundamenti & sustentatio sponsæ filij mei multum candorem fidei ostendet, & pulchritudinem illam quæ omnem pulchritudinem terrenæ claritatis superat demonstrabit, cum filio perditionis (vt dictum est) prostrato, multi ex ijs qui errauerant ad veritatem reuertentur. Sed post casum illius impij, quando nouissimus dies in solutione mundi occurrat, mortalis homo non quærat: quia eum scire non poterit:

quo-

quoniam eum Pater in abscondito secreti sui seruauit. Ad iudicium ergo ô homines vos præparate. Vt autem prædictum est filius perditionis cum patre suo diabolo & cum omnibus artibus illius in nouissimo tempore per filium meum fortissimum præliatorem cum magna confusione superabitur, sicut & inimici fortissimi Sampsonis in præfiguratione ipsius deiecti sunt: velut in sacra historia scriptum est: *Concussisq; fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cateram multitudinem quæ ibi erat, multoq; plures interfecit moriens quam ante viuus occideret.*

28 Hoc tale est. Filio Dei, scilicet fortissimo Sampsoni primum synagoga coniuncta est, cui ipse occulta illa quæ in veteri testamento abscondita erant, in mirabili doctrina sua distribuit, interiorem dulcedinem legis quæ fortior leone erat, ipsi benigne aperiens. Sed ipsa decepit eum, faciens vt secreta eius illuderentur, in doctrinam illius respicere nolens, sed eam magno fastu superbiæ despiciens. Quapropter ipse commotus regnum Dei ab ea auferri & alij genti dari prædixit, ita in multis prodigiis cum plurima turba ciuitatem Hierosolymam ascendens, infidelitate illorum qui vestimenta sua in via strauerunt occisa: vbi quod promiserat illis per miracula reddidit, quibus per sponsam suam proditus fuerat. Et in illo feruore sponsam suam deseruit, cum domum eius desertam derelinqui prænunciauit. Sed pater sponsæ illius, videlicet diabolica seductio, alij viro, id est infidelitati eam coniunxit. Tunc filius Dei astutas vulpes, scilicet Apostolos emisit, qui igne sancti Spiritus segetes inimicorum suorum combusserunt, id est qui legalia præcepta ad spiritualem intellectum verterunt, ita synagoga cum patre suo conbusta, scilicet peruersa infidelitate synagogæ euersa. Deinde magnis signis & stupendis miraculis incredulos occidit, ita quod omnes multo stupore contremuerunt, cum dicerent se timere Romanos venire, & locum & gentem ipsorum tollere. Quapropter concilium suum congregauerunt vt illum perderent: sed ipse abscondit se in monte in oratione cum diceret, vt si fieri posset calix ille ab eo transiret. Sed Iudas Scariotis prodidit eum, tradens eum in manus sæuissimas inimicorum suorum. Et ipse vim fortitudinis suæ abscondit, quam in crine id est in patre suo habuit, quæ omni populo ignota est, nisi quantum in fide capitur, veluti & capilli in capite hominis videntur. Postea cum pati voluit vim fortitudinis suæ ostendit, videlicet mandibulam asini tollens cum filiabus Hierusalem diceret, ne super eum sed super seipsas flerent, ita illas occidens, scilicet terrorem futurorum malorum eis verissime prædicens. Et sic in cruce fatigato, cum sitiret fons veræ fidei de gentili populo emanauit, de quo ipse bibens non erubuit, dicens etiam quod sic consumatum esset. Vnde cum spiritum emisit, in gehennam, videlicet ad mulierem meretricem postea descendit: inimicis suis eum obsidentibus, cum custodes ad sepulchrum ipsius ponerent: sed ipse à morte resurgens, cum duabus portis, id est cum specialibus electis suis, & cum communi populo quos ex inferno liberauit, cœleste regnum petiuit. Sed sic pulcherrima sponsa scilicet Ecclesia ipsi coniuncta, diligentissime ab eo quæsiuit quomodo fortitudinem ipsius cognoscere posset. Ipse autem vires suas ei non repente, sed paulatim & cum discretione aperuit. Quomodo? Cum primum Catholicam fidem percepissent in veteri lege & in noua, vsque ad perfectam correctionem putabant se quidam illorum debere ambulare, quæ ligatura humentium neruorum sed nondum perfectam siccitatem habentium erat. Vnde Ecclesia rudis adhuc, multis turbis dicebat: Hæc est fortitudo sponsi mei. Et populus hæc audiens, volebat repentino motu Deum in auditu verborum tantum colere, & non in significatione Spiritus sancti conuersari. Sed ita fortitudo eius cognita non est. Deinde virginitas velut noui funes qui nunquam in opere fuerunt, sicut & virginitas ante non est glorioſe habita, nobiliter erecta est: quæ ligatura filium Dei fortiter quidem tetigit, sed tamen eum plene non ostendit. Sed Ecclesia se sursum erigens dicebat: O vos amici mei, hæ maximæ virtutes sponsi mei sunt. Et subito in magno strepitu multus populus super eum ruit, dicens: Nos in maximis viribus eius, ipsum cœpimus. Sed nec sic vires eius manifestatæ sunt. Postea in septem donis Spiritus sancti velut in septem crinibus illius Ecclesia solidata est, ipsis forti clauo in firmamento apostolicorum prædicatorum infixis. Vnde rete fidei hoc modo contexto, Ecclesia clamabat: O quam fortis sponsus meus in septem crinibus suis est. Et omnes populi illam audientes, in eum irruerunt, putantes ipsum maiores vires non habere. Sed & hoc modo non est agnita fortitudo ipsius. Dehinc multas lachrymas Ecclesia fudit, quia fortitudinem sanctæ Trinitatis ignorauit, dicens humanitatem filij Dei se quidem vidisse, sed diuinitatem ipsius nondum perfecte intellexisse. Vnde ipse commotus in dilecto suo Ioanne secreta sanctæ Trinitatis, quantum homini licitum erat scire, in honore Patris & in ardore Spiritus sancti manifestauit. Et ita in gremium sponsæ suæ caput suum reclinans, ibi vsque ad maxima schismata quæ in filio perditionis futura sunt, requiescet: ibi fortitudo eius abrasis crinibus ipsius abscindetur, cum homines in tempore illo magis filium perditionis, quam ipsum sequi studebunt dicentes: Quid est ô Deus quod talia & tanta miracula videmus? Et ita fortitudo ipsius delinitur, cum iam vera fides in cæcitate infidelitatis obnubilari videtur. Sed vires eius resurgent, cum Enoch & Helias apparuerint. Quapropter superbiam & præsumptionem fortiter concutiens, filium perditionis cum omnibus diabolicis artibus & cæteris vitiis eius deiiciet: multoque durius dia-

bolica vitia conteret, cum iam Ecclesia cum Christiano nomine de præsenti & temporali sæculo ad æterna transibit, quam antea fecerit cum adhuc diuinus cultus in mundo temporaliter vigeret. Quid hoc? Quia cum iam sæculum finem accipiet, tunc & diabolicæ persecutiones & virtutum fortissimæ operationes, in hominibus etiam temporaliter cessabunt. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

VISIO DVODECIMA.

POST hæc vidi & ecce omnia elementa & omnes creaturæ diro motu concussa sunt: ignis, aër, & aqua eruperunt, & terram moueri fecerunt: fulgura & tonitrua concrepuerunt, montes & syluæ ceciderunt, ita vt omne quod mortale erat vitam exhalaret. Et omnia elementa purgata sunt, ita vt quicquid in eis sordidum fuerat, tali modo euanesceret, vt amplius non appareret. Et audiui vocem maximo clamore per totum orbem terrarum vociferantem & dicentem: O vos filij hominum qui in terra iacetis, surgite omnes. Et ecce omnia ossa hominum in quocunque loco terrarum erant, velut in vno momento congregata, & sua carne obtecta sunt: & omnes homines integris membris & corporibus suis in sexu suo surrexerunt, boni in claritate fulgentes, & mali in nigredine apparentes, ita vt & opus cuiusque in ipso aperte videretur. Et quidam ex eis in fide signati erant, quidam autem non: ita vt signatorum illorum alij ante faciem suam velut aureum fulgorem, alij velut vmbram haberent quod ipsorum signum erat. Sed subito ab oriente maxima coruscatio effulsit, & ibi in nube filium hominis eo vultu quo in mundo fuerat, nudatis & apertis vulneribus cum angelicis choris aduenientem vidi, & supra sedem flammantis sed non ardentis throni sedentem, & sub se hanc maximam tempestatem purgationis mundi habentem. Et qui signati erant, obuiam ei in aëre quasi in turbine rapti sunt: vbi & prius splendorem illum qui secretum superni creatoris designat videram, bonis scilicet à malis ibi separatis. Sed ipse blanda voce quemadmodum Euangelium manifestat, iustos cœlesti regno beatificauit, ac terribili voce iniustos infernalibus pœnis vt etiam scriptum est, deputauit: nulla tamen alia inquisitione vel responsione de operibus eorum, nisi quemadmodum Euangelica vox ostendit, ibi facta: quoniam opus cuiusque siue bonum siue malum esset, in ipso manifeste apparuit. Qui autem signati non erant à longe in parte Aquilonis cum diabolica turba stabant, nec ad iudicium hoc peruenerunt: sed tamen hæc omnia velut in turbine videntes, finem iudicij expectabant, & intra se amaros gemitus edebant. Et sic iudicio peracto, fulgura, & tonitrua, & venti ac tempestates cessabant: & quicquid in elementis transitorium erat, subito euanuit & maxima tranquillitas facta est. Tunc electi super splendorem solis repente splendidi effecti, cum filio Dei, & cum beatis agminibus Angelorum in gaudio magno cœlestia petebant, reprobis cum diabolo & angelis eius ad loca infernalia cum magno vlulatu tendentibus. Et sic cœlum electos recepit, & infernus reprobos absorbuit. Sed subito tanta gaudia & tantæ laudes in cœlestibus, & tanta tristitia ac tanti vlulatus in abysli lacu exorti sunt, vltra etiam quam humanus sensus effari possit. Et mox omnia elementa in maxima serenitate resplenduerunt, veluti eis nigerrima cutis abstracta fuisset: ita quod nec ignis feruorem, nec aër spissitudinem, nec aqua æstum, nec terra fragilitatem amplius vllam haberent. Sol quoque luna, & stellæ, velut plurimus ornatus in firmamento, multo splendore & decore rutilabant, & sine motu circuitionis fixa manebant, ita quod vltra diem & noctem non discernebant. Et ita nox non erat, sed dies. Et finitum est. Iterumque audiui vocem de cœlo mihi dicentem: Hæc mysteria nouissima tempora ostendunt, in quibus temporalia tempora, in æternitatem corruscationis illius quæ sine fine est transmutabuntur. Nouissima enim tempora multis periculis fatigabuntur, & occasus mundi variis signis demonstrabitur. Nam vt vides, in ipso nouissimo die, totus orbis terrarum terroribus concutietur, & tempestatibus quassabitur, ita vt quicquid in eo caducum & mortale est, his calamitatibus finiatur: quia tunc cursu mundi completo, ipse amplius durare non poterit, sed secundum diuinam dispositionem consumabitur. Sicut enim homo cum finiendus est, multis infirmitatibus præuentus deiicitur, ita quod etiam in ipsa hora mortis suæ multo dolore dissoluitur, sic etiam finem mundi maximæ aduersitates præcurrent, & ipsum in fine suo diuersis terroribus dissoluent: quoniam elementa terrores suos tunc ostendent, quia eos amplius exercere non poterunt.

De nouissimis temporibus.

2 Repentino & inopinato motu in hoc fine elementa relaxantur: omnes creaturæ commouentur: ignis erumpit: aër soluitur: aqua effluit: terra concutitur: fulgura feruent: tonitrua concrepant: montes scinduntur: siluæ ruunt: & quicquid in aere, vel in aqua, vel in terra mortale est vitam reddit. Ignis enim totum aërem mouet: & aqua totam terram replet, & hoc modo omnia purgantur: vt quicquid in mundo fœditatis est, ita euanescat, quasi non fuerit, velut sal diffluit cum in aquam immittitur.

Elementorum cõmotio.

3 Sed diuino præcepto (vt tibi monstratum est) ad resurgendum accepto, mortuorum ossa vbicunque fuerint suo loco velut in ictu oculi coniunguntur, & sua carne teguntur, nec vllo modo retardantur, sed siue ab igne, siue ab aqua, siue ab aue, siue à bestia, consumpta fuerint, citissime restituuntur: ita quod ea hoc modo terra reddit, velut sal ex aqua sudat: quia oculus meus omnia nouit, nec quicquam me latere poterit. Ita omnes homines in anima & corpore, fine

Ossium & carnis consũctio.

sine vlla contractione & abscisione membrorum suorum, sed in integritate & corporis & sexus sui, velut in ictu oculi resurgunt, electi fulgorem bonorum operum suorum habentes, & reprobi nigredinem infœlicium actuum suorum portantes: ita quod ipsorum ibi opera non absconduntur, sed palam in ipsis apparebunt.

Fidei signum.

4 Et quidam ex eis in fide signati sunt, quidam autem non, ita vt fidem habentium, conscientiæ per opera fidei in fulgore sapientiæ fulgeant, aliorum vero in tenebrositate neglectus sui appareant: per quæ aperte discernuntur, quoniam illi fidem in operibus impleuerunt, isti autem eam in seipsis extinxerunt. Quidam autem signum fidei non habent, quia illi nec in veteri lege, nec in noua gratia cognitionem viui & veri Dei habere voluerunt.

Aduẽtus filij Dei.

5 Et tunc in claritate lucis æternæ, sed tamen in nube qua reprobis cœlestis gloria abscondita est filius Dei in forma humanitatis & passionis suæ quam in voluntate Patris pro salute humani generis passus est, ad iudicandum ipsum humanum genus cœlesti exercitu circumdatus aduenier, quoniam Pater ei hoc dedit, vt quia ipse in mundo visibiliter conuersatus fuerat, quæ visibilia mundi sunt diiudicet: vt etiam ipse in Euangelio ostendit dicens: *Et potestatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis est.*

6 Hoc tale est. Pater testificat de filio suo. Quid hoc? Pater potestatem dedit filio, quoniam ipse semper cum Patre in diuinitate manens, sed humanitatem de matre accipiens secundum quod homo est accepit etiam à Patre, quod omnis creatura ipsum Dei filium sentit: sicut & omnis creatura in creatione formæ suæ à Deo creata subsistit. Et ideo cuncta opera discernuntur à filio in quacunque dignitate vel incuruatione sint, & secundum hoc quod collocanda sunt ea collocat vt quia ipse homo palpabilis & visibilis in mundo fuit, etiam illa quæ in mundo visibilia fuerunt secundum quod iustum est discernat, videlicet in potestate iudiciali terribilis iniustis, sed blandus iustis apparens: ipsos ita diiudicans, quod etiam purgationem suam elementa sentiant.

Quomodo fidei opera appareant

7 Tunc & qui signati sunt, obuiam iusto iudici, non in difficultate sed in multa celeritate rapiuntur: vt quoniam ipsi fidem in Deum credentes habuerunt, etiam opera fidei in eis manifeste appareant: vbi & scientia Dei actus eorum & in bonis & in malis non ignorat, vt tibi monstratum est: ibi enim boni & mali separabuntur, quia & opera eorum dissimilia sunt. Nam ibi tam in malis quam in bonis certissime apparet, quomodo vel in infantia, vel in pueritia, vel in iuuentute, vel in senectute, vel in decrepita ætate Deum quæsierint.

Qui flores filij Dei.

8 Ibi etiam fulgent omnes flores filii mei, videlicet Patriarchæ & Prophetæ qui ante incarnationem ipsius fuerunt, & Apostoli qui cum eo in sæculo conuersati sunt, ac Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, qui omnes fideliter illum imitati sunt: & illi qui Ecclesiæ meæ tam in sæcularibus quam in spiritualibus præpositi fuerunt, nec non Anachoretæ & monachi, qui in castigatione & mortificatione carnis suæ propter nomen filij mei se viles fecerunt: quod & in vestitu suo, cum magna humilitate & charitate angelicum ordinem imitantes, ostenderunt. Sed qui me ideo in contemplatiua vita quærunt, quia dicunt hæc vita gloriosior est quam illa, hoc ante me quasi nihilum est: sed qui me quærit in humilitate in ea conuersatione quæ inspiratione Spiritus sancti data est, hunc in cœlesti Patria in prioribus locis exaltabo.

Quæratione contemplatiua vita quarenda

9 Deinde cœli laudes suas iterum in silentio continent, cum filius Dei iudicialem sententiam & ad iustos & ad iniustos profert, auscultantes cum reuerentia honoris, quomodo illos dijudicet cum blande iustis superna gaudia tribuit, & cum terribiliter iniustos ad infernales pœnas mittit. Sed ibi nec excusationes nec interrogatio operationum suarum maior erit, quam quod ibi conscientiæ hominum & bonorum & malorum nudæ & apertæ sunt.

Quam acquum sit futurum in omnes iudicium

10 Iusti autem qui ibi verba æquissimi iudicis percipiunt, plurima quidem opera iustitiæ fecerunt, sed tamen ea in plenitudine perfectionis dum in sæculo viuerent non habuerunt, vnde & nunc in eis dijudicandi sunt. Iniusti vero qui iudicialem seueritatem ibi in se sentiunt, mala quidem facta perpetrauerunt, sed tamen ea non in ignorantia diuinæ maiestatis quod est in iniquitate præiudicatæ damnationis infidelitatis egerunt, & ideo sententiam ipsius iudicis ibi non effugient, quoniam omnia æquo pondere ponderanda sunt.

11 Illi autem qui in fide signati non sunt, quoniam ipsi in Deum non crediderunt, in parte Aquilonis, id est perditionis cum diabolica turba interim tardant, nec ad hoc iudicium perueniunt: sed tamen illud in obumbratione videntes, finemque eius præstolantes intra se multum gemunt, quoniam ipsi in infidelitate perdurantes, verum Deum non cognouerunt: quia ipsi nec ante baptismum viuum Deum in veteri testamento coluerunt, nec sub Euangelio remedium baptismatis susceperunt: sed in maledictione casus Adæ perseuerauerunt, damnationis pœnas habentes. Vnde & in infidelitate scelerum suorum iam iudicati inueniuntur.

12 Sicque iudicio finito, terrores elementorum, & fulgura, tonitrua, & venti in tempestatibus cessant, & omne quod caducum & transitorium est dilabitur, nec amplius apparebit: velut nix esse desinit quæ à calore solis liquescit maxima quiete tranquillitatis diuina dispensatione ita exorta.

13 Et sic electi splendorem æternitatis habentes, vna cum capite suo scilicet filio meo, & cum glorioso cœlesti exercitu in magna gloria cœlestia gaudia petunt, & reprobi vna cum diabolo & cum angelis eius ad æterna supplicia in multa contritione tendunt vbi æternam mortem sibi præparatam æternaliter vident, quia magis concupiscentias suas quam præcepta mea secuti sunt. Et sic cœlum electos in gloriam æternitatis rece-

recepit, quoniam ipsi dominatorem cœlorum dilexerunt, & infernus reprobos absorbet, quia diabolum non abiecerunt: ita omnium gaudiorum tantis laudibus in cœlesti gloria resonantibus, & omnium gemitum tantis vlulatibus in inferno exortis, vltra quam humanus intellectus capere valeat, quoniam illi vitam æternam possident, & isti mortem æternam habent: quemadmodum in Euangelio filius meus loquitur dicens: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

14 Hoc tale est. Qui in lenocinio omnium malorum fœtent, nec sitiunt quod iustum est haurire in summa bonitate, per iter infidelitatis & nequitiæ suæ in pœnas æternæ perditionis dimerguntur, secundum opera sua infernalia tormenta recipientes. Aedificatores vero coruscationis cœlestis Hierusalem qui portis filiæ Sion fideliter instant, fulgebunt in luce vitæ æternæ, quam castissima virgo in fœcunditate virginitatis suæ credentibus mirabiliter attulit.

Qua glorificatio rerum.

15 Et vt vides elementa in maxima claritate, & pulchritudine his omnibus peractis fulgebunt, omni videlicet impedimento nigredinis & sordis ablato. Nam ignis sine feruore tunc vt aurora rutilabit: & aër absque spissitudine, purissimus fulgebit: & aqua sine impetu effusionis & submersionis perspicua & lenis stabit: & terra absque omni fragilitate & inæqualitate fortissima & planissima apparebit, his omnibus in magnam tranquillitatem ac pulchritudinem translatis. Sed & sol & luna ac stellæ velut pretiosissimi lapides in auro, ita etiam in firmamento multa claritate & maximo fulgore rutilabunt: nec vltra inquietudinem circumuolutionis suæ ad diem discernendum à nocte habebunt, quia finito mundo iam in inmutabilitate sunt: ita quod & nullæ tenebræ noctis amodo apparebunt, quoniam tunc dies indeficiens est: vt etiam Ioannes dilectus meus testatur dicens: *Et nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucerna, neque solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.*

16 Hoc tale est. Qui thesaurum habet, eum interdum subtrahit interdum etiam emittit: sicut & nox lumen celat, & vt dies tenebras fugat, homini lumen afferens. Ita non erit in immutatione temporum: quia tunc noctis vmbra fugabitur, ita quod tenebræ noctis amodo non apparebunt: quia etiam & mutatio illa iam non egebit lumine illo, quod sibi homines incendunt vmbras tenebrarum expellentes: nec etiam mutabilitatem sol tunc amplectetur, qui modo continet tempora quæ in vmbra habentur, quoniam tunc dies sine vlla mutatione erit, quia tunc etiam dominator omnium claritate diuinitatis suæ quam nulla mutabilitas obfuscat, illuminat eos qui in sæculo tenebras sua gratia effugerunt. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore

speculi mei ad verba hæc anhelet,
& ea in conscientia animi
sui conscribat.

* *
*

VISIO DECIMATERTIA.

1 DEINDE vidi lucidissimum aërem, in quo audiui in omnibus prædictis significationibus mirabili modo diuersum genus musicorum in laudibus ciuium supernorum gaudiorum, in via veritatis fortiter perseuerantium, ac in querelis reuocatorum ad laudes eorundem, & in exhortatione virtutum se exhortantium ad salutem populorum, quibus diabolicæ insidiæ repugnant: sed ipsæ virtutes eas opprimunt, ita tamen quod sic fideles homines tandem à pectatis ad superna per pœnitentiam transeunt. Et sonus ille vt vox multitudinis in laudibus de supernis gradibus in harmonia symphonizans, sic dicebat: O splendidissima gemma, serenum decus solis tibi infusum est, fons saliens de corde patris, qui est vnicum verbum eius per quod creauit mundi primam materiam, quam Eua turbauit: hoc verbum fabricauit in te hominem, & es illa lucida gemma à qua ipsum verbum eduxit omnes virtutes, quemadmodum in prima materia omnes protulit creaturas. O tu suauissima virga frondens de stirpe Iesse, ô quam magna virtus est quod diuinitas in pulcherrimam filiam aspexit, sicut aquila in solem oculum suum figit, cum supernus Pater claritatem virginis attendit, quando verbum suum in ipsa incarnari voluit. Nam in mystico mysterio Dei illustrata mente virginis, mirabiliter clarus flos ex ipsa virgine prodiit. Et iterum dixit: O glorioſissima lux viuens, Angeli qui infra diuinitatem diuinos oculos cum mystica obscuritate omnis creaturæ aspicitis in ardentibus desideriis, vnde nunquam potestis satiari, ô quam glorioſa gaudia illa vestra habet forma, quæ in vobis est intacta ab omni prauo opere, quod primum ortum est in vestro socio perdito Angelo, qui volare voluit supra intrinsecus latens pinnaculum Dei. Vnde ipse tortuosus demersus est in ruinam, sed ipsius instrumenta casus suggestionis eius concilium facturæ digiti Dei instituit. Nam ô vos Angeli qui custoditis populos, quorum forma fulget in facie vestra, & ô vos Archangeli qui animas iustorum susci pitis, & vos Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, & Throni qui estis computati in quintum secretum numerum, & ô vos Cherubim & Seraphim sigillum secretorum Dei, sit laus vobis, qui loculum antiqui cordis in fonte aspicitis. Videtis enim interiorem vim patris, quæ de corde illius spirat quasi facies. Itemque dicebat: O spectabiles viri qui pertransistis occulta aspicientes per oculos spiritus, & annunciantes in lucida vmbra acutam & viuentem lucem in virga germinantem, quæ sola floruit de introitu radicantis luminis, vos antiqui sancti prædixistis saluationem exulum animarum quæ immersæ fuerant morti, qui circuistis vt rotæ mirabiliter loquentes mystica montis qui cœlum tangit pertransiens vngendo multas aquas, cum etiam inter vos surrexit lucida lucerna, quæ ipsum montem præcurrens illu-

Laus Mariæ.

Laus hierarchiarum cœlestium.

Laus Patriarcharum, Prophetarum, prasorum curſorum.

illuminat. O vos fœlices radices, cum quibus opus miraculorum & non opus criminum per torrens iter perspicuæ vmbræ plantatum est; & ô tu ruminans ignea vox præcurrens limantem lapidem subuertentem abyssum; gaudete in capite vestro. Gaudete in illo, quem non viderunt in terris multi, qui ipsum ardenter vocauerunt. Et iterum dixit: O cohors militiæ floris virgæ non spinatæ, tu sonus orbis terræ circuiens regiones insanorum sensuum, epulantium cum porcis, quos expugnasti per infusum adiutorem ponentis radices in tabernacula pleni operis verbi patris, tu etiam nobilis es gens saluatoris; intrans viam regenerationis aquæ per agnum; qui te misit in gladio inter sæuissimos canes, qui suam gloriam destruxerunt in operibus digitorum suorum; statuentes non manufactum in subiectionem manuum suarum, in qua non inuenerunt eum. Nam ô lucidissima Apostolorum turba surgens in vera agnitione & aperiens clausuram magisterij diaboli; abluendo captiuos in fonte viuentis aquæ, tu es clarissima lux in nigerrimis tenebris, fortissimumq; genus columnarum sponsam agni sustentans; in omnibus ornamentis ipsius: per cuius gaudium, ipsa mater & virgo prima est vexillifera. Agnus enim immaculatus est sponsus, & sponsa eius immaculata. Itemque dicebat: O victoriosissimi triumphatores; qui in effusione sanguinis vestri salutantes ædificationem Ecclesiæ intrastis sanguinem agni, epulantes cum vitulo occiso. O quam magnam mercedem habetis, quia corpora vestra viuentes despexistis; imitantes agnum Dei, ornantes pœnam eius; in qua vos introduxit in restaurationem hæreditatis. Vos flores rotarum qui in effusione sanguinis vestri beati estis in maximis gaudiis, redolentibus & sudantibus in emptione quæ fluxit de interiori mente consilij, manentibus ante æuum in illo, in quo non erat constitutio: à capite sit honor in consortio vestro, qui estis instrumentum Ecclesiæ, & qui in vulneribus vestri sanguinis vndastis abunde. Et iterum dixit: O successores fortissimi leonis, inter templum & altare dominantes in ministratione eius; sicut Angeli sonant in laudibus, & sicut assunt populis in adiutorio; vos estis inter illos qui hæc faciunt semper in officio agni curam habentes. O vos imitatores excelsæ personæ in pretiosissima & gloriosissima significatione; ô quam magnus est vester ornatus, vbi homo procedit solues & stringens in Deo pigros & peregrinos, etiam ornans candidos & nigros, & magna onera remittens. Nam & angelici ordinis officia habetis, & fortissima fundamenta præscitis vbicunque constituenda sunt: vnde magnus est vester honor. Itemque dicebat: O pulchræ facies Deum aspicientes, & in aurora ædificantes, ô beatæ virgines, quam nobiles estis, in quibus Rex se consideravit, cum in vobis omnia cœlestia ornamenta præsignauit; vbi etiam suauissimus hortus estis in omnibus ornamentis redolentes. O nobilissima viriditas quæ radicas in sole & quæ in candida serenitate luces in rota, quam nulla terrena excellentia comprehendit, tu circumdata es amplexibus diuinorum mysteriorum. Tu rubes vt aurora, & ardes vt solis flamma. Et iterum sonus ille, vt vox multitudinis in querelis de reuocandis ad eosdem gradus in harmonia, sic querebatur dicens: O plangens vox est hæc maximi doloris. Ach, ah, quædam mirabilis victoria in mirabili desiderio Dei surrexit, in qua delectatio carnis se latenter abscondit. Heu, heu, vbi voluntas crimina nesciuit; & vbi desiderium hominis lasciuiam fugit, quia tam pauci ad te veniunt. Luge luge ergo in his innocentia, quæ in pudore bono integritatem non amisisti; & quæ auaritiam gutturis antiqui serpentis ibi non deuorasti; quia tam negligenter homines te attendunt. O viuens fons, quam magna est suauitas tua, qui faciem istorum in te non amisisti: sed acute præuidisti quomodo eos de angelico casu abstraheres, qui se æstimabant illud habere, quod non licet sic stare. Vnde gaude filia Sion, quia Deus tibi multos reddit; quos serpens de te abscindere voluit; qui nunc in maiori luce fulgent quam prius illorum causa fuisset. Viuens enim lux de his dicit: Tortuosum serpentem scandalizaui in sua suggestione; quæ non ita plena fuerat sicut ille existimabat. Vnde iuraui per meipsum, quod in his caulis feci amplius & amplius, quam in eis ô serpens tuum gaudium proderet: quia in tua suggestione amputaui, quod nunquam inuentum est in tua sæuitia ô turpissime illusor. Itemq; sonus ille, vt vox multitudinis in exhortatione virtutum in adiutorium hominum; & in contradictione repugnantium diabolicarum artium; virtutibus vitia superantibus; & hominibus tandem diuina inspiratione ad pœnitentiam redeuntibus; in harmonia sic clamabat: Nos virtutes in Deo sumus, & in Deo manemus, Regi regum militamus, & malum à bono separamus. Nam in primo agone apparuimus, vbi victrices extitimus, dum ille corruit, qui super se volare voluit. Ergo & nunc militemus, illis qui nos inuocant subuenientes, & diabolicas artes calcantes; & eos qui nos imitari voluerint ad beatas mansiones perducentes.

Laus Apostolorum.

Laus Martyrum.

Laus Confessorum.

Laus Virginum.

2 QVERELAE ANIMARVM IN CARNE POSITARVM: O nos peregrinæ sumus. Quid fecimus, ad peccata deuiantes? Filiæ Regis esse debuimus; sed in vmbram peccatorum cecidimus. O viuens sol, porta nos in humeris tuis in iustissimam hæreditatem, quam in Adam perdidimus. O rex regum, in tuo prælio pugnamus. INVOCATIO FIDELIS ANIMAE: O dulcis diuinitas, & ô suauis vita, in qua perferam vestem præclaram, illud accipiens quod perdidi in prima apparitione, ad te suspiro, & omnes virtutes inuoco. RESPONSVM VIRTVTVM: O fœlix anima, & ô dulcis creatura Dei, quæ ædificata es in profunda altitudine sapientiæ Dei, multum amas FIDELIS ANIMA: O libenter veniam ad vos, vt præbeatis mihi osculum cordis. VIRTVTES: Nos debemus militare tecum, ô filia regis. FID. AN. O grauis labor, & ô durum pondus quod sustineo in veste huius vitæ, quia nimis graue mihi est contra carnem pugnare. VIR. O anima voluntate Dei constituta, & ô fœlix in-

strumentum, quare tam debilis es contra hoc, quod Deus contriuit in virginea natura? Tu debes in nobis superare diabolum. FID. AN. Succurrite, me adiuuando, vt valeam consistere. SCIENTIA DEI: Vide quid illud sit quo es induta filia saluationis, & esto stabilis & nunquam cades. FID. AN. O nescio quid faciam, aut vbi fugiam. O væ mihi, non possum perficere id quo sum induta. Certe illud volo abiicere. VIRT. O infœlix conscientia, ô misera anima, quare abscondis faciem tuam coram tuo creatore? SCIENTIA DEI: Tu nescis, nec vides, nec sapis illum, qui te constituit. FID. AN. Deus creauit mundum, non facio illi iniuriam si volo vti illo. DIABOLVS: Fatua, fatua quid prodest tibi laborare? Respice mundum & amplectetur te magno honore. VIRT. Heu, heu nos virtutes plangamus & lugeamus, quia ouis Domini fugit vitam. HVMILITAS: Ego humilitas regina virtutum dico: Venite ad me omnes virtutes & enutriam vos ad requirendum perditam dragmam & ad eam coronandam in perseuerantia fœlicem. VIRT. O glorioſa regina, & ô suauissima mediatrix, libenter veniemus. HVMIL. Ideo dilectissimæ filiæ, teneo vos in regali thalamo. O filiæ Israël, sub arbore suscitauit vos Deus, vnde in hoc tempore recordamini plantationis eius. Gaudete ergo filiæ Sion. DIABOLVS: Quæ est hæc potestas, quod nullus sit præter Deum? Ego autem dico: Qui voluerit me & voluntatem meam sequi, dabo illi omnia: tu vero cum tuis sequacibus nihil habes quod dare possis, quia etiam vos omnes nescitis quid sitis. HVMIL. Ego cum meis sodalibus bene scio quod tu es ille antiquus draco, qui super summum volare voluisti, sed ipse Deus in profundum te præcipitauit abyssi. VIRT. Nos autem omnes in excelsis habitamus. FID. AN. O vos regales virtutes, quam speciosæ & quam fulgentes estis in summo sole, & quam dulcis est vestra mansio, & ideo ô væ mihi, quia à vobis fugi. VIRT. O fugitiua veni, veni ad nos, & Deus suscipiet te. FID. AN. Ah, ah feruens delectatio absorbuit me in peccatis, & ideo ad vos non ausa sum intrare. VIR. Noli timere nec fugere, quia pastor bonus quærit in te perditam ouem suam. FID. AN. Nunc est mihi necesse vt suscipiatis me, quoniam in vulneribus fœteo, quibus antiquus serpens me contaminauit. VIRT. Curre ad nos, & sequere vestigia illa, in quibus nunquam cades in societate nostra, & Deus curabit te. FID. AN. Ego peccatrix quæ fugi vitam plena vlceribus veniam ad vos vt præbeatis mihi scutum redemptionis. VIRT. O anima fugitiua, esto robusta, & indue te arma lucis. FID. AN. O omnis militia reginæ virtutum, & ô vos candida lilia eius cum rosea purpura, inclinate vos ad me, quia peregrina à vobis exulaui: & adiuuate me, vt in sanguine filij Dei possim resurgere. Et ô vera medicina humilitas, præbe mihi auxilium, quia superbia in multis vitiis multas cicatrices mihi imponens vulnerauit me. Nunc fugio ad te, & ideo suscipe me. HVMIL. O omnes virtutes suscipite lugentem peccatricem in suis cicatricibus propter vulnera Christi, & perducite eam ad me. VIRT. Volumus te reducere, & nolumus te deserere, & omnis cœlestis militia gaudet super te, ergo decet nos in symphonia sonare. HVMIL. O misera filia volo te amplecti, quia magnus medicus dura & amara vulnera propter te passus est. DIABOLVS. Quæ es, aut vnde venis? Tu amplexata es me, & ego foras eduxi te, sed nunc in reuersione tua confundis me, ego autem pugna mea deiiciam te. FID. AN. Ego omnes vias tuas malas esse cognoui, & ideo fugi à te: modo autem ô illusor, pugno contra te. FID. AN. Vnde tu ô regina humilitas, tuo medicamine adiuua me. HVMIL. O victoria quæ eundem in cœlo superasti, curre cum sodalibus tuis, & omnes ligate diabolum hunc. VICTORIA AD VIRTVTES: O fortissimi & glorioſissimi milites, venite & adiuuate me istum fallacem vincere. VIRT. O dulcissima bellatrix, in torrente fonte qui absorbuit lupum rapacem, ô glorioſa coronata, nos libenter militamus tecum contra illusorem animarum. HVMIL. Ligate ergo illum, ô virtutes præclaræ. VIRT. O regina nostra, tibi parebimus, & præcepta tua in omnibus adimplebimus. VICTORIA. Gaudete ô sociæ, quia antiquus serpens ligatus est. VIRT. Laus tibi Christe, Rex Angelorum. O Deus, quis es tu, qui in teipso hoc magnum consilium habuisti, quo destruxisti infernalem hauſtum in publicanis & peccatoribus, qui nunc lucent in superna bonitate: vnde ô Rex, laus tibi sit. O Pater omnipotens, ex te fluit fons in igneo ardore, perduc filios tuos in rectum ventum velorum aquarum, ita vt & nos eos hoc modo perducamus in cœlestem Hierusalem.

3 Et voces istæ erant vt vox multitudinis, cum multitudo voces suas in altum extollit. Et sonus earum ita me pertransiuit quod eas absque difficultate tarditatis intellexi.

4 Audiuiq; vocem ex eodem lucido aëre, dicentem mihi: Laudes superno creatori inceſſabili voce cordis & oris dandæ sunt, cum ipse non solum stantes & erectos, sed etiam cadentes & curuatos in supernis sedibus sua gratia collocat.

5 Vnde vides ô homo, lucidissimum aërem, candorem gaudij supernorum ciuium designantem: in quo audio in omnibus prædictis significationibus, mirabili modo diuersum genus musicorum, in laudibus ciuium supernorum gaudiorum, in via veritatis fortiter perseuerantium, ac in querelis reuocatorum ad laudes eorundem gaudiorum, quoniam vt aër comprehendit & sustinet ea quæ sub cœlo sunt, ita vt audis in omnibus præmonstratis tibi mirabilibus Dei, suauis & dulcis symphonia sonat in gaudio, miracula electorum in superna ciuitate existentium, & in Deo suaui deuotione persistentium: ac in querelis incuruationem illorum quos antiquus serpens perdere tentat, quos tamen diuina virtus ad societatem beatorum gaudiorum fortiter perducit, proferens in eis illa mysteria, quæ humanis mentibus ad terram inclinatis sunt incognita: & in exhortatione virtutum se exhortantium ad salutem populorum quibus diabolicæ insidiæ repugnant, sed ipsæ virtutes

tutes eas opprimunt, ita tamen quod sic fideles homines tandem à peccatis ad superna per pœnitentiam transeunt, quoniam ibi virtutes in mentibus fidelium, ad redemptionem ipsorum vitiis resistunt, quibus diabolico afflatu fatigantur: sed eis fortissima fortitudine superatis homines in peccatis prolapsi, diuino nutu ad pœnitentiam reuertuntur, cum perquirunt & deflent anteriora facta, & cum considerant & cauent posteriora.

6 Quapropter & sonus ille, vt vox multitudinis in laudibus de supernis gradibus in harmonia symphonizat, quia symphonia in vnanimitate & in concordia gloriam & honorem cœlestium ciuium ruminat, ita quod & ipsa hoc sursum tollit quod verbum palam profert.

7 Sic & verbum corpus designat, symphonia vero spiritum manifestat: quoniam & cœlestis harmonia diuinitatem denunciat, & verbum humanitatem filij Dei propalat.

8 Et vt potestas Dei vbique volans omnia circuit, nec ei vllum obstaculum resistit, ita & rationalitas hominis magnam vim habet in viuis vocibus sonare, & torpentes animas ad vigilantiam in symphonia excitare. Quod & Dauid in symphonia prophetiæ suæ probat, & Hieremias lamentabili voce in planctu suo ostendit. Ita & tu ô homo quæ es paupercula & fragilis naturæ, audis in symphonia sonum de igneo ardore virginalis pudoris, in amplexibus verborum florentis, virgæ, & sonum de acumine viuentium luminum in superna ciuitate lucentium, & sonum de prophetia profundorum sermonum, & sonum de dilatatione apostolatus mirabilium verborum, & sonum de effusione sanguinis fideliter se offerentium, & sonum de sacerdotali officio secretorum, & sonum de virginali gradu in superna viredine florentium: quoniam superno creatori fidelis creatura sua in voce exultationis & lætitiæ resultat, & grates frequentes ei impendit. Sed & sonum audis vt vocem multitudinis, in querelis reuocatorum ad eosdem gradus in harmonia resonantem, quia symphonia non solum in vnanimitate exultationis, in via rectitudinis fortiter persistentium gaudet, sed etiam in concordia resuscitationis de via iustitiæ lapsorum, & tandem ad veram beatitudinem erectorum exultat: quoniam & pastor bonus ouem quæ perierat, cum gaudio reportauit ad gregem. Itemq; vt audis, sonus ille vt vox multitudinis in exhortatione virtutum in adiutorium hominum, & in contradictione repugnantium diabolicarum artium, virtutibus vitia superantibus & hominibus tandem diuina inspiratione ad pœnitentiam redeuntibus in harmonia clamat, quoniam dulcis complexio est in virtutibus fideles homines ad veram beatitudinem trahentibus, sed dira coaceruatio est in vitiis diabolicarum insidiarum: non tamen ita vt virtutes vitia non superent, sed sic quod virtutes ea omnino debilitent, & sibi consentientes auxilio superni adiutorij ad æternam retributionem per veram pœnitentiam perducant: vt etiam in vocibus harmoniæ earum tibi est demonstratum.

9 Nam & symphonia, dura corda emollit, & ipsis humorem compunctionis inducit, ac Spiritum sanctum aduocat. Vnde & voces istæ quas audis, sunt vt vox multitudinis, cum multitudo voces suas in altum extollit, quia laudes iubilationum in simplicitate vnanimitatis & charitatis prolatæ, fideles ad vnanimitatem illam vbinulla discordia est perducunt: cum eos in terrispositos, corde & ore ad supernam remunerationem suspirare faciunt. Et sonus earum ita pertransit te, quod eas absque difficultate tarditatis intelligis, quoniam vbi diuina gratia operata fuerit, omnem tenebrositatem obumbrationis aufert, illa pura & lucida faciens, quæ carnalibus sensibus in infirmitate carnis obscura sunt.

10 Quapropter quisquis Deum fideliter intelligit, laudes indefessas ei fideliter offerat, eiq; fideli deuotione inceſſanter iubilet: quemadmodum & Dauid seruus meus spiritu profunditatis & altitudinis à me perfusus, hortatur dicens: *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cythara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, omnis spiritus laudet Dominum.*

11 Hoc tale est. Vos qui Deum simplici intentione & pura deuotione scitis, adoratis, & diligitis, laudate eum in sono tubæ, id est in sensu rationalitatis: quia perdito angelo cum sibi consentientibus in perditionem cadente, agmina beatorum spirituum in veritate rationabiliter perstiterunt, Deoq; fideli dilectione adhæserunt. Laudateq; in psalterio profundæ deuotionis, & in cythara melliflui canoris, quoniam tuba sonante psalterium, & psalterio canente cythara procedit: sicut & beatis Angelis in amore veritatis perseuerantibus, deinde homine creato Prophetæ in mirabilibus vocibus surrexerunt, quos Apostoli in dulcissimis verbis subsecuti sunt. Et laudate eum in tympano mortificationis, & in choro exultationis, quia post cytharam tympanum, post tympanum chorus exultat: quemadmodum Apostolis verba salutis prædicantibus, Martyres in honore Dei, in corporibus suis diuersa supplicia sustinuerunt, ex quibus deinde sacerdotalis officij veraces doctores surrexerunt. Laudateq; eum in chordis humanæ redemptionis, & in organo diuinæ protectionis, quoniam choro exultante voces chordarum, & organi se manifestant: sicut & veris doctoribus in officio beatitudinis veritatem ostendentibus, virgines processerunt: quæ Dei filium verum hominem velut in chordis amauerunt, & verum Deum velut in organo adorauerunt, cum ipsum verum hominem & verum Deum crediderunt. Quid hoc? Quia cum filius Dei pro salute hominum carnem assumpsit, gloriam diuinitatis non amisit. Vnde & beatæ virgines ipsum sibi sponsum eligentes, verum hominem in desponsatione, & verum Deum in castitate, ipsum fideli deuotione apprehenderunt. Sed & laudate eum in cymbalis bene sonantibus, id est in iis assertionibus, quæ bonum suum in vero gaudio faciunt: cum homines in imis peccatorum iacentes, ad su-

pernam

pernam celsitudinem diuina inspiratione compuncti, se sursum ab imis tollunt. Laudateque eum in cymbalis iubilationis, videlicet in assertionibus diuinæ laudis, vbi potentes virtutes victoriam fortissime facientes, vitia in hominibus opprimunt, & eos forti desiderio ad beatitudinem veræ remunerationis in bonis perseuerantes perducunt. Vnde omnis spiritus qui beneuolentiam habet credendi in Deum & honorandi eum, laudet Dominum, id est illum qui Dominus omnium est: quia iustum est, vt ille qui vitam desiderat, eum qui vita est glorificet. Et iterum audiui vocem ex prædicto lucido aëre dicentem: O Rex altissime, laus tibi sit, qui in simplici & in indocta homine facis hæc. Sed & iterum vox de cœlo vociferatione maxima clamabat, dicens: Audite & attendite omnes, qui supernam remunerationem & beatitudinem habere desideratis. O vos homines, qui credula corda habetis, & supernam remunerationem expectatis, sermones istos suscipite, & eos in interiora corda vestra ponite, nec admonitionem istam in visitatione vestra recusate. Nam ego testificator veritatis, viuus & verus loquens & non tacens Deus, dico atque iterum dico: Quis mihi prævalere poterit? Qui hoc tentauerit, deiiciam eum. Vnde homo montem non apprehendat, quem mouere non poterit, sed in valle humilitatis subsistat. Sed quis transilit vias sine aqua? Ille qui se in turbinem ventilat, & qui fructus sine refectione diuidit. Et quomodo tabernaculum meum ibi erit? Sed tabernaculum meum ibi est, vbi Spiritus sanctus irrigationem suam perfundit. Quid hoc? Ego in medio sum. Quomodo? Quicunque digne me apprehendit, hic nec in altitudinem, nec in profunditatem, nec in latitudinem incidet. Quid hoc? Quia ego sum charitas illa, quam nec flagrans superbia deiicit, nec profundi casus perfringunt, nec latitudo malorum conterit. Nunquid non possum ædificare in altitudine scabelli solis? Fortes, qui in vallibus fortitudinem suam ostendunt, me contemnunt: hebetes, in sonitu turbinum me abiiciunt: sapientes, cibum meum renuunt: & quisquis turrim secundum voluntatem suam sibi parat. Sed ego istos in paruo & pusillo confundam, sicut Goliath in puero deieci, & sicut Holofernem in Iudith superaui. Vnde & quisquis mystica verba huius libri recusauerit, arcum meum super eum extendam, & sagittis pharetræ meæ eum transfigam, & coronam eius de capite ipsius abijciam, atque eum illis similabo, qui in Oreb ceciderunt, quando contra me murmurauerunt. Sed & quicunque maledicta sua contra prophetiam istam protulerit, maledictio illa quam Isaac protulit, super eum veniet: & benedictione cœlestis roris replebitur, qui eam amplexus fuerit, & qui eam in corde suo tenuerit, atque qui eam in vias planas produxerit. Et qui eam gustauerit, & in memoriam suam posuerit, fiet mons myrrhæ & thuris, & omnium aromatum, & dilatatio multarum benedictionum, de benedictione in benedictionem ascendens sicut Abraham: atque noua nupta sponsa agni sibi illum columnam in conspectu Dei copulabit, & vmbra manus Domini illum proteget. Sed si quis hæc verba digiti Dei temere abconderit, & ea per vesaniam suam minuerit, aut in alienum locum alicuius humani sensus causa abduxerit, & ita deriserit, ille reprobus erit, & digitus Dei conteret illum. Laudate, laudate ergo Deum beata viscera in omnibus iis miraculis, quæ Deus constituit in molli forma speciei excelsi, quam ipse præuidit in prima apparitione costæ viri illius, quem Deus de limo creauit. Qui autem acutas aures interioris intellectus habet, hic in ardente amore speculi mei, ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.

Tertii Libri Visionum Sanctæ Hildegardis

FINIS.

LIB. I.

PROLOGVS EGBERTI ABBATIS IN LIBRVM VISIONVM ELIZABETHÆ VIRGINIS COENOBITÆ SCONAVGIENSIS.

EVIT in diebus Eugenij Papæ in finibus Treuerenſis Diœceſeos, in cœnobio cui nomen Sconaugia ſub regimine Hildelini Abbatis adoleſcentula quædam monaſticæ profeſſionis nomine Elizabeth. Quæ cum inter religioſas fœminas vndecimum in monaſterio ageret annum, habens ætatis annos tres & viginti in anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo ſecundo, viſitata eſt à Domino & erat manus eius cum illa faciens in ea iuxta antiquas miſerationes ſuas, opera magnæ admirationis, & digna memoria. Datum ſiquidem eſt mente excedere, & videre viſiones ſecretorum Domini quæ ab oculis mortalium abſcondita ſunt. Id autem non ſine euidenti miraculo contingebat: frequenter enim & quaſi ex conſuetudine in diebus Dominicis aliiſque feſtiuitatibus circa horas in quibus maxime fidelium feruet deuotio rapiebatur in mentis exceſſum: & reſumpto paulatim ſpiritu, ſubito verba quædam diuina latino ſermone proferebat: quæ neque per alium aliquando didicerat, neque per ſeipſam inuenire poterat vt pote quæ eſſet inerudita, & latinæ locutionis nullam vel exiguam habens peritiam. Sæpius etiam canonicæ ſcripturæ teſtimonia aliaque diuinarum laudum verba congruentia iis quæ per ſpiritum viderat abſque omni præmeditatione pronunciauit. Quomodo igitur omnia quæ circa ipſam geſta ſunt, ad gloriam Dei & ad ædificationem fidelium pertinere viſa ſunt: in præſenti libello ex magna parte conſcripta ſunt iuxta narrationem ipſius, qua vni ex fratribus ſuis de ordine clericorum quem præ cæteris familiarem habebat, ſingula expoſuit. Cum enim ab inquirentibus multa occultaret, eo quod eſſet timorata valde & humillima ſpiritu: huic diligenter omnia inueſtiganti & memoriæ ea tradere cupienti germanitatis & dilectionis gratia, & Abbatis iuſſione cuncta familiariter enarrare coacta eſt. Narrationis autem initium erat huiuſmodi.

1152. Obiit anno 1161. ætatis anno 36. Iunij die 18.

LIBER I. SANCTAE ELIZABETHÆ VIRGINIS.

CAPVT I.

Primo ſermonem facit ad fratrem ſuum Egbertum.

Frater, ille fuit Egbertus, Abbas S. Florini.

DEtis à me frater & ad hoc veniſti, vt enarrẽ tibi miſericordias Domini quas ſecũdum beneplacitum gratiæ ſuæ operari dignatus eſt in me. Promptum quidem eſt in me frater, per omnia dilectioni tuæ ſatisfacere. Nam & hoc ipſum diu deſiderauit anima mea, vt daretur mihi conferre tecum de omnibus iis quæ magnifice operatus eſt Dominus in me, ac tuum audire iudicium: ſed quæſo modicum ſuſtine, & attende mi dilecte multiplices anguſtias cordis mei, quæ ſupra quam credi poteſt me coarctant. Si verbum iſtud

istud de quo audisti in commune prodierit, sicut per quosdam incautos fratres (nouit Deus) contra voluntatem meam ex parte iam prodiit, quis putas de me fermo erit in populo? Dicent forte nonnulli, alicuius me sanctitatis esse, ac meis meritis gratiam Dei attribuent, existimantes me aliquid esse cum nihil sim. Alij vero cogitabunt intra se dicentes, hæc si esset Dei famula, fileret vtique, & non sineret magnificari nomen suum in terra, nescientes qualibus stimulis vrgeri soleo ad dicendum. Non deerunt etiam qui dicant muliebria figmenta esse omnia quæ audierint de me, vel forsitan à sathana me illusam iudicabunt. His & aliis modis charissime in ore hominum ventilari me oportebit. Et vnde hoc mihi vt alicui hominum innotescam, quæ elegi esse in abscondito, & quæ certe nec dignam me arbitror vt ad intuendum me quisquam oculos suos attollat? Illud quoque non parum angustias meas adauget: quod Domino Abbati complacuit, vt scriptis verba mea commendentur. Ego enim quid sum, vt memoriæ tradantur ea quæ sunt de me? Nonne & hoc arrogantiæ poterit ascribi? Sed dicunt mihi quidam ex sapientibus, quia non propter me solam hæc fecit mihi Dominus, sed aliorum quoq; ædificationi per ista prouidit, eo quod ad fidei confirmationem aliquatenus attinere videantur, & ad consolationem eorum qui tribulato sunt corde propter Dominum. Et idcirco pro eiusmodi caulis quæ prædictæ sunt, opera Dei silentio prætereunda non putant. Et ita quidem esse vt dicunt ex parte credo, propter quædam quæ tibi nunc indicabo. Accidit aliquoties cum in corde meo posuissem celare ea quæ ostensa mihi erant à Domino, tanta præcordiorum tortura me arripi, vt morti me proximam existimarem. At vbi ijs qui erant circa me quid vidissem aperui, continuo alleuiata sum. Sed fateor quia nec sic adhuc omnino certificata sum, quid potissimum agere debeam. Nam & tacere magnalia Dei periculosum mihi esse intelligo, & loqui periculosius fore pertimesco. Minus enim discretionis me habere cognosco, quam vt sufficiam discernere quid ex ijs quæ mihi reuelantur dici conueniat, quidue silentio honorari oporteat. Et ecce inter hæc omnia, in periculo delinquendi posita sum. Propter hoc dilecte mi non cessant ab oculis meis lachrymæ, & anxiatur spiritus meus iugiter in me. Sed eccè ad introitum tuum consolari cœpit anima mea, & facta est tranquillitas magna in me. Benedictus Dominus quia suscipere dignatus est orationem ancillæ suæ: qua diebus multis eum de tuo aduentu deprecata sum. Et nunc quia Domini voluntate ad me de longinquo directus es, non abscondam cor meum à te: sed ea quæ sunt de me, bona & mala tibi aperiam. Deinde quid fieri conueniat, in tua & domini Abbatis discretione positum sit. Gratias ago Domino ego pauperum eius minima, quoniam à die quo sub regulari institutione cœpi viuere vsque in hanc horam ita confirmata est super me manus Domini, vt nunquam sagittas eius in corpore meo portare desierim. Aegritudines meæ variæ & diuturnæ, non solum me vexauerunt, sed & omnes sorores quæ in circuitu mei sunt. Det illis Dominus misericordiam, quia onus calamitatis meæ materno affectu mecum portauerunt. Aliquando & medicamina infirmitatibus meis adhibuerunt. Sed eo amplius infirmata sum, & audiui in visione nocturna vocem dicentem mihi: *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Vnde me admoneri intellexi, vt non medelis hominum sed voluntati creatoris mei corpus meum committerem, & ita quidem feci. Cumq; sæpe tanto languoris obruerer labore, vt nullius membri (excepta lingua) compos essem, sine arrogantia dixerim, non minus in psalmis ruminandis sedula permanebam. Sed cum & linguam paralysis mihi subduceret, linguæ officium mente suppleui. Quantas autem cum infirmitatibus meis rerum necessariarum penurias sustinuerim, longum est enumerare. Ipse nosti quia & domus nostræ possessio modica est, & elongati sunt à me, qui debuerant misereri super me. Sed pater orphanorum Dominus solicitus est mei, per cuius gratiam gaudium magnum est cordi meo omnis mea contritio. Per omnia benedictus sit consolator humilium Deus. Sed ne diutius te protraham, nunc ad ea de quibus potissimum interrogas, sermonem conuertam.

CAPVT II.

De tentatione maligni & horrenda tristitia comite.

FACTVM est in die sancto Pentecostes, conuenientibus ad Dominicam cœnam sororibus, ego occasione quadam detenta sum, vt diuini illius ac viuifici sacramenti particeps non fierem. Vnde illius diei solennitas, non me vt solebat, exhilarauit; sed in quadam obscuritate animi tota die permanebam. Postera etiam die, & tota illa hebdomada, in eadem obscuritate animi tristis incedebam, nec potui ab animo excutere tristitiam. Ascendebant in cor meum plus solito omnia delicta, & magnificabam singula apud me, & ita mihi ipsi dolores accumulabam. Crescente igitur paulatim apud me hac non bona tristitia, adeo mente obscurata sum, vt quocunque me verterem, in tenebris me ambulare æstimarem, lucis comparatione quam antea in me senseram. Inter hæc tanto etiam tædio afficiebar, vt nihil esset quod non fastidiret animam meam. Molestæ mihi erant ipsæ orationes, quæ summæ delitiæ meæ esse consueuerant. Psalterium quod iucundum semper mihi fuerat, quandoque vix vno psalmo perlecto, longe à me proieci. Iterum recogitans ac mecum admirans quid mihi accidisset, resumpsi illud & legi: sed rursus mente concidi. Omnes enim vires suas effudit in me aduersarius meus. Nam etiam in fide hæsitare me fecit ille perfidus, ita vt de redemptore nostro dubie cogitarem, dicens intra me: Quisnam ille fuit, qui tantum se humiliauit propter homines? Nunquid vera esse potuerunt omnia quæ scripta sunt de illo?

Verti

Verti me alio & dixi: Bonus tamen erat ille quisquis fuit, de quo tot bona prædicantur. De beatissima aduocata nostra similiter dubie cogitabam cum eius memoriam agerent sorores. Et quid mirum frater? Pene omnis sensus meus subuersus erat in me. Aliquoties autem ad meipsam rediens tentari me intellexi, ac fortiter reluctabar, meosque familiares vt pro me orarent admonui: sed tanto fortius insistebat aduersarius meus ita me perturbans, vt etiam tæderet me viuere. Cibum & potum præ tædio sumere non potui nisi tenuissime, & ibam deficiens & tabescens toto corpore. Nouissime autem id mihi inspirauit ille perfidus, vt vitæ meæ ipsa finem imponerem, atque ita ærumnas meas quas diu sustinueram terminarem. Sed in hac tentatione pessima, non dormitauit super me qui custodit Israël. Non enim permisit vt dominaretur mihi iniquitas hæc maxima, sed dedit mihi intelligere malitiam insidiatoris mei & subito me auertit à cogitatione hac. Quam copiosus es in misericordia Domine, qui de tantis periculis eruis confidentes in te. Confiteor tibi pater, quia nisi tu adiuuisses me, paulominus habitasset in inferno anima mea.

CAPVT III.

De aduersario apparente Elizabeth in similitudinem phantasmatis horribilis.

ET hæc quidem ita se habebant circa me vsque ad festum beati Maximini quarto calendas Iunij. Illo autem die ad Completorium vidi in sacello nostro phantasma paruum quasi cuculla monachi indutum. Statim autem dicto Completorio irruit super me grauissima infirmitas, & rogaui magistram vt assumptis sororibus veniret mecum in capitulum, ibique orationes funderent super me. Cumque ibi prosternere me vellem ante crucifixum, ita dirigiuerunt ossa mea vt nullatenus genua flectere potuissem. Ego itaque mihi ipsi vim faciens, grauiter me proiici in terram. Cumque surrexissem ab oratione, allatum est Euangelium, & legere me fecerunt passionem Domini, & adiuuabant me quoniam imbecillis eram ad legendum. Dum autem legeremus, apparuit mihi idem phantasma vt prius: & legentibus nobis locum illum vbi dicit Euangelista: *Intrauit autem Sathanas in Iudam qui cognominatur Scarioth*: cœpit exultare & risum mouere. Dicebam autem sororibus, vt pessimum illum abigerent, & mirabantur de quo loquerer eis. Perlecto autem Euangelio, euanuit.

Phantasma.

CAPVT IV.

De apparitione eiusdem in alijs formis.

POst hæc in matutinis stabat coram me, in humana effigie statura breuis & spissus, & horribilis aspectu: facies eius ignea, lingua eius flammea & longe ab ore porrecta, manus eius & pedes similes vnguibus auium rapacissimarum. In hac specie, septies illo die mihi apparuit. Et semel in specie canis teterrimi. Sequenti die mane astitit lecto meo, & cum suo quodam iuramento, minatus est mihi quod in dentes me percussurus esset calceo, quem in manu tenere videbatur. Post hæc paulo ante missam, iterum se mihi obtulit in specie tauri magni & horrendi, dilatans super me os suum quasi ad deglutiendum me, & cymbalum in collo gestare videbatur.

Humanũ phantasma.

Canis.

Taurus.

CAPVT V.

Visio quædam facta illi in sublimi.

DEinde cum inchoaretur missa de beatissima virgine Domina nostra (sabbatũ enim erat) veni in extasim. Et apertum est cor meũ: & vidi super aërem rotã magni luminis similẽ lunæ plenæ, sed quasi duplo maiorem. Et introspexi per medium rotæ, ac vidi similitudinem regalis fœminæ stantem in sublimi quasi candidissimis indutam vestimentis, ac purpureo amictu circumdatam. Continuo intellexi hanc esse sublimem cœli reginam, matrem saluatoris nostri cuius semper desideraui aspectum. Cumque intenderem in eam cum summo desiderio, procidit in faciem suam ter, ad orans coram diuino quodam lumine quod erat ante illam. Quarta autem vice cum se humiliasset, longam moram in iacendo facere visi est. Vt autem surrexit conuertit ad me faciem, & modicum progressa est in inferiorem aërem contra me, habens duos comites gloriosos, vnum à dextris & vnum à sinistris. Qui à dextris erat cuculla monachi indutus esse videbatur, candidissima tamen, & baculum monastici patris manu gestare visus est. Vnde menti meæ incidit hunc esse venerabilem patrem nostrum beatum Benedictum. Qui autem à sinistris erat iuuenis decorus videbatur, candida & crispanti coma spectabilis. Stans autem Domina mea, signo crucis me consignauit, & hæc verba menti meæ nescio qualiter inseruit: Ne timueris, quia nihil tibi ista nocebunt. Vocis quidem sonitum non audiui, sed tantummodo labiorum eius motum distincte aspexi.

Rota luminis.

Virgo Maria.

Benedictus.

Post hæc regressa est ad interiora luminis sui, & ego deuotissimè adorans sequebar eam laudibus tredecim versiculorum, quos in consuetudine habeo. Et his dictis, ab extasi reuersa sum: & continuo refeci spiritum meum hostia salutari. Tunc rogaui sacerdotem, vt inuocaret nomen Domini super me. Qui cum inchoaret litaniam, rursum in extasi facta vidi Dominam meam stãtem secus altare in veste qualis est casula sacerdotalis: & habebat in capite diadema glorioſum quasi quatuor gemmis pretiosis insignitum, eratq; ei circumscripta Angelica illa salutatio: *Aue Maria gratia plena Dominus tecum.*

CAPVT VI.

Visio aduersarij, loci eius, & quorundam cœlestium.

Taurus. EODEM die ad vesperam rursum vidi malignum illum in specie tauri pendentem coram me in aëre: & paulo post respexi consolatricem meam in cœlesti lumine vt prius, munientem me crucis signaculo. Postera die quæ erat Dominica iterum se mihi præsentauit insidiator meus in specie tauri vt prius. Tunc quia nimis vexauerat me horrenda visio illa, dixi ei confidenter: Si vere tu es ille malignus, præcipio tibi in nomine Domini vt cito transfigures te, & in hac specie vltra mihi non appareas. Continuo disparuit: & respexi vallem quandam horribilem plenam fumo & flamma nigra, & exibat inde grex caprarũ turpissimus. Die illa ad vesperã lux magna in cœlo mihi apparuit, & de medio eius colũba niueo candore & quasi flãmeo splendore venusta elapsa est nescio quid rubeũ in ore demonstrans: & vt subito gyrum fecit in aëre, iterum se recepit in lucem. Ego autem cũ veneratione eam prosequens, orationes de Spiritu sancto dicebam, quoniam in specie colũbæ eum apparuisse audieram. Post hæc ad Completorium cum starem ante crucem ac deuotissime eam salutarem, ostensa est mihi in cœlo crux magna aurei fulgoris ita splendida, vt etiam reuerberaret oculos cordis mei, quibus eam intuebar.

Virgo Maria.

Infernus. dæmones.

Lux cœlestis.

Spiritus sanctus.

Crux.

CAPVT VII.

De aduersario in specie delicati clerici.

DIE altera manecum starem sola in capitulo & orarem, iterũ se mihi obtulit aduersarius meus stans corã me in specie delicati clerici, quasi indutus camisia candida. Et expaui quidem, sed tamẽ in oratione perseuerans nihil segnius egi quo magis eum confunderẽ. Expleta aũt oratione, ascendi in dormitoriũ, & illuc me subsecutus est. Discessi inde in sacellum, & veni stare inter duas sorores orantes, illuc etiam me subsecutus est: & stabat coram me, in turpi quodam gestu illudens mihi, nec potui auertere ab eo mentis oculum quo eum intuebar: tunc nequitiam eius vltra non ferens, dixi ei audacter: Præcipio tibi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt cito ab huiusmodi gestu cesses, & talem nequitiam vltra mihi non ostendas. Continuo habitũ priorem dimisit, & stabat reuerẽter quasi indutus veste religiosa. Deinde exiui sedere in conuẽtum sororũ, & illuc me insecutus est. Et stans arrisit mihi. Cũ ergo tunc disparuisset, vltra mihi non apparuit. Deinde cũ audita missa cõmunicassem, & ad prãdiũ accessissem præ nimia vexatione vix cibũ attigi. Post prandiũ autem subito elangui nec remãsit in me quicquã viriũ, & ita coarctabar vndiq;, vt nullũ membrorũ meorum esset absq; passione; tunc astantibus circa me sororibus vix linguam moui vt significans eis, quod allatis reliquijs dicerent super me passionem Domini & orationes. Dum autem orarent, sensi guttur meum quasi manu cuiuspiam fortiter stringi, ita vt pene halitus meus intercluderetur. Cum ergo transisset hora illa de cætero maiorem pacem habui à tentatore meo per gratiam Domini qui nouit suos de tentatione eripere. Quod vt arbitror, impetratum est à Domina.

CAPVT VIII.

De compassione fratrum & sororum in eam, luce magna & Spiritus sancti columba.

CONuenerunt sorores ac Domini fratres videntes angustias animæ meæ, ac decreuerũt, vt septem continuis diebus communes preces fũderent, & se affligerent coram Domino pro me, ac singulis diebus singulas missas pro angustijs meis celebrarent. Cumq; inter septem missas vna de Spiritu sancto in quinta feria esset decantanda, cũ magno desiderio diem illum expectabam, sperans aliquid consolationis tunc me recepturam. Venit desiderata dies, & fratribus diuina celebrãtibus iacebam in oratione cum sororibus. Et dilatatum est cor meum, & vidi lucem grandem in cælo: & ecce columba magnæ pulchritudinis qualem & ante videram, de luce egrediens, peruenit vsq; ad me: & cum tribus vicibus capiti meo expansis alis se circumtulit, mox ad superna conuolauit.

Lux.

Columba.

CAPVT IX.

De apparitione sanctæ crucis & beatissimæ virginis.

POST hæc in sexta feria cũ decretur missa de sancta cruce & me prostrassem in oratione glorioſum crucis signum in cœlo mihi ostensum est, quasi à sinistris diuinæ maiestatis.

Signum crucis.

In sabbato autem cum celebraretur officium de glorioſissima virgine, vidi iterum eam in superna claritate coram maiestate magna, adorantem. Cumq; ministri altaris laudes eius deuote cõcinentes in sequentia, Aue præclara, processissent ad versiculũ qui est Ora virgo nos illo pane cœli dignos effici, procidit in faciem suam totamq; se in oratione prostrauit. Sicque permanebat quousq; Euangelium inchoaretur. Ab illo die vsq; ad hæc tempora, singulis fere sabbatis & quandoq; alijs diebus cum de ea officium celebraretur eandem visionem videre consueui. Eadem die post nonam cum starem in capitulo & amarissime flerem propter somnia quædam in quibus animam meam valde molestauerat nequitia insidiatoris mei. Rogabam Dominam meam deuotissime, vt si forte nocturæ mihi non essent illæ molestiæ, aliquid mihi consolationis exhibere dignaretur. Et ecce subito lux illa cœlestis emicuit, & progressa est inde consolatrix mea. Et cum paululum descen-

Virgo Maria.

descendisset, contra me stabat. Et ego intendés in eam motum labiorum eius diligenter obseruabam. Et cognoui quod nominaret me nomine meo Elizabeth, & amplius non adiecit. Quod ego pro consolatione recipiens, gratias egi illi, & recessit à me.

CAPVT X.

De apparitione columbæ & sanctorum Ioannis Baptistæ, & Ioannis & Pauli Martyrum.

ACcidit quadam vice cum frequenter se mihi obtulisset columba niuea illa de qua dixi, vt apud meipsam dubitarem de illa, & quærerem à Domino Abbate, vtrum posset Sathanas se transfigurare in columbam. Qui cum negaret se vnquam hoc legisse, & ego dubia permanerem, aspexi quadam die crucem quam videre soleo, & venit ex aduerso columba illa & resedit in ea. Sic ergo certificata sum, non esse hoc Sathanam, quoniam inimicus crucis est.

Crux. Columba

In vigilia B. Ioannis Baptistæ, dum diuinum celebraretur officium, fui in oratione ac dicebam quinquaginta psalmos & alias quasdam orationes in laudē illius venerandi præcursoris Domini. Cumq; orationes pene compleuissem, subito lux magna refulsit in cœlo, & in medio eius quasi species viri glorioſi, & in vestitu candido apparuit stans contra ortum solis. Et post pusillum conuertit ad me faciem blandam & valde amabilem, quasi volens conspici à me. Habebat autem coronam aurei fulgoris in capite valde radiantem, & in parte anteriori quasi purpureo colore insignitam. In dextra eius tanti fulgoris palma apparuit, vt præ nimia eius claritate vix cætera quæ iuxta erant possem discernere. Intellexi igitur hunc esse glorioſum illum martyrem cui seruiebamus. Post hæc in matutinis cum diceremus Te Deum laudamus, eodem modo mihi apparuit, & id citra extasim quamuis vicina fui vt fierem in extasi. Cumq; iterum disparuisset, lux illa in qua eum videram, subito in duas partes scindi visa est. Et emicuit quasi fulgor omnino intolerabile mihi ad videndum. Et dixi: sufficit mihi Domine gratia tua, parce infirmitati meæ, & relaxa mihi claritatem hanc nimiam, quia sustinere eam non valeo. Continuo sublata est, & loco eius stella clarissima apparuit. Rursus in die, tempore diuini sacrificij, vir Dei similiter mihi apparuit.

Ioannes Baptista.

Die tertio post hæc, in festo beatissimorum Martyrum Ioannis & Pauli tempore matutino dum ad honorem eorum legerem quinquaginta psalmos, vidi illos in amplissima luce valde coniunctim stantes contra Orientem & ad me terga vertentes. Cumq; expleuissem orationes, & subiunxissem. *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentem in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron.* Hęc est vera fraternitas quæ vicit mundi crimina. Christum secuta est inclyta, tenens regna cœlestia. Et insuper. Si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tētauit eos, tanquam aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausta accepit eos. Cum inquam hæc expleuissem, rogaui illos diligentissime, vt ad me faciem conuertere dignarentur. Et conuersi sunt ad me. Habebant autem & ipsi signa victoriæ atq; martyrij, videlicet fulgidas in manibus palmas, & coronas in capitibus valde radiantes & rubore signatas in fronte. Talibus enim insignijs decorati videntur sancti martyres quandocunq; mihi apparere dignantur. Cumq; eorum intuitu delectata fuissem, ab oculis meis subito ablati sunt.

Ioannes. Paulus.

CAPVT XI.

Visio multorum sanctorum & aliorum mysteriorum.

IN festiuitate beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, in primis vesperis rapta in extasin vidi glorioſos illos principes in splendore magni luminis stantes cum signis victorioſi martyrij. Et conuersis ad me vultibus descenderunt in regionem huius nostri aēris, antecedente eos beatissima virgine matre Domini nostri Iesu Christi. Stans autem Petrus, signum crucis fecit super me. Et salutabam illum dicens: Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum. Paulum quoq; intuens: hæc verba arripui. *Bonum certamen certaui, cursum consumaui.* Cumq; reuersi essent in regionem luminis, ego ab extasi respiraui. In die ad missam, dum intonaretur officium, vidi columbam descendentē de cœlo, & vsque ad dextrum cornu altaris peruenit ibiq; resedit. Quantitas eius vt turturis, & supra niuem candor eius. Cumq; Dominus Abbas inter cæteras diceret illam collectā quæ est, Deus cui omne cor patet, & vsq; ad verbum illud processisset, purifica per infusionem Sancti spiritus cogtationes cordis nostri, aduolauit & sese capiti eius ter circumtulit, ac reuersa est ad locum vbi antea consederat. Cum autem diceretur Sanctus, accessit ac resedit in corporali & quasi rubeum aliquid ex ore eius pendere videbatur. Cumq; finita missa inter sorores ad cōmunicandum accederem, & oculos carnis ad eā flecterem, videre eam non potui. Auersis autem oculis eam vidi, & statim vt communicaueram in extasim veni, moxque respiraui. Et exinde quicūque sanctorum alicuius celebritatis apud nos sunt singuli in suis festiuitatibus mihi per gratiam Domini nostri Iesu Christi in cœlesti lumine apparuerunt, videlicet Quilianus martyr, cum socijs suis: deinde septem fratres.

Petrus. Paulus.

Mater Domini.

Columba.

Quilianus. Septē fratres.

Post hos & venerabilis pater noster Benedictus qui etiam contra me in aērem exire visus est. Deinde beata Margareta immenso candore notabilis & signis victoriæ glorioſa. In diuisione Apostolorum omnes mihi apparuerunt, sed seorsum ab alijs Petrus & Paulus stare videbantur. Post hæc: Alexium confessorem vidi nescio quid magni decoris habentem à pectore vsque ad subumbilicum.

Benedictus. Margareta. Apostoli. Alexius cum nota seruata virginitatu.

In vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ ad vesperā vidi illam cum corona lucidissima, & simul cum ea matrē Domini nostri Iesu Christi. Stabant autem

Magdalena Mater Domini.

Ioseph. Nicodemus Sepulchrum Domini. Saluator. Crux aurea. Iris.

autem contra se quasi colloquentes adinuicem: & post pusillum conuersæ sunt ad Orientem. In die ad missam dum orarem positis in terra genibus, vidi in aere quasi prope terram duos viros splendidos sedentes contra se, & in medio eorum lucidum quiddam quasi formã habens sepulchri: & ecce mulier similis ei quam in sero videram, accessit & stabat diligenter inspiciens eandem sepulchri speciẽ. Dum autem staret, accessit retro eam iuuenis candidissimo amictu circumdatus, nigram habens comam ac barbæ lanuginem, & faciem supra modum speciosam. Moxq; illa conuersa ad eum ibat in occursum, & stabat quasi interrogans aliquid ab eo. Tunc cœpi anxie cogitare intra me quisnam esset ille iuuenis. Cumque magno desiderio sciendi hoc, æstuarem, subito in dextera eius crux aurea apparuit. Vnde mox coniectabam, quod ipse esset is qui surgens à mortuis, primo Mariæ apparuit. Eadem die ad vesperam cum non possem interesse conuentui propter inualitudinem, sedebam in capitulo cum magistra. Et eramus in psalmis vespertinis (erat autem pluuiæ tempus) & vidi Irim fulgidam, solo mentis intuitu. Exterioribus enim oculis, faciem cœli ab eo loco in quo eram, intueri non poteram. Et dixi Domino in corde meo. Obsecro Domine vt quod nunc sola mẽte video, etiam oculo carnis aspiciam, quo magis de hac visione spirituali certificer. Non enim mihi ipsi satis credebam. Et post paululũ, sorores de sacello exeuntes, constiterunt in claustro aspicientes in cœlum. Mirante autem magistra quid aspicerent. dixi. Irim (vt credo) vident, quam & ego iam mentis intuitu vidi. Exeuntes ergo ad eas: vidimus eam & nos.

CAPVT XII.

Aliæ cœlestes apparitiones & aliorum sanctorum.

IN Vigilia sancti Iacobi Apostoli post prandiũ, citra extasim vidi lucem quam videre soleo quasi super Ecclesiam beati Florini vbi Domini fratres nostri manent. Erat autem in sequenti die ibi dedicationis festiuitas celebranda. Et vidi quasi scalam in modum radiantis auri splendidã, de luce illa descendentem vsque ad altare maius, quod est in sanctuario. Cumq; aspicerem, vidi adolescentes duos per eam descendentes vsque ad altare: qui autem peribat, thuribulum aureum in manu gestare videbatur. Post hos autem & alij duo descenderunt. Deniq; magna multitudo descendit & versa vice ascenderunt. Erantque ita ascendentes & descendentes à nona prioris diei vsque ad nonam sequentis diei. Tamdiu enim continuè in hac visione permansi. Apparuit autem & B. Iacobus circa summitatem scalæ stans cum Beata Christina virgine, & virgo virginum cũ eis. In die autem illo circa tempus dominici sacrificij ad hæc inferiora nostræ habitationis descendere visus est. Vidi autem eo die claritatem magnam circa præfatum altare, & omnia quæ gerebantur illic. Nam & operimentum altaris quale esset cognoui, & magistræ nostræ indicaui. Ipsa autem: directo illuc nuncio comperit ita esse, vt dixi.

Scala. Lux. Angeli & sancti.

Iacobus Christina Beatissima virgo.

In vinculis sancti Petri, rursus eum vidi in eadem specie qua & antea apparuerat. Post hæc Stephanum protomartyrem in die inuentionis suæ. Deinde Osualdum regem. Deinde Aphram Martyrem cum duabus pedissequis suis. Deinde B. Cyriacũ. Deinde B. Laurentium in vigilia eius omnes cum signis victorioſi martyrij vidi in lumine. Erat autem tam densa lux B Laurẽtio vndiq; circumfusa, vt etiam palpari posse videretur. Palmæ & coronæ eius fulgor tantus erat, vt & quodam modo reuerberaret oculos cordis mei sicut radiantis auri splendor oculos carnis solet repercutere. Habebat autem stolam splendidam à sinistro humero, vsque ad dextrum latus protensam. Et interrogaui magistram quid sibi hoc vellet: & dixit mihi, signum diaconatus eius hoc esse. Stabat autem cum eo & Beatissima virgo sicut cum supradictis omnibus: habebatque ipse faciem ad me blande conuersam, quousque desiderium meum impleuit. Hanc enim gratiam omnes mihi solent exhibere.

Petrus. Stephanus. Osualdus Aphra. Cyriacus. Laurentius.

CAPVT XIII.

De sanctorum ordinibus item de filio Dei & diuina maiestate.

FActum est insequenti anno in dominica nõcte quæ erat prima post festum B. Iacobi, auocata à corpore rapta sum in extasim. Et ecce rota flammea grandis in cœlo emicuit, cuius visio magnas mihi incussit angustias, & continuo disparuit. Post hæc in eodem loco quasi ostium apertum est, & introspexi per illud, & vidi lucem longe excellentiorem illa quam videre consueueram, & multa millia sanctorum in ea. Stabant autem in circuitu maiestatis magnę, secũdum huiusmodi ordinem dispositi. Erant in quadã fronte illius circuitus, viri quidam magnifici, & excellentes valde, adornati palmis & coronis copiosè radiantibus, & titulo passionis in fronte signati. Et intellexi tam ex titulo eorum quam ex singulari gloria quam præ alijs habebant hos esse venerabiles Apostolos Christi. Ad dexteram eorum copiosus quida exercitus, eisdẽ insigniis gloriosus astabat. Post hos & alii viri splendidi constiterunt, sed martyrii signum in eis non apparuit. A sinistris vero Apostolorum sacer ordo virginum effulgebat decoratus martyrij insignijs. Post has & alter chorus insignium puellarum coronatarum quidem, sed absque signis martyrij. Deinde & aliæ venerandæ mulieres, cum velaminibus candidis apparebant: atque ita ex his omnibus circuitus ille completus est. Alius quoque magnæ claritatis circuitus infra illum apparuit, quem intellexi esse sanctorum Angelorum. In medio autem omnium gloriam maiestatis immensę, quã effari omnino non possum, cuius thronum glorioſum iris fulgida ambiebat. A dextris autem maiestatis, vidi similem filio hominis in summa gloria residentem. A sinistris vero signum crucis vehe-

Rota flammea.

Chorus Apostolorum. Chorus martyrũ. Chorus confessorũ Chorus virginum Chorus matronarum. Chorus Angelorũ Thronus. Iris. Filius hominis. Signum crucis.

crucis vehemẽter radiosum apparuit. Cumq; hæc omnia trementi corde aspicerem, hoc quoq; adijcere dignatus est Dominus, vt mihi indignissimæ peccatrici de gloria suæ ineffabilis Trinitatis, modo quodã quem explicare non valeo nec audeo, hoc significaret quomodo vere vna diuinitas in personis trina est, & tres personæ vna diuina substantia. A dextris autem filij hominis regina Angelorum & domina regnorum in solio quasi sydereo, immenso lumine circũfusa residebat. Ad sinistrã quoque prædictæ crucis vigintiquatuor honorabiles viri versis ad eam vultibus in vno ordine confederunt. Vidi non procul ab eis duos arietes grandes & præclaros stantes ante signum crucis, & sustinentes in humeris suis rotam nimiæ claritatis & miræ magnitudinis. His omnibus ita perspectis, in hæc verba prorupi dicẽs: Leuate oculos cordis vestri ad deificum lumen: attendite & videte gloriam & maiestatem Domini. Mane post hæc hora tertia venit vnus ex fratribus ad fenestram, & rogaui eum vt missam de sancta Trinitate celebraret, & annuit. Statim autem vt missam incepit, veni in extasim. Et rursum vidi prædictam visionem, sed manifestius. Eadem hora vidi prædictum fratrem qui assistebat altari multo lumine circumfusum, & halitum eius in modum candidi fumi ex ore ipsius sursum ascendentem.

Virgo Maria. *Viginti-quatuor seniores.* *Arietes duo.* *Rota.*

CAPVT XIV.

Visio diuini agni, & aliorum mysteriorum.

IN proxima Dominica videlicet in inuentione sancti Stephani: vidi eandem visionem, sed eo amplius quam tunc: nam nunc vidi ante thronum Dei agnum stantem valde amabilem, & habentem crucem auream quasi dorso infixam. Sed & quatuor Euangelistas nunc vidi in illis formis, quas eis sacra scriptura attribuit. Erant autem à dextris beatissimæ virginis in ordine dispositi, ita vt versus ipsam facies haberent conuersas. Eram autem celãs apud me huiusmodi visiones, amplius quã septem diebus. Cumq; posuissem constanter in corde meo nemini eas reuelare, grauissima tortione cordis correpta sum, ita vt moriturã me existimarem. Instabant itaq; mihi sorores, studiose flagitãtes, vt quæ videram eis reuelarem. Cumq; extorsissent à me, statim à passione conualui. Et ne iã dicta amplius repetam, scito quod huiusmodi visiones quas in prædictis dominicis vidi, singulis dominicis quæ postea euenerunt vel bis vel ter vel etiam amplius videre consueui, veniens tamen prius in extasim, sicut ipse proprijs iam oculis aspexisti.

Agn⁹ Dei *Quatuor Euangelistæ.* *Virgo Maria.*

In quarta autem feria ante Assumptionem Beatissimæ Mariæ post Completorium stabã in sacello, & oraui Dominũ ex totis præcordijs meis dicens: Domine Deus meus, ecce animã meam & corpus meum tuæ inuictæ dexteræ, tuæ sanctæ & Indiuiduæ Trinitati commendo, tibi omnes angustias meas Domine committo: quoniam valde anxiatur spiritus meus super ijs quæ operatus es mecum, eo quod tanta gratia omnino indignam me esse cognoscã. Tu scis Domine mi, quod numquam taliã à te postulare præsumpsi. Sed nũc quoniã ex gratuita bonitate tua ita magnificasti misericordiam tuã mecum, obsecro te quatenus ita de cætero me conserues, vt nullo delicto meo à gratia tua merear excidere: neq; me ille tristitiæ spiritus vltra apprehendat, quo iam absorpta fuissem, nisi tu Domine subueniisses. Cumque hæc & his similia perorassem, & iam ad stratum meum rediré, subito hæc verba ori meo inciderunti O virgo caue ne iterum cadas, ne aliquid deterius tibi contigat. Quia bonus pastor curam habet, de ouibus suis. Sequenti autem die in meridie subito impulsu cor meum percussum est, & hæc verba accepi: Noli timere filia, quia Dominus consolator tuus corripit omnem filiũ quem recipit. Eodem die ad vesperam cum effudissem cor meum ante Dominam meam cum multis lachrymis, iterum accidit vt ex improuiso hæc verba in ore meo voluerem: Gaude & lætare filia Sion, quia diuina clementia eripuit te de periculo corporis & animæ.

CAPVT XV.

De gloria virginis Mariæ: & verba exhortatoria.

POst hæc in vigilia Assumptionis cum deuotissime orassem, subito incidit ori meo vt dicerem: Hæc sunt verba consolatoria quæ lingua noua loquitur: quia necesse est consolari animam turbulosam: & incidi in extasim & vidi visionem, quam dominicis diebus videre soleo. Vidi autem inter cætera Dominam meam consurgentem de solio suo glorioso & egredientem de magna illa luce, quam velut per ostium vidi comitante eam triplici illa multitudine fœminarum, quam in circuitu consistere videram. Proxime autem incedebant, quæ martyrij titulum in fronte gerebant. Post has, illæ quas viderã coronatas sine titulo. Tertio loco velaminibus albis decoratæ. Ad dexteram autem ipsius, vir quidã gloriosissimus & amabilis incedebat, sacerdotali stola insignis. Cumq; per modicum tempus ita in inferiori aëre cũ hoc sacro exercitu apparuisset, rursus in lumine de quo exisse visa fuerat, cum ingenti laude & gloria excepta est. Cumque expergefacta fuissem ab hac visione, cõtinuo hæc verba arripui: O glorioſum lumen in quo assidue assistunt omnes sancti amicti stolis albis, & dant gloriam de mercede sua sedenti super thronum viuenti in sæcula sæculorum. Rursus in die ad missam cum essem in spiritu, eademq; viderem quę & antea, voluebam in animo verba hæc: O glorioſa Trinitas, quæ sedens in sede maiestatis tuæ inspicis abyssos, & dinumeras cogitationes vniuscuiusq; hominis. His adieci: Aue Maria decus virginum Domina gentium, Regina Angelorum. Post hæc expergiscens in hæc verba prorupi: Te sanctum Dominum, & reliqua cũ versu. Et adieci: Dominus aperit nobis ianuã vitæ, si volumus certare contra durissimum diabolum. Omnia autem quæ dicta sunt, in die natiuitatis dominæ nostræ similiter vidi.

In sabbato post Assumptionem, verba hæc ex impro-

improuiso arripui. Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse nos vocauit in admirabile lumen suum. Vt si volumus pœnitentiam agere de malis actibus : accipiamus brauium quod in stadio acquiritur. Nolite negligere verba hæc, quia expediunt animabus vestris. Attendite diligenter quomodo creator admonet creaturam suam. Post hæc adieci: Ego consolabor vos dicit Dominus, & dabo vobis contra tristitiam gaudium spirituale, & ponam in corda vestra timorem simul & amorem. Si me timueritis, & mandata mea seruaueritis, veri discipuli mei eritis. Item moneo vos vt diligatis inuicem: cogitare debetis quomodo Deus prior dilexit vos, quando non pepercit vnigenito filio suo, sed tradidit illum pro vobis in oblationem, vt dragma illa quę perierat reperietur.

Ergo ad nos pertinet hoc prouerbium. Si diligimus Deum & habuerimus perfectam charitatem, & fraternam dilectionem adinuicem, inueniemus dragmam illam quæ perierat. Iterum moneo vos vt habeatis perfectam charitatem Dei & proximi, quia charitas est summum donum, amplum bonum, in quo pendet totus ordo perfectorum. Super omnia autem habere charitatem quod est vinculum perfectionis, & pax CHRISTI exultet in cordibus vestris : in qua & vocati estis in vno corpore & grati estote, verbum CHRISTI habitet in vobis abundanter. Item omnibus qui hic volunt viuere secundum sæculum, & non abstrahunt sua corpora à carnalibus desiderijs, sed omnia cupiunt adimplere quæ pertinent ad hunc mundum, valde metuendum est quod dicitur : *Nolite diligere mundum & ea quæ in mundo sunt, sed agite pœnitentiam de prauis operibus : quia ecce tempus prope est. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam quando Dominus venturus sit.*

* * *

CAPVT XVI.

Apparitio glorioſißimæ virginis cum præcurſore Domini.

IN decollatione sancti Ioannis Baptistæ cœpi videre grandem illam lucem quam velut per ostium videre soleo, & ex hoc anxia prostraui me totam in oratione, & rapta sum in extasim, & vidi B. Ioannem eodem modo quo antea eum viderã, & dixi in spiritu meo. Benedicat nos Deus pater, custodiat nos Ietus Christus, illuminet nos spiritus sanctus. Et subiunxi O clauis Dauid. Et adieci. Iste est Ioannes quem manus Domini consecrauit, matris in visceribus, cuius nos precibus adiuuari supplices deposcimus : iterumq; ad me rediens hæc verba protuli : Adiuua me Domine Deus meus : & adieci: *Gratia Dei sum id quod sum.* Dicunt etiam me dixisse: *Ne magnitudo reuelationum extollat me,* & non amplius.

In die ad tertiam, iterũ rapta in extasim, introspexi quasi per ostium & lucem illam magnam quam videre soleo & dominam meam surgentem de solio suo venientem contra me, in exteriorem hanc lucem. Eratq; cum ea beatus ille præcursor Domini Ego autem orabam deuotissime, eorumque patrocinijs me, & omnes familiares meos atq; locum nostrum studiose committebam : simulq; hoc petij, vt si me exaudirent aliquod mihi præberent exauditionis indicium. Continuo redierunt ad lucem vnde exierant, & coram maiestate magna prociderunt in facies suas quasi orantes, simulq; cum eis infinita agmina circumastantiũ. Tunc ego ab extasi expergiscens, in hæc verba soluta dixi: Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio O Beata & benedicta & glorioſa Trinitas. Ora pro nobis beatissima virgo Maria, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Omnes sancti Angeli Dei orent pro nobis in conspectu domini. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Mirifica misericordias tuas Deus, qui saluos facis sperantes in te.

Primi Libri Visionum S. Elizabethæ Virginis

FINIS.

LIB. II.

LIBER II.
SANCTAE ELIZABETHÆ VIRGINIS.

CAPVT I.

De apparitione crucis, Sancti Michaelis, Sanguinis & corporis Domini.

Signum crucis.

IN Exaltatione sanctæ crucis sæpe in extasi facta, vidi gloriosum illud signum crucis nimij fulgoris, non tantum in illa secreta regione lucis, sed & foris in inferiori quadam luce palam ostensum est mihi.

Michael archangelus.

In festo sancti Michaelis in primis vesperis cũ essem in extasi, vidi ante thronum maiestatis domini tres viros valde glorioſos stantes: quorum qui medius erat excellentior alijs apparebat, & turibulum aureum in dextera videbatur tenere: & dixi cum rediret ad me. Stetit angelus iuxta aram templi habens turibulum aureum in manu sua. In die ad missam vidi rursus eundem virum excellentiorem cum insigni vexillo incedentem comitante eũ turba copiosa. Ibi autem in circuitu throni cũ venissent ante conspectũ maiestatis, prociderunt in facies suas, atq; ita tribus vicibus factum est. In eadem missa cum accederent sorores ad communicandum, & ego adhuc à longe sederem propter imbecillitatem, introspexi in calicem, & vidi veram speciem sanguinis. Et cum

Sanguis Domini.

infunderent vinum distincte aspexi differentiam sanguinis & eius quod affusum est donec commixta sunt & vnus color sanguinis apparet. Die alia nescio qua, simile mihi accidit. Et videbam (sicut mos mihi est) omnia quæ foris circa altare agebantur in tempore missæ. Et dum sacerdos calicem benediceret, ecce columba quam videre soleo in altari pedetentim accedens, caput calici immersit, & continuo species sanguinis apparuit. Et nunc quidem rarum mihi non est videre huiusmodi.

Factũ est etiã in vna dierũ. Vt veniret quidam ex fratribus ferens in pyxide diuinũ sacramentũ dominici corporis, vt opus esse videbatur cuidã sorori infirmæ. Cũq; staremus in circuitu eius & ego & quædã sorores loquentes mecũ de eo, ecce subito cor meũ liquefactũ est pene raptum est in extasim. Et ecce claritas magna refulsit in pyxide: & introspexi, cũ tñadhuc esset clausa: & apparuit species veræ carnis in ea (dicens quidem ista contremisco, sicut & tunc videns contremui) Testis autem mihi est Deus quia nihil in omnibus his fingendo aut propriam gloriam quærendo locuta sum.

Corpus Domini.

CAPVT II.

De visione Cassij, Florentij Martyrum, & vndecim milium virginum.

ROgasti me per epistolam frater de patronis tuis scilicet martyribus Bonnensis Ecclesiæ Cassio & Florentio, vt in die natalis eorũ aliquid seruitij illis exhiberem, si forte & ipsi dignarentur se mihi ostendere: & feci quidé prout potui. Nam ad honorem eorum quinquaginta psalmos legi illo die post matutinas, vbi etiam insidiator meus candelam quam manu tenebam extinxit. Post hæc autem circa horam tertiam veni in extasim sine dolore: & vidi tres viros in regione luminis decoratos palmis & coronis in fronte rubore signatis. Stabant autem duo ex eis coniuncti adinuicem & paululũ segregati à tertio. Sequenti die ad vesperam cum solito more essem in extasi (sabbatum enim erat) rogaui dominum, vt iterũ illos tuos patronos mihi ostenderet: quoniã molestè ferebam, quod non distincte agnouerã qui essent illi duo de quibus rogaueras: quoniam tres videram. Et distulit Dominus exaudire me per tempus, ita vt metuerẽ contra voluntatem Domini id me postulasse. Et dixi tremens. Domine si voluntas tua vt fiat quod petij, fiat: sin autem, non fiat. Et continuo vidi duos viros amabiles valde, de cœtu martyrum procedentes cum signis supra memoratis; & venerunt vt starent in medium ante conspectum throni. Et ego cum lætitia expergiscens continuo hæc verba arripui: Isti sunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum dominatorem vniuersæ terræ.

Cassius Florẽtius

Post hæc in festo sanctarum virginum vndecim milium, vidi copiosam multitudinem virginum, quæ omnes erant insignes palmis victoriæ, & coronis in fronte signatis ac decora cæsarie spectabiles.

11000. virginũ.

CAPVT III.

Visio omnium sanctorum, Angeli boni, purgatorij loci, paradisi amœnitatis liberatarum animarum & liberationis, cuiusdam amici.

Omnes sãcti. IN Vigilia omnium sanctorũ ad vesperam, veni in quietẽ extasis. Tunc solito more visum est mihi, quasi raperetur spiritus meus in sublime: & vidi ostium apertum in cœlo, & tantam sanctorũ multitudinem quantã nunquam ante videram. Illud quoq; quod de sancta Trinitate tibi me dixisse memini, tunc mihi secundo intimatum est. In ipso autem die solemnitatis ad vesperam iterũ rapta in extasim, vidi coram me stantem quasi puerum amabilem valde, indutum veste alba & præcinctum, & dixi, quis es Domine mi? Et annuit vt tacerem: & dixi, Angelus Domini bonus qui fuit cum Iacob, ipse sit mecum in terra peregrinationis meæ, & benedicat vias meas Deus meus. Et continuo visa sum mihi in sublime extolli. Et audiui voces canentium carmen iucundissimum.

Angelus bonus.

Post hæc in die quo secundũ morẽ Ecclesiæ fidelium defunctorum cõmunis memoria agebatur, in tempore diuini sacrificij vidi quasi versus Austrum montem excelsum valde, & iuxta illum vallem profundã horribilẽ nimis. Erat enim plena atris ignibus: quasi obtectis & non valentibus emittere flammã in altum. Illic tortores spiritus innumerabiles vidi, & animas potestati illorũ traditas, quæ horrendo & flebili modo ab illis concutiebantur, trahebantur, & supra modum infinitis modis vexabãtur: formas quidem nec in his neq; in illis discreui, hoc tantum intellexi quomodo hi quidem torquebant, illę vero torquebãtur. Vidi autem procul hinc versus orientem ædificiũ valde glorioſum, quasi tribus muris circũdatũ, & variæ distinctiones mansionum in eo, & & splendor lucis immensæ omnia illustrabat. In circuitu aũt eius, arborum & herbarum & florum iucundissima amœnitas apparebat. Locus aũt qui medius videbatur inter hoc ædificium & vallem prædictam spinis asperrimis & quasi ambustis totus videbatur occupatus. Cumq; hæc aspicerem ecce copiosa multitudo candidæ plebis de valle consurgens per medium inuij illius dumeti, cum magna festinatione & multo conatu ad ædificiũ prædictũ tendere visa est, tãdemq; perueniens introiuit. Quidã aũt ex eis extra sentes viã elegerũt, & absq; labore peruenerunt. Factus est autem hic transitus pluribus vicibus & per interualla.

Purgatorius locus.

Paradisus amœnitatis.

Anima liberata.

Nolo etiã ignorare te frater de quodã ex amicis nostris quem tanquã patrem dilexi mus, quoniam in die anniuersarij eius, cũ feciſſem quædam pro eius liberatione quæ mihi per visionem demonstrata fuerant, vidi illũ tempore sacrificij in veste candida stantem coram me, & cum eo decorũ quendam iuuenem albis indutum & præcinctũ: cumq; deuote eleuasset manus, & oculos in cœlũ coram me quasi gratias agens, conuersus à me ibat cum comite itineris sui vsque ad ædificium illud quod supra descripsi. Et ego vias eorum obseruans, videre eos non cessaui quousque introierunt illuc. De visionibus autem sanctorum quid amplius tibi dicam, nisi quod singuli in suis natalitijs (vt dictum est) animam meam consolari dignati sunt.

Amicus quidam.

CAPVT IV.

Visio cœlestis Hierusalem & aliorum mysteriorum & sanctorum.

VIdi in Aduentu Domini ædificium quoddam præclarum vno muro circumdatum, & in medio eius turrim tantæ celsitudinis, vt cacumen eius cœlos penetrare videretur. Cumque sæpenumero id ita mihi appareret, accidit in vna Dominica cum ad me redirem ab extasi vt subito orationem huiuscemodi arriperem: Domine Iesu Christe pie & exaudibilis, ostende mihi indignæ famulæ tuæ quæ sit ista ciuitas quã demonstrasti mihi. Et continuo hæc verba responsionis in ore meo posita sunt: hæc est Hierusalem cœlestis quæ ædificatur vt ciuitas cuius cacumen pertingit ad cœlos.

Hierusalem cœlestis.

Post hæc imminente festiuitate Natalis Domini biduo ante festum diem præparabar ad solitos mentis excessus. Cum venisset autem vespera solemnitatis Natiuitatis tandem in quietem extasis deueni. Sensi autem me quasi in sublime eleuari, & vidi ostium apertum in cœlo: & venerabile illud arcanum quod in festiuitate omnium sanctorum videram, iam tertio tunc demonstratum mihi est. Cumque delectata fuissem in multitudine dulcedinis Dei mei, tandem ad meipsam rediens, in hæc verba continuo prorupi: Desiderans desideraui videre Dominum Deum saluatorem meum, & vidi, & ecce salua facta est anima mea. Eram autem pernoctans in oratione nec potui corpus meum dare sopori præ nimia claritate lucis quam tota nocte intuebar. Ostium enim illud quod antea sine mentis excessu intueri non poteram, continue apertum vidi in magna iucunditate: & lux eius decuplo clarior apparuit quam in præteritis visionibus. Cum autem fieret apparatus ad celebrationem prioris missæ quæ inter matutinale officium erat decantãda, vidi radium magnæ claritatis de sursum ab eodem ostio vsque ad altare oratorij protendi. Cumque inchoaretur liber generationis, ecce glorioſissima regina cœlorum multo exercitu Angelorum comitata per eundem radium descendens venit, & astitit à dextris sacerdotis habens coronam maximi ac iucundissimi fulgoris in capite. Cumq; finito Euangelio secundũ consuetudinem antiphona illa decantaretur quę est: O mundi Domina, eleuata est cum suo comitatu, & per prædictum radium lucis regressa est ad sedem suam. Ego autem cum toto illo tempore essem in extasi, eam tamen deuotissime inuocare non cessaui. Erant autem duo splendidi iuuenes qui per prædictum radium descenderãt, commorantes circa ministros altaris à princi-

Trina Deitatis arcanum

Claritas à summo tãgês ima

Virgo Maria.

pio

Angeli duo. pio missæ vsq; ad finem. In secunda quoq; missa alij duo. Stabat autem horum alter quidē ad latus sacerdotis, alter vero iuxta diaconum cū annunciaret Euangelium. Et de eo quidem quierat secus diaconum cogitabam intra me quoniam

Alii Angeli duo. ipse esset vnus ex diaconis nostris qui interfuit missæ, esset q; indutus alba; quòd quidem non erat) & staret ad ministrandum. Sed tamen ex hoc eram dubia, quoniam hic albus & crispus videbatur, ille vero niger erat. Tunc conuertit ad me faciem quasi indignans, & continuo verba hæc cordi meo infixa sunt. Ego sum Angelus testamē-

Spiritus sanctus. ti. Inter hæc omnia & columbam vide assidentem sacrificio dominico super altare.

CAPVT V.

De protomartyre, Euangelistis, agno Dei innocentibus & tribus regibus.

Stephanus. SEquenti die tempore diuini officij vidi beatum Stephanum Protomartyrem in superna claritate splendidum valde & insignem signis Martyrij & diaconatus. Eodem die ad vesperam

Ioannes Euangelista. vidi B. Ioannē Euangelistam stantem in conspectu throni, candidissimo amictu & stola aurea more sacerdotali decoratum. Respexi autem ad eum locum in quo quatuor Euangelistas videre consueueram, & tria quidem animalia vidi: locus autem aquilæ vacuus apparuit.

Agnus cādidus. Die Innocentum tempore diuini officij vidi montem excelsum & splendidum, & in cacumine eius agnū candidū & amabilē valde habentē signū dominicæ crucis in dorso. Sequebatur autem

Innocentes. eum multitudo Martyrum copiosa: cū palmis & coronis rubore signatis. Et cogitabam quidem apud me hos esse beatos illos infantes, qui occisi sunt pro Domino Iesu. Sed hoc in illis mirabar quod nulla infantiæ signa in eis apparuerunt. Omnes enim iuuenilis ætatis plenitudinem habere videbantur.

In Circumcisione Domini & Epiphania visiones vidi Dominicæ diei, sed euidentius in Epiphania. Tunc etiam in prima vespera vidi tres

Tres reges reges coronatos stantes ante thronum: & accedentes, adorauerunt flexis genibus ante filium hominis: & tollentes coronas de capitibus suis, obtulerunt eas in manus ipsius: rursusque eas, ab ipso receperunt. In die ad missam, rursus eosdem tres vidi adorantes coram Domino Iesu. Et munuscula nescio quæ lucida, in manus eius dare visi sunt.

CAPVT VI.

Apparitio sacratissimæ virginis Mariæ.

Virgo Maria. IN purificatione gloriosissimæ matris Mariæ ad missam per lecto Euangelio in extasim veni & vidi: & ecce domina mea per radium lucis descendens venit, & astitit à dextris sacerdotis: & iuxta eam vir grandæuus & venerabilis barbam habens canam & prolixam. Cumque sorores obtulissent luminaria in manus sacerdotis, regressa est ad superna. Et ecce copiosus exercitus in signum puellarum cum splendidis luminaribus, venit in occursum eius Factaque aliquantula mora in extrinseca hac luce, cum ipsa regressæ sunt ad altiora, sequentes eam cum gaudio. Eodem die ad vesperam cum essem in extasi, iterumq; eā viderem in superna gloria, inuocaui deuotissime auxilium eius. Et cum omni diligentia me & charos meos illi commisi, & in fine orationis adieci dicens. Domina mea, quid de te sperabo? Et respondere visa est, bonam gratiam de me sperare potes tu & omnes qui fiduciam habent in me Mirificauit Deus misericordias suas in me. Etiam frater mi ex quo nuper à me discessisti, & hæc fecit mihi.

CAPVT VII.

De rota, auicula, monte, scala, Eucharistia & sancto Gregorio.

ACcidit in prima dominica solemnis ieiunij in primis vesperis vt venirem in mentis excessum: & vidi rotam candidam in aëre mi-*Rota candida.* ra velocitate circumeuntem: & in summitate eius auiculam candidam, cum magna difficultate,

Auicula in summitate Montis excelsi. sese tenentem, vt non circūferretur impetu rotæ: & aliquoties quidē paululū à summitate ad inferiora delapsa est, iterumque reuisa est vt esset in summo. Atque in hunc modum diu laborabat, vicissim labens & resurgens. Post hæc vidi montem excelsum & amarum valde, & super illum delata est rota iterumque ibi circumferebatur vt prius, & auicula ei adhærens in suo labore perseuerabat. Eram autem vehementer admirans quid ista prætenderent, & cum magno desiderio postulaui à domino intelligentiam visionis. Et accepto aliquantulo intellectu, redii ab extasi: moxque hæc verba ex improuiso arripui: *Arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam.* Domine quis ibit per eam? Et subiunxi: Ille qui custodit vitam suam à carnalibus desideriis, & non habet dolum in lingua sua. Et adieci: Domine quid faciam ego? Et rursus hæc verba responsionis inciderunt ori meo. Si vis ambulare sicut ego ambulaui, considera vestigia mea, & noli te auertere ad dexteram neque ad sinistram sed sequere me, & sic peruenies: quia dixi, *ego sum via, veritas & vita: si quis introierit per me, saluabitur, & pascua inueniet.* Post hæc in secunda fe-*Scala supra rotam* ria rursus in extasim veni, & vidi prædictam visionem vt prius: sed & eo amplius, quia & scalam vidi supra rotam stantem, quæ tantæ celsitudinis erat vt cacumen eius cœlos penetrare videretur. Postes eius laterales lapidei videbantur & triangulares. Ascensoria vero diuersissimis ac pulcherrimis ab inuicem differebant interuallis. Id autē in memoria retinui, quod primū eorum candidum erat tanquam nix: secundum vero rubicundum tanquā ferrū ignitū. Post hæc die

Corpus mysticum Christi.

die altera rursus vidi omnia quæ prædicta sunt, & iuxta rotam speciem viri stantem cuius caput aureum videbatur, & capilli eius similes lanæ candidæ & mundæ. Oculi eius lucidissimi & decori valde: pectus & brachia quæ in modum crucis tenebat expansa, purissimum quendam nitorem habebant ad similitudinem argenti nitidissimi. Habebat autem in dextera ramum arboris viridem & iocundum aspectu. In sinistra vero lucidam rotam iris varietate distinctam. Venter eius æneus. Femora ex chalybe: crura ferrea. Pedes vero ter rei videbantur. Hæc omnia frequenter in tempore ieiunij mihi apparuerunt: factum est autem in dominica quæ erat

Gregorius

proxima post festum beati Gregorij, cum essem in extasi, & viderem visiones quas in dominicis diebus videre consueui, vidi egregium illum doctorem in supernis plenum gloria & claritate amabili, ad similitudinem gloriæ sanctissimorum episcoporum Martini & Nicolai. Habebat autem in capite quemadmodum & illos habuisse videram diadema quoddam venerabile: qualia à Pontificibus gestari dicuntur. Eadem quoque hora vidi prædictam visionem, & æstuabam desiderio magno cupiens intelligere quæ videbam præcipue quid significaret illa hominis species. Nam de cæteris intelligebam aliquid. Postulaui igitur à beato illo viro Dei deuotissime, vt impetraret mihi à Domino intelligentiam visionis quam desiderabam: & conuersus ad me, hæc verba mihi respondit. Non potes intelligere quid ista significent, sed dic doctoribus qui legunt scripturas, ipsi sciunt. Nunc igitur amantissime frater hunc tibi quæso laborem assume, vt scripturas diuinas scruteris & congruam ex eis interpretationem visionis huius coneris inuenire. Tibi enim fortassis à Domino reseruata est.

CAPVT VIII.

De aduentu iusti iudicis cum signis viuificæ passionis: de ijs qui à dextris & qui à sinistris: de Iuda, Pilato & crucifixoribus Domini: quædam secreta reuelatio.

ANTE Annunciationem Dominicam septem diebus ægrotaui, & iudici in lectum toto corpore languēs, ita vt pene nihil refectionis corpori meo possem adhibere. Permansi autem in hac valitudine vsque ad diem tertium ante festiuitatem. Eo die circa nonam cœpi habere in ore meo liquorem tanquam fauum mellis, cuius dulcore ita refecta sum, quasi cibum sufficientem accepissem: & confortata sum toto corpore & emisi sudorem copiosum, in quo permanebam vsque in sequentem diem. Et circa tempus missæ veni in mentis excessum: & visum est mihi

Dominus noster millios sanctorum.

quasi abstraheretur spiritus meus à corpore, ac subleuaretur in altum. Vidi autem in illo excessu meo cœlos apertos, & Dominum Iesum cum infinitis millibus venientem in regionem aëris huius. Et non erat ei species neque decor, sed tanquam recenter crucifixus fuisset, sic miserandus apparuit. Cumque demonstrasset vniuerso mundo crucem in qua pependerat, & vulnera passionis suæ quasi recenti cruore madentia, clamabat voce magna ac nimium terribili dicens. Talia propter te sustinui, tu vero pro me quid sustinuisti?

Duo agmina.

Assistebant autem ei duo diuersa agmina innumeræ plebis: vnum à dextris, alterum a sinistris: ijs quidem qui erant à dextris, lux immensa circumfusa videbatur: inter quos, præcipua apparuit virgo virginū, gloriosissima Dei mater Maria. Ibi diuersitates omnium Ecclesiasticorū gra-

Maria. Benedictus.

duum distincte perspexi: inter quos & venerabilem patrem nostrū beatum Benedictum cum sua monachali turba dinoscere delectata sum. Ijs autē qui erant à sinistris, tenebræ densæ & horribiles circumfusæ erant: ita vt eorum diuersitates discernere vix potuissem. Erat autē huius miserrimę plebis princeps magnus & horrendus ille rex superbiæ, cui proximi assistebant Iudas & Pilatus, &

Iudas. Pilatus. Crucifixores Domini.

crucifixores domini. Heu quantos ex clero, quātos etiā nostri viros ordinis & mulieres plenas cōfusione illic dignoscebam. Cumq; omnia perspexissem, dixit iudex omnium ad eos qui erant à dextris: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mūdi.* Ad eos vero qui erant à sinistris: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Et continuo illi cum iucundissima alacritate ad lucidas mansiones Dominum subsecuti sunt: hi vero tristitia & confusione pleni, cum suo patre principe dæmoniorum in profundissimas tenebras demersi sunt. Continuo post hæc redditasum mihi, & cum fletu copioso primum in hæc verba prorupi. *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi sunt & terra.* Et adieci: *Credo quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* In ipso autem die festiuitatis, cum iterum essem in excessu meo in tempore diuini sacrificij, præsentata est oculis meis passio saluatoris nostri, qualiter ab impijs veste nudatus, flagellatus est, &

Representatio passionis Domini. Beatissima virgo.

ad vltimum cruci affixus. Non autem omnia quæ circa eum in passione gesta sunt singillatim tunc vidi, quemadmodum postea in parasceue. Cumque hæc videre cessarem, vidi Dominam meam in superna claritate stantem & cuiusdam rei reuelationem ab ea accepi, quam nolo adhuc fieri manifestam.

CAPVT IX.

Visio ingressus saluatoris in sanctam ciuitatem & honoris à turba illi impensi.

POST hæc in festiuitate Palmarū. In primis vesperis cum dicerēt sorores responsoriū Ingressus Pilatus, & vsq; ad hoc verbū processissent, crucifigatur, stabam inter eas & in extasim veni; & vidi saluatorem quasi in cruce pendentem.

Rursus

Christus in cruce. Mons Oliueti. Saluator Hierusalem. Turba magna. Templum Salomonis.

Rursus in matutinis, similiter mihi accidit. In die ad missam cum inchoaretur passio Domini, iterum in extasim veni. Tunc vidi procul montem quendam amœnum, & descendebat ab eo saluator sedens in asino & veniebat versus ciuitatem quandam magnam. In ipsa autem radice montis, occurrit ei turba hominum paruorum & magnorum cum virentibus arborum ramis, & exuentes vestimenta sua, plurimi ex eis straeuerunt ea in via qua incedebat: & ibant cum eo exultantes vsque ad portam ciuitatis. Eratque ibi turba magna, & dabat ei locum: & venit per medium eorum vsq; ad templum: descendens introiuit & vltra eum non vidi: & redij & ad meipsam.

Rogaueram fratres meos diligenter vt illo die officium palmarum celebrarent in prato quod est ante conspectum nostrum, & non potuerunt propter inundationem riuulorum, sed retro Ecclesiam vbi videri à nobis non poterat, peregerunt. Et respexit Dominus desiderium ancillæ suæ, & vidi oculis mentis omnia quæ ab illis illic gesta sunt.

CAPVT X.

Mysterium à lotione pedum discipulorum vsque ad captiuitatem Domini.

POst hæc in Cœna Domini ad missam vidi sicut soleo omnia quæ circa altare gerebantur: & dum sacerdos canonem diceret, & calicem in conspectu Dei exaltaret, vidi supra calicem Dominum IESVM quasi in cruce pendentem & de latere eius & pedibus sanguis in calicem defluere videbatur.

Christus quasi in cruce.

Cum autem vespertinum tempus immineret, eram in sacello vbi mandatum ablutionis celebrandum erat: cumque inchoaretur antiphona quæ est: *Ante diem festum*, ego in vberrimas lachrymas cõfestim erupi, & rapta sum in extasim. Tunc vidi Dominum in eadem ciuitate quã in die palmarũ introierat, sedentem cum discipulis suis in domo quasi ad cœnandũ. Cumq; aspicerẽ, surrexit à cœna. Et ponens vestimenta sua, præcinxit se linteo: & accipiens peluim, incuruauit genua ante Petrum: & subito Petrus exiliuit, & stabat quasi territus: & Dominus sicut erat inclinatus, loqui ad cũ visus est: & post pusillum, rursus ille resedit. Et Dominus, singulorum pedes lauit: iterumque resumpto vestimento suo, recubuit: & sedebat, quasi loquens ad illos. Post hæc surrexit & egressus est cum illis de ciuitate, & ibat versus montem illum à quo eum descendisse videram. Post hæc vidi quomodo relictis discipulis secessit ab eis Dominus, & positis in terram genibus procubuit ad orationem, quasi in angustijs magnis constitutus. Vidi & pretiosas illas guttas sanguinis de sanctissima carne eius decurrentes in terram. Et post orationem redijt ad discipulos quos etiam dormitantes vidi. Et cum allocutus eos fuisset, iterum redijt ad orationem: atque hoc ter factum est. Tunc ego ad meipsam rediens, statim hæc verba in ore meo habui, factus Iesus in agonia prolixius orauit, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et adieci: In monte Oliueti orauit ad patrem meum, pater si fieri potest transeat à me calix iste. Et post pusillum, redij in extasim. Et vidi. Et ecce Dominus ab oratione rediens, assumptis discipulis venit in hortum.

Dominus in cœna & mysterium eius.

Christus orans fit in agonia

CAPVT XI.

Mysterium à captiuitate passionis vsque ad sepulturam eius.

ET post pusillum, venit Iudas cum cohorte armata. Et accedens, osculatus est eum: ij autem qui cum eo erant, retrorsum abeuntes ceciderunt in terram. Et surgentes comprehenderunt eum, & vsque ad ciuitatem vinctum, miserabiliter pertraxerunt. Discipulos autem ad latibula sua discurrere vidi. Tunc redij ab extasi cum huiusmodi verbis: Amicus meus osculi me tradidit signo, dicens, quem osculatus fuero ipse est, tenete eum. Posthæc tota nocte illa siue dormirem, siue vigilarem, videbam qualiter impij illi Dominum blasphemabant, verberando, conspuendo, colaphis & alapis cædendo. Et in extasim quidem non veni, sed totus sensus meus illic erat, & ad nihil aliud poteram intendere. Mane autem hora tertia veni in extasim, in qua permansi vsque circa horam sextam. Tunc vidi quomodo induerunt eum tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circumdederunt ei: & imponentes capiti eius coronam spineam, illuserunt ei. Et post hæc exuentes eum vestimentis illis, induerunt eum vestibus eius: & imposuerunt ei crucem, & duxerunt extra ciuitatem in locum quendam, quasi aratum, & nihil viroris habentem. Ibi eum denudantes, leuauerunt in crucem, & affixerunt. Similiter & alijs duobus fecerunt. Tunc expergefacta sum, & cum lachrymis vberrimis in hæc verba prorupi: Christus Dominus factus est obediens vsq; ad mortem. Et adieci: Vita in ligno moritur. Infernus exmorsu dispoliatur.

Captiuitas.

Deinde post modicũ tẽpus, ceperunt fratres officiũ Dei celebrare: & cũ processissent vsq; ad lectionẽ passionis, in extasim veniens, vidi iterum Dominũ in cruce. Inq; illa hora emisit spiritũ, & inclinata est ceruix eius: concidit amabile caput: cõplicata sunt genua: & omnia membra eius deorsum resederunt: sicque hærebat exanime corpus, miseratione dignum super omnia quæ humanus oculus miserab ilia vidit. Et quis putas frater interim erat dolor animæ meæ, cum viderem tantas passiones, tamq; indignas despectiones viri optimi & solius innocẽtis, qui nihil quidem pro se sed pro nobis omnia gratis sustinuit. Sed matrem Domini mei plenam mœrore & magna dignam miseratione vidi assistentẽ cruci cum discipulo quem diligebat Iesus. Nouissimè autẽ hoc quoq; vidi qualiter vnus ex impijs accurrens, lanceam lateri eius infixit: & continuo copiosus sanguis

Christus emisit spiritum.

sanguis pariter cum aqua emanauit. Et ecce caligo densa & horribilis super vniuersam terram orta est, & saxa per agros terribiliter concurrere & collidi & scindi visa sunt. Cumque quieuisset illa perturbatio, ecce quidam venerabiles viri accedentes soluerunt corpus à cruce, & detulerunt illud cum veneratione in hortum quendam viridem & iocundum: & circumpositæi munda sindone, locauerunt illud in monumento. Tunc demum ego resumpto spiritu, cum fletu amarissimo huiusmodi querelam arripui: Recessit pastor noster fons aquæ viuæ, in cuius transitu sol obscuratus est. Et adieci: Aue Maria consors martyrium, transgladiata crucifixi nati sanguine. Et adieci: Sepulto Domino, signatum est monumentum.

CAPVT XII.

Visio Angelorum ac matronarum: & quomodo Saluator discipulis apparuit.

Mysterium à sepultura Domini ad ascensionem eius.

POST hæc in sabbato ad vesperam cum essem in extasi, apparuerunt mihi venerabiles quædam matronæ quasi gestantes aromata.

In die Sancto Paschæ: cum iam diluceseeret, sedebam in loco orationis & legebam in psalmis. Cumque iam ad finem psalmorum appropinquarem, veni in extasim, & vidi hortum in quo erat monumentum, & lapidem ab ostio eius sublatum, & Angelos assidentes: & ecce matrona quædam veniens accessit ad monumentum plorans, & introspexit: & non inuento ibi corpore, quasi mœsta paululum recessit. Occurrit autem ei Dominus moxque illa substitit quasi interrogans aliquid ab eo, & post pusillum conuersa est, vt rediret ad monumentum: iterumque subito se conuertit, quasi vocata ab illo, & currens procidit ad pedes eius: cumque ipse disparuisset, surgens illa velociter cucurrit vsque ad domum vbi erant discipuli congregati, & nunciauit eis. Continuo post hæc cum paululum respirassem, vidi duas matronas venientes ad sepulchrum cum aromatibus: & vt viderunt Angelos, substiterunt quasi stupefactæ. Post hæc cum timore propius accesserunt: factaque ibi parua mora, discesserunt. Occurrit autem & illis Dominus in via: moxque illæ accurrentes prociderunt coram eo, & tenuerunt pedes eius: hoc autem, nequaquam de prædicta illa matrona visum est. Post hæc cum celebraretur missa, vidi duos discipulos properãtes ad sepulchrum: quorum alter quidem senior, alter autem videbatur esse iunior. Et hic quidem cum citius peruenisset ad sepulchrum, non introiuit. Senior vero cum peruenisset, statim introiuit: postea vero & alter. Et quid amplius requiris frater? Omnia penè quæ circa tempus illud gesta fuisse in Euangeliis leguntur, mihi demonstrata sunt. Nam & hoc vidi, qualiter duobus euntibus ab Hierusalem in Emaus, Dominus in specie peregrini se adiunxit: & quomodo cum peruenissent ad castellum & se fingeret discessurum ab eis, detinuerunt eum, & perduxerunt in domum: & cum sederet ad cœnandum & benedixisset panem & fregisset, statim locus eius in quo sederat vacuus apparuit. Satimque illi surgentes, venerunt cum festinatione ad discipulos, & nunciauerunt eis in domo in qua erant congregati. Eadem autem hora qua eis hæc annunciabant, apparuit Dominus stãs in medio eorum. Post hæc illud quoq; vidi, qualiter manducauit cum illis: eratque in mensa discus vnus habens piscem, & alter continens fauum mellis. Erant autem vestimenta eius in quibus eum post resurrectionem vidi, candidissima & species vultus eius hilaris valde, ac tantæ claritatis vt vix eam discernere possem.

CAPVT XIII.

Mysterium ascensionis Domini & missionis Spiritus sancti.

IN die Ascensionis Domini ad missam cũ essem in excessu meo vidi congregatos in domo discipulos, & matrem Domini cum eis: & intrauit ad eos Dominus, & cum accepisset cibum cum eis, eduxit illos de ciuitate vsque in montem. Et vidi qualiter coram eis eleuatus est. Et venit in occursum eius multitudo Angelorum, & sublenatus est in cœlum. Cumque illi starent & aspicerent in cœlum, apparuerunt duo splendidi iuuenes desuper venientes, & allocuti sunt eos. Statimque illi regressi sunt in ciuitatem & collegerunt se in domum vnde egressi fuerant. Tunc ego ad meipsam redij cum huiuscemodi verbis: Eduxit Dominus discipulos suos foras in Bethaniam & quæ sequuntur in Euangelio: & illud: O rex gloriæ virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti. *Ascensio.*

Post hæc in die Pentecostes ante celebrationem missæ, cum essem in extasi vidi rursus discipulos congregatos in domo supra memorata, & matrem Saluatoris inter eos. Et factum est dum sederent, apparuit supra singulos eorum quasi flamma ignis desursum descendens in impetu vehementi. Et continuo omnes vnanimiter consurgentes egressi sunt cum hilaritate & fiducia magna annunciare verbum Dei in populo. Hæc cum ita peruidissem: reddita sum mihi: moxque hæc verba assumpsi: Spiritus sanctus procedens à throno, Apostolorum pectora inuisibiliter penetrauit. Cumque inchoaretur officium missæ, rursus in extasim veni, & vidi quasi fulgidissimum radium lucis de cœlo vsque ad altare porrectum. Et venit per medium eius columba specio à quam videre soleo, ferens in ore quiddam rubrum quasi flammam ignis grandiusculum quam solebat. Et primum quidem super verticem sacerdotis expansis alis insedit. ibique ex eo quod in ore gestabat, quasi stillam vnam deposuit. Ministris quoque altaris quierant induti ad legendum, similiter fecit. Et post hæc consedit in altari. Cumq; redissem ab extasi, dixi magistræ nostræ vt commonerent sorores ad deuotionem orationis, sperans idipsum *Flamma ignis.* *Columba*

quod

quod & postea euenit. Cumq; finita missa accederemus ad communicandum, veni in extasin. Et dum singillatim communicarent, vidi columbam prædictam aduolantem: & ex eo quod in ore gestabat, per singulas distribuentem.

CAPVT XIV.

De sedente in throno cum exercitu in circuitu eius.

1. annus Visitat.

HAE sunt (frater) miserationes Domini: quas in primo anno Visitationis meæ operatus est in me. In hac autem secundi anni reuolutione eadem fere quę anno priore in festiuitatibus Sanctorum circa me accidere solebant, eueniunt. Et nonnulla præter hæc, quæ propter incredulos ex magna parte silentio præterimus. Aliquoties autem alteriusmodi verba quam solebant, reuertenti mihi ab extasi in ore ponuntur: ita vt in loquendo non meum sequar arbitrium, sed Domini, qui per os meum manifestas facit visiones, quas per modestiam à sororibus celare consueueram.

Laurentius.

Nam in festiuitate B. Laurentij visionem quam videram his verbis manifestaui: Vidi quendam nobilissimum diaconum Laurentium ante fores stantem, & palmam habentem, & corona eius rubea, & conuersus est ad me blande inspiciens. Similiter in assumptione beatissimæ Dominæ nostræ, cum ab excessu meo redirem, huiuscemodi sermonem coram omnibus subito arripui, dicens: Vidi supra cœlum cœli ad orientem multa millia sanctorum coronatorum, existimaui pluſquam centum quadraginta quatuor millia, qui omnes coronati sunt coronis aureis, vnusquisque secundum suam professionem: & in medio eorum thronum excelsum valde gloriosum, & in medio throni sedentem, cuius facies terribilis erat: & ex eo & de throno exibat splendor magnus quasi fulgur coruscans: ita vt præ nimia luce vix potuissem oculos leuare. Et circa thronum Angelos multos & quatuor animalia: hi omnes circumstetterunt, & præcedentes adorauerunt sedentem super thronum dicentes: *Gloria & honor & benedictio sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum.* Post hæc adieci: Salue sancta, salue pia & nobilis virgo Maria, tu enim mitis, tu suauis, tu adiutrix & consolatrix omnium in te confidentium. Adiuua me Domina mea Maria: quoniam confidit in te anima mea: ora pro me vnigenitum tuum redemptorem nostrum, vt perficiat in me opus misericordiæ suæ.

Sedens in throno.

Angeli. Quatuor animalia

In festiuitate omnium Sanctorum venit Angelus Domini ad me, & rapuit spiritum meum à corpore meo: & subito veni cum illo: & duxit me in altum ante ostium quod est in conspectu Domini: & introspexi: & vidi multa millia sanctorum coronatorum, astantes & ministrantes Deo: & in circuitu throni quatuor animalia. Angeli vero & Archangeli, Cherubim quoque & Seraphim steterunt ante thronum Dei: & procidentes adorauerunt, & clara voce dixerunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Similiter & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.

Sancti & chori cœlestes.

Viginti quatuor seniores.

Habeo & aliquid quod de Bonnensis Ecclesiæ consecratione quæ nuper facta est, tibi frater referam. Sicut insinuasti mihi per epistolam, orani Dominum & aperuit mihi vt solet oculos meos. In priori vespera exaltationis sanctæ Crucis & inter cætera quæ mihi monstrata sunt, vidi radium copiosæ lucis de cœlo vsque ad Ecclesiam illam, totamq; immensa claritate illustrantem. Necnon & Angelorum multitudinem in eodem radio descendentem vidi, ac toto tempore dedicationis inter ministros Ecclesiæ conuersantem. Tanta autem maiestate omnia replebantur, vt non absque pauore intueri possem, quæ gerebantur illic. Fui autem in hac visione, continue à vespertino tempore præcedentis diei vsque ad horam illam in qua dedicationis officium consumatum est. Vidi autem inter cætera quæ illic agebantur, te frater, pulpito in matutinis astantem, & vnam ex lectionibus legentem.

Radius lucis.

Angelorũ multitudo

CAPVT XV.

Specialis reuelatio cum increpatione cleri: & de præsepio Domini.

ACCIDIT vt quædam sororum nostrarum quæ morantur in Dierstensi cœnobio, migraret è vita. Nunciata igitur nobis morte eius, dum secundum consuetudinem pro remedio animæ eius afflictionem susciperemus, vidi Angelum Domini stantem secus magistram nostram, cuius ministerio opus Dei perficiebatur. Eadem quoque hora, & beatissimam Dominam nostram vidi quasi in regione inferioris aëris stantem, & respicientem ad nos. Completa autem afflictione nostra, eleuatus est Angelus vsque ad eam: & pariter ad superna redierunt.

Angelus Domini: Maria virgo.

Factum est in vigilia Natiuitatis Domini tempore matutini sacrificij, dum essem in oratione, aperuit Dominus oculos meos: & vidi in spiritu virum cuius desideraui præsentiam à longe properantem ad spectandum agonem passionis meæ. Qui cum iam instante vespertino tempore aduenisset, vidi Angelum Domini de sursum venientem, quasi in adiutorium mihi. Et cum stetisset coram me, dixi illi: Domine mi, lassa sum ad sustinendum. Et ait ad me: Confortare, consolare, noli deficere in via. Et post pusillum requieuit caro mea in extasi. Et sustulit me in spiritu in sublime, & contemplata sum iucunditatem quam præparauit Deus diligentibus se, quemadmodum anno priore. Cumque post longum excessum redirem ad me, continuo ori meo hæc verba affluxerunt: Descendit de cœlis missus ab arce patris: introiuit per aurem virginis in regionem nostram indutus stola purpurea, & exiuit per auream portam, lux & decus vniuersæ fabricæ mundi. Et illud: De occulta habitatione sua

Angelus Domini.

descendit filius Dei venit quærere & saluare eos, qui eum de toto corde desiderabant. Et illud: Venit Angelus Domini ad me, & rapuit spiritum meum sicut in festiuitate omnium Sanctorum prosecuta sum. Post hæc benedixi Dominum dicens: Gratias ago tibi Domine, qui misisti ad me Angelum tuum: qui consolatus est me in tribulatione mea: quia tu solus laborem & dolorem consideras.

In die vero ad maiorem missam, cum essem rursus in excessu meo ac deuotissime pro communi correctione Ecclesiæ Domini orarem, in fine orationis postulaui à Domino vt indicare mihi dignaretur, quænam esset voluntas eius super clero & monialibus non bona gradientibus via. Cumque oratione completa iam ad me redire inciperem, astitit mihi Angelus meus; & dixi ad eum: O dulcissime atque amantissime iuuenis, respondemihi ad ea quæ interrogaui à Domino. Et dixit ad me: Clama & dic: Genti peccatrici, populo pleno peccato, væ, væ vobis qui habitatis sub potestate diaboli: quiescite agere peruerse, discite benefacere. Sin autem, ecce ego Dominus mitto Angelum meum percutientem inter vos. Nisi conuersi fueritis à viis vestris iniquis & egeritis pœnitentiam ab operibus prauis, ego Dominus complebo indignationem meam in vobis. Nunc & illud silere non possum, quanta dignatione Domina mea cor meum lætificauit: dum essem in præfato excessu meo vidi illam à longe in domo quadam quasi iacentem in lectulo, & contrectantem manibus infantulum speciosum & amabilem nimis. Quem cum circumligasset fasciis albissimis, deposuit in præsepio quod iecus ipsam esse videbatur: & post pusillum recipiens eum, in sinu suo reclinauit.

Angelus Domini.

Virgo Maria.

Continuo post hæc vidi illam in regno claritatis tanquam reginam & Dominam. Inuocaui igitur eam solito more, & specialiter pro quodam familiari meo ipsam rogaui. Erat ille in ordine diaconatus, & frequenter eum adhortata fueram, vt ad sacrum ordinem sacerdotij ascendere non differret. Ille vero diuersas causas timoris sui prætendens, tam arduam rem aggredi nondum se audere fatebatur. In illa igitur inuocatione mea, dum eiusdem rei mentionem coram Domina mea facerem, hæc verba mihi respondit: Dic seruo meo, noli timere: fac quod facturus es & redde rationem de seruitio meo quod mihi facere debueras, & non fecisti.

CAPVT XVI.

Visio Euangelistarum, Angelorum habentium potestatem plagarum, & nonnullorum aliorum mysteriorum.

IN festiuitate sancti Ioannis Euangelistæ tempore diuini officij dum essem in lectulo meo propter infirmitatem, ibidem facta est manus Domini super me: & vidi amabilem illum sacerdotem Domini in conspectu throni stantem. Effudi itaque orationes ad ipsum, ac petij, vt mihi daretur videre aliquid eorum quæ ei in terra posito demonstrata sunt. Et continuo vidi quatuor animalia ibidem assistentia, secundum eum modum quo in Ezechiele descripta sunt: & rotam quadriformem coram eis. Post hæc cum iam ad meipsam redditura essem, vidi duos Angelos terribiles & plenos indignatione secundum faciem in inferiori aëre residentes: habebatq; vnus eorum gladium terribilem in dextera, extentum quasi ad percutiendum. Et dixi ductori meo, Domine mi qui sunt isti? Qui ait: Habent potestatem nocere terræ.

Ioannes Euangelista.

Quatuor animalia.

Rota quadriformis.

Angeli terribiles.

Post hæc in die Innocentum, vidi turbam magnam iuuenum candidorum, in monte excelso deambulantem, cum insigniis martyrij, quos præcedebat agnus candidus, crucis signum baiulans. Et aio ad ductorem meum: Domine qui sunt isti quos video hic? Et respondit: Sunt innocentes & immaculati, qui sequuntur agnum quocunque ierit. Et dixi: Domine quare isti plus quam alij? Et ille: Non solum isti, sed sunt & alij qui sunt innocentes & immaculati, etiam & virgines electi in Christo. Quare agnum plus quam aliud animal? At ille subiecit: Quia innocens agnus immaculatus & electus, occisus est pro salute humani generis.

Innocentes.

Agnus candidus.

In Epiphania quoque Domini, multiplicauit Dominus gratiam suam in me, & vidi in spiritu Dominam meam & paruulum eius quasi in domo quadam longe posita commorantes. Et ecce tres viri regalem habentes decorem introierunt illuc, & flexis genibus adorauerunt coram puero. Vnus autem ex illis proferens nummisma aureum magnum quasi imagine regia signatum, obtulit in manus ipsius. Similiter & alij duo accedentes munera sua in vasculis quibusdam reuerenter obtulerunt. Post hæc & nuptiæ illæ quæ factæ sunt in Cana Galileæ, repræsentatæ mihi sunt: & vidi rursus illic Saluatorem cum Maria matre eius inter conuiuas discumbentem, & hydrias sex ibidem positas. Insuper virginei corporis sui ablutionem quæ in Iordane celebrata est, Dominus ancillæ suæ præsentare aspernatus non est. Vidi enim qualiter cum sancto Baptista suo in aquas beati fluminis descendit: & baptizatus est ab eo: & qualiter columba de cœlo descendens, venit & requieuit in vertice ipsius. Et ego ab hac visione expergiscens, in hæc verba os meum aperui: In columbæ specie Spiritus sanctus visus est: paterna vox audita est: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.*

Virgo Maria & infans Iesus. Tres Reges.

Nuptiæ in Cana Galilææ.

Christi baptismus.

Columba de cœlo.

CAPVT XVII.

De infirma sorore, spirituali inunctione Elizabeth & nonnullis aliis.

POST hæc in festiuitate Purificationis in primis vesperis nouum quiddam & insuetum fecit mihi Deus: cum enim essem in excessu meo solito more & orarem in spiritu ad Dominum, ac Dominam

minam meam quam per ſpiritum intuebar ſalutatem, & deuotas coram ipſa preces effunderem, omnem orationis meæ tenorem ſorores quæ erant in circuitu meo palam audierunt. Ego vero cum rediiſſem ad me credere nolebam narrantibus hęc, quouſque eadem verba quibus in oratione vſa fueram per ordinem replicuerunt.

Infirma. Factum item eſt vt quædam ſoror annoſa infirmaretur apud nos infirmitate qua & mortua eſt. Accidit autem tertia die ante mortem eius: ſubito ita aggrauari infirmitatem, vt iam morituram eam exiſtimaremus: & accurrentes litaniam inchoauimus ſuper eam. Irruit igitur exceſſus mentis ſuper me & paulo poſt expergefacta, dixi: Inungite eam: nondum enim oleo inuncta fuerat. Hoc dicto ſtatim fui in ſpiritu. Rurſus autem poſt puſillum expergiſcens, antequam plene ad meipſam redirem: audientibus cunctis viſionem quam videram pronunciaui dicens: *Maria. Benedict.* Domina noſtra cum patre noſtro beato Benedicto deſcenderat, & neſcio quam ob cauſam ſtatim ad ſuperna redierunt. *Damones* Et nunc affuerunt hic ſpiritus maligni complures, quorum adhuc quidam veluti canes in circuitu noſtro ambulant, & tanquam vultures in tectis conſident. Stabant autem *Angeli.* ſecus lectum ſororis noſtræ duo Angeli & dixerunt ad illos: Diſcedite hinc: ſoror iſta adhuc viuendi ſpacium accepit. Cum hæc dixiſſem, & ex integro ad meipſam rediiſſem, neſciebam me reuelaſſe viſionem: & aduocans magiſtram, ſecreto cœpi narrare ei quæ videram: illa autem eadem omnia ſe ex ero meo audiuiſſe confitebatur. Poſt hæc die tertia cum eadem ſoror migraret è vita, in hora tranſitus eius vidi per ſpiritum eoſdem duos Angelos ei aſſiſtentes, & egredientem de corpore animam excipientes. Quorſum autem illam detulerint, reuelatum mihi non eſt. Cumque eſſemus orantes in circuitu funeris, vidi Angelum ſpecioſum quaſi puſillæ ſtaturæ in ſummitate feretri ſedentem: qui etiam motus inde non eſt cum vſque ad Eccleſiam fratrum aſportaretur, & vſque ad tempus ſepulturæ affuit.

Poſt hæc & me febris valida apprehendit, & deſideraui vnctionis ſacramentum. Eo autem tempore dominus Abbas profectus fuerat ad loca vicina, & expectabam aduentum eius. Quodam autem veſpere circa crepuſculum ſedente magiſtra coram me, accesſit vir quidam venerabilis & ſtetit in conſpectu meo: & exiſtimabam ipſum eſſe dominum Abbatem, & lætata ſum. Cumq; arguerem tarditatem eius, & morum duritiam, benigne ſuſcepit correptionem: & conſolatus eſt me, dicens nondum me eſſe morituram. Rogaui igitur, vt dominicam orationem & ſymbolum recitaret coram me, & poſtea me inungeret. Quod cum feciſſet, & ego ſingula verba ei per interualla reſpondiſſem, totum vnctionis ritum complere viſus eſt in me. Et data mihi benedictione, abſcesſit. Interrogauit igitur me magiſtra quæ verba mea omnia audierat, cum quo ſermonem habuiſſem. Et dixi: Nõne dominus Abbas preſens fuit & inunxit me? Illa autem neminem illic ſe vidiſſe teſtata eſt. Tunc ergo primum intellexi, viſionem ſpiritualẽ me vidiſſe.

CAPVT XVIII.

Quomodo ex graui infirmitate qua decumbebat inlecto, ab Angelo Domini repente curata eſt.

POST hæc imminente Feſtiuitate Annunciationis, incidi in languorem grauiſſimum: & biduo ante diem feſtum, in infirmitate iacebam. In ipſo autem feſtiuitatis die mane, ita aggrauatus eſt languor meus, vt venirent ad ſtratum meum ſorores ac dicerent litaniam ſuper me. Cumq; diſceſſuræ eſſent à me, interrogabant an eo die communicare vellem, ſicut & ipſæ facturæ erant. Ego autem renui dicens, non me aliquibus dignis operibus ad hoc eſſe præparatam ſicut ipſas propter inualitudinem corporis. Quæ cum inde triſtarentur ac diſcederent à me, venit Angelus Do- *Angelus* mini: & ſtans coram me poſuit manum ſuam in *Domini.* capite meo, & ait: Surge, & ſta ſuper pedes tuos. Liberata es ab infirmitatibus tuis. Accede ad communicandum: confortare & eſto robuſta. Ad hæc verba, ſubito omnis languor fugit à me, & per vniuerſum corpus meum ſuauiſſime alleuiata ſum: hocq; adiecit: Poſſibile quidem fuerat Domino paſſiones quas hactenus ſuſtinuiſti, leuiores tibi efficere. Sed quo melius tibi crederetur, affligi ita te voluit. Continuo ergo apprehenſis indumentis, ſurrexi de ſtratu meo: & deſcendi cum integris viribus & calore viuido, & veni hilariter in conuentum ſororum mirantibus vniuerſis, & feci quod mandauerat mihi. Eadem die, ipſa quoque Annunciatio Dominica præſentata *Annun-* eſt mihi. Vidi enim in ſpiritu Dominam meam *ciatio Dominí.* quaſi in conclaui quodam ſtantem ad orationem, & ſubito apparuit coram ea Angelus magnæ claritatis, velut alloquens eam. Illa autem viſo eo, expaueſcere viſa eſt: & poſt mutuam collocutionem, reuerenter ad eum ſe inclinauit: moxq; ille diſparuit.

Ante feſtiuitatem Palmarum die priori iam inſtante veſpertino tempore, ſtabam ſola in oratorio & eram intenta orationibus, & ecce radius co- *Radius* pioſi luminis repente de cœlo effuſus eſt ſuper *luminis.* me faciens mihi æſtum, quemadmodum ſol quando ſplendet in virtute ſua: & procidi in terram, & veni in mentis exceſſum. Sorores itaque venientes concurrebant ad me volentes ſubleuare caput meum à terra vt puluillos ſupponerent, & nullo niſu leuare illud potuerunt: & poſt puſillum, venit Angelus Domini & erexit me velociter, & *Angelus* ſtatuit me ſuper pedes meos, dicens: O homo *Domini.* ſurge, & ſta ſupra pedes tuos, & loquar tecum: & noli timere, quia ego tecum ſum omnibus diebus vitæ tuæ. Viriliter age & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum: & dices præuaricatoribus terræ: Hæc dicit Dominus: Sicut olim gentes crucifixerũt me, ſic quotidie crucifigor inter illos qui præuaricati ſunt in me in cordibus ſuis. Auertunt enim facies ſuas à me, & cor eorum longe eſt à me, ne videant & ne recogitent qualiter paſſus ſum, & quomodo liberaui eos in ſanguine meo.

Et dices ad eos: Redite præuaricatores ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Hæc cum dixisset, abiit. Ego autem signum feci sororibus, vt allatis tabulis ista scripto exciperent. Non enim aliud quicquam loqui poteram, quousque omnia secundum narrationem meam conscripta sunt.

CAPVT XIX.

Comminatio iræ Dei super populum, falsos religiosos, & iniquos pastores, & exhortatio ad pœnitentiam.

RVRSVS in ipsa die Palmarum tempore diuini officij cum similiter in excessum mentis venissem, erexit me Angelus dicens: O homo cogita quid sis, quia pulvis & cinis es & fragile figmentum. Audi me qui loquor tecum. Hæc dicit Dominus: Plena est terra iniquitate: & hic populus non populus meus, sed populus aduersarius mihi est. Obduratum est cor eorum, nec capiunt nec intelligere poterunt verba quæ locutus sum, sed recedent à me. Vę illis quia oppressi sunt à diabolo & obediunt illi: & inhonorant faciem meam cum prauis operibus suis: & obliti sunt Deum factorem suum. Et dixi: Domine mi, nescio quid dicam vel quid faciam, quia indocta sum in scripturis diuinis. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Qui enim habet dabitur illi, & qui non habet id quod habet auferetur ab eo.

Post hæc in secunda feria cum interessem matutinis posuit Dominus verbum in ore meo: Væ vobis hypocritæ qui abscondit is aurum & argentum, hoc est verbum Dei & legem Domini quæ est pretiosior auro & argento, vt appareatis hominibus religiosi & innocentes: intrinsecus autem pleni estis ingenio malo & immunditiis vestris, introeuntes ad sancta sanctorum, quod est altare Dei ad communicandum. Vere Dominus auertit faciem suam, ne videat holocautomata & sacrificia vestra. Tunc infœliciores eritis iis qui aspiciunt vos quasi speculum, cum considerant opera vestra mala, & scandalizantur in vobis. Pro certo scitote, quia lex peribit primum à sacerdotibus & senioribus populi in hoc tempore.

Item in quarta feria, cum sola essem in capitulo, veni in extasim. Et dixit Angelus Domini ad me: Et tu fili hominis dices ad eos qui habitant in terra: Audite populi: Deus deorum locutus est: Pœnitentiam agite, prope est enim regnum Dei: & conuertimini ad me in toto corde vestro, & ego Dominus conuertar ad vos & reconciliabor vobis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, in peccatis vestris moriemini, & mors deuorabit vos subito, & quasi nescientes: & miserabiliores eritis omni creatura etiam brutis animalibus: quia dum mortua fuerint, nihil vltra mali patientur, vos autem cruciabimini in igne æterno, vbi erit fletus oculorum & stridor dentium sine fine. Et dixi: Domine nescio loqui, & tarda sum ad loquendum. Et dixit: Aperi os tuum, & ego loquar: & qui audit te, audit & me.

CAPVT XX.

Exhortatio ad mundi huius amatores, & instructio ancillæ Dei.

IN Sabbato sancto ante Pascha, ibam ad capitulum & veni in extasim in limine cellæ: & circumfulsit me lux. Et assistens mihi Angelus Domini, ait: O miserrimi, qui thesaurizatis vobis thesauros in infernalibus pœnis. Nescitis quot nobiles, quot potentes peribunt in die iudicij, quot diuites & sapientes lugebunt? O mundi gloria, res misera: væ illis qui diligunt eam. Ego clamaui dicit Dominus, & iterum clamo: & quis est qui me audiat & contentiat consiliis meis? Cum autem clamaui, clamaui & dixi: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.* O homo quicunque es, dic tu, ecce ego: & dicetur tibi: Abnega teipsum: & factus obediens & humilis corde, veni & sequere me: & ego probabo si sis verax an non, & tu constans & perseuerans noli deficere in certamine. Qui enim bene certauerit vsque in finem, hic saluus erit.

In vna Paschalium dierum in meridie, cum vellem quiescere, attulit lectulo meo Angelus Domini, & dixit mihi: Noli contristari de iis quæ tibi solent euenire. Sufficit tibi gratia mea, quia non te deseram si tu ipsa velis. Obediens esse studę cum omni humilitate & lætitia cordis. Esto patiens contra omnia aduersa: noli te extollere in superbia, sed semper humiliare vt exalteris, nullum despicias: nullum contemnas: in omnibus bonum exemplum monstra. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum tanquam teipsam: & quod dedi tibi, dato tu aliis, vt & ipsi reficiantur: quia tu non haberes, nisi datum tibi fuisset desuper. Præter hæc & alia plura tanquam pater filium benigne instruendo, adiecit: quæ propter interuenientem soporem, heu à memoria mea elapsa sunt.

CAPVT XXI.

De throno Dei & quatuor animalibus ac rotis.

IN festiuitate sancti Marci Euangelistæ, vidi ostium apertum in cęlo & ex eo splendor magnus super me effusus est: & subito veni in extasim. Cumque essem in excessu, vidi ante thronum Dei (quemadmodum in festiuitate beati Ioannis Euangelistæ videram) quatuor animalia, singula habentia facies quatuor: quas, in hunc modum dispositas considerauit: facies hominis erat in anteriori parte quæ ad thronum respiciebat. In posteriori vero, facies aquilæ. In dextera, facies leonis: in sinistra facies vituli: habebant & alas senas, quarum duæ supra capita singulorum erec-

Thronus Dei.

Quatuor animalia

tæ

ctæ inuicem coniungebantur. Duæ vero expansæ erant, ita vt vniuscuiusque vna ala alterius tangeret alam. Duabus vero, velabant corpora sua. Erant autem plena oculis ante & retro. Apparuit & rota grandis & lucida, stans coram eis ante thronum, quasi complexa quatuor rotas: quæ ita inuicem connexæ erant, vt vnaquæque duas sibi vicinas ex parte complecteretur: & omnes, maiorem intrinsecus circulis suis contingebant. Erat autem spatium quoddam inter ipsas quatuor, circa medium punctum maioris, rubicundum quasi flamma ignis: & ex eo quasi scintillulæ quædam exire videbantur ac dispergi per omnes rotas, & quasi viuificari videbantur ex illo. Vnde in eadem hora menti meæ illud occurrit: Spiritus vitę, erat in rotis. Cumq; aspicerem, discesserunt ab inuicem animalia in quatuor partes: & singula eorum singulæ rotæ antecedebant.

Rota grandis. *Quatuor rotæ.*

Die quadam Dominica dum apud fratres missa celebraretur, prospexi forte per fenestram cupiens audire fratres concinentes gloriam Deo. Stabat autem forte in via vir quidam, vociferans ad alium & dicens: Vbi nunc tantum moraris diabole? Et continuo vidi sathanam in specie nigri ac deformis vituli stantem secus illum. Qua in re commoneantur fideles, ab huiusmodi malignis sermonibus abstinere.

Sathanas

CAPVT XXII.

De Eucharistia, Spiritu sancto, ciuitate Dei, iudicio & libris factorum cum bonorum tum malorum: & de vero die reuolutionis paschæ.

IN die Pentecostes suspensa erant quædam apud nos missarum solemnia pro comitis excommunicatione: sed non tamen consolationem suam, Dominus ab ancillis suis suspendit. Venit enim vnus ex sacerdotibus ad nos, ferens in capsella sacramentum Dominici corporis, vnde secundum morem eramus communicaturæ. Qui cum intro missus esset, & capsellam super altare quod intrinsecus apud nos est, deposuisset, vidi lucem magnam de cœlo egredientem: & directa est super illam in modum radij solaris, totamq; illustrauit. Sed & columba niuea per medium eiusdem lucis veniens, aduolare visa est, & resedit iuxta illam. Venit & Angelus Domini, & quasi deuotionis nostræ testis astitit secus altare, quousque omnes per ordinem communicauimus.

Capsa Dominici corporis. *Lux cœlestis.* *Columba* *Angelus Domini.*

In Dominica autem nocte ante festum Apostolorum Petri & Pauli, cum starem in loco orationis veni in extasin: cui libenter reluctata fuissem, si potuissem: & continuo astitit mihi Angelus Domini. Et dixit nostro sermone: O misera, cur hæc tam inuita pateris? Quam multi sunt qui libenter hæc sustinerent, si daretur illis consequi, ea quæ tu consequeris? Si non in præsenti hæc pateris, illic vtique patieris, vbi durius patiendum tibi erit, antequam videre merearis quæ nunc visura es. Et dixi: Domine mi, ex multa fragilitate mea prouenit mihi impatientia hæc: & si consolari me vis, Domine, quid mihi ostendes? Et ait: Veni & vide & contemplare iucunditatem quæ veniet tibi à Deo tuo. Et statim in sublime rapuit me in aërem excelsum, & introspexi per ostium claritatis & vidi solito more gloriam beatæ ciuitatis Dei. Rursus ad miserabile corpus reducta sum, & paululum respiraui. Iterum autem fui in spiritu, & vidi ante ostium illud prædictum, quasi stateram pendentem: & astabat illic Angelus meus habens librum vnum, & sathan habens librum alterum. Intellexi autem eum quem habebat Angelus esse librum iustitiarum mearum, sathan alterum vero esse librum delictorum meorum. Et impositi vterque librum quem habebat in statera. Et præponderare visus est liber delictorum. Stabat itaque Angelus quasi mœstus, & ait: Non ita erit, quoniam dolores plurimos & magnos pro dilectis suis sustinuit: & duras flagellationes sæpe suscepit. Et cum plura huiusmodi memorasset, ait: Differenda sunt hæc vsque in crastinum: mox reddita sum mihi, & cum lachrymis copiosis exclamaui: Ne intres in iudicium cum ancilla tua Domine, sed oro clementiam tuam vt ante mea dimittas peccata quam ad iudicium iudicare venias. Cumque nimia anxietate coarctarer, obtulit iterum se Angelus mihi. Et dixi ei: Domine quid faciam? Instrue me Domine mi? Qui ait: Esto obediens valde, humilis, patiens, & amabilis. Libenter sustine hæc quæ tibi eueniunt. Amplectere cum dilectione ea quæ operatur Dominus tecum: & ijs qui diligunt ea, & cunctis qui tuis sororibus commiserunt, & quibus promisso te obligasti, orationes impartire. Hæc cum dixisset, abscesit. Ego autem nihilominus in corde meo fluctuans, hæc apud me cœpi tractare, dicens: Nonne fiduciam multam semper habui in corpore Domini mei IESV CHRISTI? Nonne hoc est omnium peccatorum remissio? Illuc certe confugiam. Rogaui igitur magistram, vt misso celeriter nuncio postularet à domino Abbate quatenus in die crastina missam de sancta Trinitate celebraret & diuinum sacramentum afferret ad me. Metuebam enim me esse morituram illo die, propter verba Angeli quæ dixerat, differenda sunt hæc vsque in crastinum. Cum igitur sicut petieram missam celebraret, in ipso tempore sacrificij veni in excessum mentis: & vidi rursus stateram quam in vespere videram, & libros impositos. Venit ergo Angelus & fidelis procurator meus afferens quasi panem paruulum quasi in celebrationibus missarum sacerdotes vtuntur, & superiposuit libro iustitiarum: & mox quasi massam ingentem appositisset, velociter præponderare visus est libro alterius lancis. Ego cum lætitia expergiscens, exclamaui: Sancta Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, in manus potentiæ tuæ, in manus misericordiæ tuæ cõmendo spiritum meum, consilium meum, cogitationes meas, & omne corpus meum, vitam meam, finem meum, & omnes actus meos: semper sit benedictio tua super me diebus ac noctibus, & perducat me clementia tua in vitam æternam. Hoc quoq; adieci, quia communicatura eram: Domine non sum digna vt intres sub tectum meum,

Ciuitas Dei. *Statera pendens.* *Angelus cum libro* *Sathan cum libro* *Panis hostia.*

meum, sed saluam me fac & salua ero, quoniam laus mea tu es: non ad iudicium corpus & sanguinem tuum, sed ad remissionem omnium peccatorum meorum percipere merear. Eodem etiam tempore vidi in spiritu dominum Abbatem in Ecclesia fratrum salutare sacramentum deuote conficientem, & columbam sacrificio assidentem & claritatem luminis in circuitu. Post hæc venit ad me afferens mihi quod desiderauerам, & communione sancta animam meam consolata sum.

Sacramentum. Columba. Lux circumfusa.

Petrus. Paulus. Mater Domini. Statera.

Rursus in Vigilia Apostolorum ad Vesperam, vidi illos per spiritum in regione claritatis, & vna cum eis matrem Domini. Vidi autem & stateram eandem quam & antea videram, & impositi sunt libri. Erat autem multitudo dæmonum circa lancem vnam, & multitudo Angelorum circa alteram, & æqui ponderis esse videbantur. Tunc inuocaui Dominam meam & Apostolos cum angustiis magnis, quia indubitanter morituram me existimabam: & regressi sunt paulisper introrsus. Cumque iterum apparuissent, & ego non cessarem inuocare eos & alios complures sanctorum, præponderare visus est liber iustitiæ. Post hæc cum spiritum attraherem, venit ad me Angelus meus & dixit mihi: Datum est tibi spatium viuendi, emendatiorem fac vitam tuam. Et dixi: Domine mi, quid amplius faciam? Nonne cognoscis fragilitatem meam & quomodo amplius laborare non possum, quam facio? Tunc erudiuit me, & ad quandam carnis afflictionem me exhortatus est: de qua & ego apud meipsam, sæpe tractaueram. Et ego ad me rediens, dixi: Solue iubente Deo terrarum Petre catenas: & præter hæc alias orationes ad ipsum. Et adieci: Sancte Paule Apostole prædicator veritatis & doctor gentium intercede pro nobis ad Dominum qui te elegit. Et ad hæc addidi: Domine secundum actum meum noli me miseram & peccatricem iudicare, nihil enim dignum in conspectu tuo egi. Ideo deprecor maiestatem tuam, vt tu Deus deleas iniquitatem meam, quia de terra formasti me. Et hoc: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. In die ad Missam rursus apparuerunt mihi Apostoli & pariter cum eis Domina nostra. Tunc etiam per spiritum vidi fratres in Ecclesia ministrantes, & dominum Abbatem altari astantem, & casulæ qualitatem sororibus indicaui. Eodem die cum ad nos delatum esset diuinum sacramentum eandem visionem vidi, quam & in die Pentecostes.

Factum est etiam in vna dierum mensis Iulij, ego Elizabeth secesseram in locum semotum ac secretum & intendebam orationibus, & ecce Angelus Domini veniens coram me stabat & ait: Nunquid ignoras quoniam futuri anni pascha eo ipso die quo resurrexit Dominus celebrandum est, & annunciationis festiuitas in diem passionis incidet? Et silui, quoniam hæc vere ignorabam. Et subiecit dicens: Scito quoniam in tempore illo accepturus est sathanas potestatem à Deo concitandi homines aduersum seinuicem, vt mutuo sese interficiant. Sol rubore suffundetur, & tenebris obducetur: quod quidem non aliud erit, nisi multa sanguinis effusio, & immensa tristitia in populo Christiano. Post hæc coluber, saniei immissor, inuisibiliter homines interfecturus est, eritque tribulatio magna in terra: ita vt perpetuæ laudis debitor sit Domino, omnis qui vita incolumi euaserit. Si autem quæ post hæc cito ventura sunt tibi enarrem, scio quod præ timoris magnitudine subsistere non poteris.

Pascha. Annunciatio Dominica.

Secundi Libri Visionum S. Elizabethæ Virginis

FINIS.

LIB. III.

LIBER III.
SANCTAE ELIZABETHÆ VIRGINIS.

HIc est liber viarum Dei qui annunciatus est ab Angelo Dei altissimi Elizabeth ancillæ Christi & Dei viui in quinto anno Visitationis eius: in quo visitauit eum spiritus ad salutem omnium qui paternas admonitiones Dei grata benedictione percipiunt. Et erat in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto.

Ann. 5.

1156.

CAPVT I.

Visio prima.

FACTVM est in exordio quinti anni Visitationis meæ, iam appropinquante die festo Pentecostes, ego Elizabeth vidi in visione spiritus mei montem excelsum copioso lumine in summo illustratum, & quasi vias tres à radice eius ad cacumen vsque porrectas. Quarum vna (quæ media erat) in directum mihi posita, speciem habebat sereni cœli, siue lapidis hyacinthi: quæ vero à dextris mihi erat, viridis apparebat, & quæ à sinistris purpurea. Stabat autem in vertice montis contra viam mediam vir quidam insignis tunica hyacinthina indutus, & præcinctus ad renes baltheo candido: facies splendida erat vt sol: oculi vero in modum stellarum radiantes: & capilli eius tanquam lana candidissima: habebat autem in ore gladium ex vtraque parte acutum: & in manu dextra clauim: in sinistra vero, quasi sceptrum regium.

CAPVT II.

Visio secunda.

VIDI rursus alia visione in solemnitate Pentecostes, in ascensu montis eiusdem à sinistris viri præfati, secus vias prioris visionis, alias tres vias varietatem habentes huiusmodi: Vna earum quæ viæ viridi propinquior apparebat, amœna quidem erat, sed ita ex omni parte vepribus condensis vallata erat & obtecta, vt ab eis pungi necesse esset ambulantes per eam, nisi diligenter constricti & inclinati incederent. Apparuit & semita quædam delectabilis arcta, & quasi modicum trita, nihil habens veprium, sed ex vtraque parte iucundo gramine & floribus diuersi generis copiose vallata. Media autem inter has duas vna erat, ampliorem cæteris habens latitudinem, plana, & quasi pauimentum habens ex lateribus rubeis: quam cum diligentius aspicerem, Angelus Domini qui mihi assistebat, dixit: Viam hanc intueris & pulchra tibi videtur, & commoda ad ambulandum in ea, sed periculosa est, & facile labuntur incedentes per eam.

CAPVT III.

Visio tertia.

RVRSVS in octaua Pentecostes in tempore meridianæ quietis, subito aperti sunt oculi cordis mei sine carnis vexatione: sicut & in præfatis visionibus: & vidi iterum quæ prædicta sunt omnia. Adiecit autem Dominus ostendere mihi præter eas vias quas videram, alias quatuor, secus tres vias primæ visionis à dextris viri qui stabat in cacumine montis. Vna earum quæ proxima erat viæ purpureæ vsque ad medium montis, difficultatem magnam habere videbatur à veprium densitate quibus ex vtroque latere obsita erat: reliqua vero pars eius vsque ad summum floribus amœna, & ab impedimentis libera, sed arcta & modicum trita apparuit. Quæ erat proxima huic, arida videbatur, & in modum campi arati, glebis ingentibus aspera & viatoribus suis plurimum onerosa. Eram autem cogitans apud me de his duabus viis, quod difficilem haberent incessum & respondens Angelus qui mihi assistebat, ait: Si quis ambulauerit per vias istas, cauear ne offendat pedem suum: qui autem offenderit & ceciderit, si non surrexerit sed permanet, non videbit lumen æternum: reliquæ vero duæ quæ pariter cum his ap-

parebant, planæ & expeditæ erant, & aspectu pulchræ, candorem habentes quasi terræ bene tritæ in strata publica. Cumq; hærerem in aspectu earum audiui rursus Angelum dicentem : *Via iustorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum est.*

CAPVT IV.

Visionis primæ interpretatio.

Mons. *Lux.* *Viæ tres.* VISIONIS primæ sicut per Angelum accepi interpretatio est hęc: Mons excelsus, altitudo cœlestis beatitudinis est : lux in vertice montis, claritas est vitæ æternæ: viæ diuersæ in monte, electorum variæ ascensiones sunt, quibus ad regnum claritatis ascendunt. Via hyacinthina, diuinæ contemplationis studium est. Ambulant in ea, qui iugi meditatione & desiderio, in Deo & in cœlestibus mentis oculum figunt. Via viridis eorum est, qui in actiua vita perfecti & irreprehensibiles esse studeant, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela : qui dum transitoria (sed immarcesibile brauium supernæ retributionis) in cunctis operibus suis non attendunt, gressus mentis in viridi figunt. Via purpurea, ascensus beatorum martyrum est : qui in tormentis passionum iustitiam Dei per patientiam operantes, in purpura sanguinis sui ad diuinum lumen transire contendunt. Vir insignis supra montem, Christus est. Splendor vultus eius, diuinæ claritatis eius est signum. Oculi radiantes, serenus aspectus eius super electos. Capilli, lanæ albæ similes, antiquum dierum esse pronunciant, licet in nouissimis diebus secundum carnem sit natus. Gladius anceps in ore eius, terribilis iudicij sententia est, de ore eius processura, feriens reprobos duplici contritione corporis & animæ. Clauis in dextra eius apparuit, quoniam ipse est qui solus aperit ianuam vitæ, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Ipse quoque est, qui profunda mysteriorum Dei cui vult refert, & non est qui claudat: signat, & non est qui signaculum soluat. Sceptrum in sinistra eius, potestas regia est: quoniam & secundum humanam naturam se accepisse testatus est, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Tunica hyacinthina, virtutem indicat cœlestis contemplationis, quæ totam perfecte possidebat mętem saluatoris. Non enim vt cæteri hominum ad mensuram spiritum acceperat, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Baltheus candidus, inuiolabilis innocentiæ candorem in eo designat. Apparuit in via quæ Diuinitatis suæ contemplationem significat, quia sic eam vult manere in æternum, cum cæteræ permansuræ non sint. Non apparuit in omnibus & tamen erat in omnibus, quia singulæ significant virtutes, per quas iusti homines veniunt ad montem excelsum, vbi recipiunt, pro singulis virtutibus singulas mercedes, & in omnibus viis veritatis contemplandus est Deus.

Via hyacinthina. *Viridis.* *Purpurea* *Vir supra montem.* *Splendor.* *Oculi.* *Capilli.* *Gladius.* *Clauis.* *Sceptrum* *Tunica.* *Baltheus.*

* *
*

CAPVT V.

Visionis secundæ interpretatio.

Tres aliæ viæ. VISIONIS secundæ mysterium huiusce modi est: Tres viæ quæ à sinistris viri stantis in monte secus viam viridem apparuerunt, proprietatem exprimunt trium ordinum in Ecclesia videlicet coniugatorum, continentium & rectorum. Via vepribus vallata, vita est coniugatorum. Amœna apparuit via hæc, quia ab initio instituta est à Deo hæc vita : & si legitime obseruetur, pulchra & bene placens est in conspectu Domini : & ambulantes in ea, proculdubio in montem Dei ascendunt. Sed infinitæ sæcularium curarum sentes huic ex omni parte imminent, quibus pungi necesse est viatores eius, nisi & parce viuendo sese omnibus modis constringant, & coram Deo & hominibus se humiliando semper velut inclinati incedant. Via à vepribus libera & iucundis floribus vtrimque vallata, vita continentium est : horum etenim proprium est à curis & solicitudinibus vitæ præsentis mentem abstrahere, & sola quę Domini sunt cogitare, vt sint sancti corpore & spiritu. Arcta est via hæc, quia vt legitime & sapienter obseruetur, magnæ disciplinæ custodia coarctari necesse est gressus ambulantium in ea, ne forte secundum arbitrium proprium viuentes, aut in fornicationem labantur, aut cum fatuis virginibus, siue viduis delicatis quæ viuentes mortuæ sunt deputentur. Modicum trita est, quia respectu aliorum pauci sunt qui ingrediuntur per eam, pauciores qui perseuerant in ea : floribus diuersi generis delectabiliter vndique vallata est, quia omnia virtutum genera, continentium vitam adornant. Via media inter duas prædictas latior illis, via rectorum est : ea enim cum sit instituta ad regendam vitam coniugatorum siue continentium, siue vtrorumque, minus illis coarctatur & liberius arbitrium habet propriam voluntatem exercendi, ac per hoc facilius in ea lubricant gressus ambulantium per eam : quod & ipsa eius planities apte significat. Propter quod & periculosa dicta est, quia tam multi in ea labuntur, vt in ipsa paucissimi stabiles inueniantur. Quod autem quasi pauimentum habere visa est ex lateribus rubeis, quæ sunt in terra ignibus cocta, solicitudinem significat prælatorum, qua circa subditos, mentes eorum iugiter decoqui necesse est, quibus & animæ & corporis procurationem debent.

Quasi pauimentū.

CAPVT VI.

Visionis tertiæ interpretatio.

VISIONIS tertiæ interpretationem, cum ab Angelo instructore meo scisciterer, dixit ad me : Ecce incepisti librum viarum Dei sicut propositum tibi fuerat. Hæc idcirco dicebat, quoniam anno priore, die quadam cum essem in spiritu,

tu, duxerat me quasi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium, & introiuimus illuc. Et ostendit mihi congeriem magnam librorum illuc depositorum, & ait: Vides libros istos? Omnes adhuc ante diem iudicij dictandi sunt. Eleuans autem vnum ex eis dixit: Hic est liber viarum Dei, qui per te reuelandus est, quando visitaueris sororem Hildegardim & audieris eam. Et ita quidem impleri cœpit continuò cum ab ea rediissem.

Libri dictandi.

Hildegardis.

CAPVT VII.

Declaratio quatuor Viarum Dei quæsint.

EST autem quatuor viarum quæ in tertia visione monstratæ sunt, significatio hæc: Prima quæ erat vicinior viæ purpureæ in inferiori parte dumetis aspera, in superiori autem expedita & florida, vitam significat eorum qui legitimè in sæculo viuentes, in curis rerum mundanarum dies suos dimidiant, ac deinde ad floridam & expeditam continentium transeunt vitam: eorumq; regula se constringẽtes, pariter cum illis in montem Dei ascendunt. Via arida & glebis aspera, durissimum illud genus vitæ est, quo incedunt sancti eremitæ, & nonnulli in societate hominum conuersationem habentes: qui carnem suam supra humanum modum macerant & exsiccant ieiuniis, vigiliis, genuflexionibus, flagellis, cilicio, & grauissimis quibuslibet afflictionibus. Omnia huiusmodi quasi glebæ asperrimæ sunt, & multo conatu ac vigilantia opus est ambulantibus per viam hanc, ne forte in nimia eius asperitate offendant, & grauius cæteris corruant. Duarum viarum quæ simul cum ijs quæ descriptæ sunt apparebant, vna (vt dictum est) magis trita & expeditior visa est, de qua locutus est instructor meus dicens. Per hanc viam incedunt sanctæ animę infantium quæ in sacro baptismate sanctificatæ sunt & infra septennium è vita discedunt. Qui quoniam sæculi malitiam experti non sunt, expedito & liberrimo gressu ad regnum Dei perueniunt. De altera vero ait: Adolescentium via, est hæc, qui paulo tardius illis incedunt & idcirco minus trita & expedita apparet illorum via.

Ecce sunt visiones & interpretationes earum: qui aperuit oculos meos vt viderem visiones Dei, ipse proculdubio per Angelum suum sicut placitum fuit ante ipsum, in hunc modum intelligendas esse demonstrauit.

CAPVT VIII.

Alia visio.

FACTVM est autem in festo beati Iacobi cum essem in spiritu & viderem visionem viarum Dei, rapta sum in sublime & quasi in vicino monte Dei, contemplata sum. Et ecce lux illa immensa quæ montis verticem occupabat, per medium scindi visa est: & introspexi per eam, & vidi sanctorum multitudinem, cui æstimari non poterat numerus. Et ait ductor meus ad me: Conspice & vide & cõsidera omnes quos vides. Hic vides Martyres, sanctos Episcopos & Confessores Domini, virgines, cœnobitas vtriusque sexus, viduas, & sæculares coniugatos, & continentes, nobiles & ignobiles, omnes regnantes cum Christo. Hi ambulauerunt vias Domini, vias sanctas quas vidisti, & peruenerunt & perceperunt immarcessibilem gloriam à Christo Domino cum Angelis eius. Consideret nunc vnusquisque viam suam, quod si iniuste ambulauerit, corrigat seipsum cum humilitate & charitate, & obedientia, & dirigat viam suam. Quod si peruenerit, recipiet præmium æternum.

CAPVT IX.

De via contemplatiuorum, Sermo primus.

ERAM post hæc quiescens in lectulo meo, nec adhuc somnum cœperam, cum repente visitauit me spiritus Domini, & repleuit os meum sermone huiuscemodi: Attendite nunc ergo vos qui renunciastis sæcularibus desideriis, & elegistis vt sequamini vestigia eius qui vos vocauit in admirabile lumen suum, qui & ipse vos nominauit sibi filios electos, & constituit vos in fine sæculorum iudicare filios Israël. Cogitate apud vos quomodo viuatis cum humilitate & obedientia & charitate, sine murmuratione, & sine detractione & inuidia, & sine superbia & ab aliis vitiis abstinete vos. Diligite vos inuicem vt non blasphemetur Pater vester cœlestis in vobis, & irritetur & pereatis de via iusta, id est de via cõtemplationis eius. Tunc persecutus est Angelus Domini sermonem in hunc modum abiiciens. Si enim sunt inter vos lites & dissensiones, detractiones, murmurationes, ira, odium, inuidia, extollentia oculorum, appetitus inanis gloriæ, vaniloquia, scurrilitates, ventris ingluuies, somnolentia, carnis immunditia, ociositas & similia in quibus ambulant filij huius sæculi, quis locus erit Diuinæ contemplationi in vobis? Rursus adiecit, dicens: Sermo Dei ad vos qui in clero, siue in monastica professione Deo militare decreuistis. Optimam partem elegistis, attendite ne auferatur à vobis. Abstinete vos cum omni diligentia à viis eorum qui speciem religionis vestrę foris portant, virtutem autem eius factis negant: labiis Deum honorant, moribus autem blasphemant. Scientiam legis quidam ex eis inquirunt, sed fructum eius non percipiunt: dorsa vertunt veritati, & tamen in via contemplationis se ambulare gloriantur. Legem Dei & iustificationes eius, superbiæ & auaritiæ suæ & voluptati deseruire faciunt, & ex eis quæ sunt Iesu Christi diuitias & honores impudenter acquirunt, & immunditias fouent. Sanctuarium Dei & reuerenda Angelis loca cum superbia & pollutione intrant, & adorandas sacramentorum Christi munditias, irreuerenti ministerio & illicito corde exhonorant, arguentem irridẽt, maledicto & persecutione contristant. Qui meliores sunt in eis, abominabiles sunt

& ipsi coram Domino. In vestitu humilitatis ambulant, sed cor eorum longe est ab ea. Orationes multiplicant, sed hæc quid prosunt, dum in cordibus suis Deo contradicunt, dum fraternam charitatem negligunt, alterutrum inuident & detrahunt, & de prælatione contendunt? Mundi contemptum profitentur, sed ea quæ sunt mundi venerantur & impudenter ambiunt, & omni vento propriæ voluntatis circumferuntur. Patrum instituta abijciunt, negotijs sæculi se ingerunt, & scandalis Ecclesiam replent. Propter hoc ecce contemptum patitur religio, & fides scissuram. Et quid addam facere eis dicit Dominus? Ecce clamo post illos, & non auscultant: vocem commonitionis meæ quasi calce repellunt: visito illos per inauditam gratiam, & visitationem suam non agnoscunt, insuper & irrident. Percutio eos, & non dolent: præcipito eos, & non expauescunt. Vę illorum, væ horribile, repositum est apud me. Ecce veniet cito, & quasi repentinus torrens irruet super eos, & deuoluet in perditionem quos absque pauore inuenerit. Vos ergo populus meus, populus non fictæ religionis qui posuistis in corde vestro mundum expugnare, cœlum mente gerere, vos inquam declinate ab ijs qui eiusmodi sunt, & ne sitis participes eorũ. State in via visionis quam elegistis, & mundate oculos cordis vt subleuare eos valeatis in contemplationem lucis quam inhabitat vita & redemptio vestra. Quæ autem oculos cordis emundant vt ad verum lumen subleuari possint, hæc sunt: Sæcularis curæ abiectio, carnis afflictio, cordis contritio, frequens & pura delicti confessio, & lauacrum fletus: & cum foras missa fuerit omnis immunditia, sursum ista eos extollunt: meditatio admirabilis essentiæ Dei & castæ veritatis inspectio, oratio munda & valida, iubilus laudis, & desiderium ardens in Deum. Amplectimini hæc & in his estote, & occurrite viuifico lumini, quod tanquam filiis vobis se offert, & mentibus vestris se vltro ingerit. Abstrahite corda vestra à vobismetipsis, & date ea in hæc quę audistis, & implebuntur splendore deifico: & eritis filij lucis & tanquam Angeli Dei, qui non cessant inhiare creatori suo: & contemplationis vigorem in suam refundere originem. Filij Adam, num parum vobis videtur filios Dei fieri? Et quare faciem vestram auertitis à contemplatione vultus eius qui dedit potestatem talem hominibus, vobis singulariter qui pacifici esse elegistis in mundo & conformari Angelis in terra. Vos estis lucernæ ardentes, quas constituit Dominus in monte sancto suo illuminare verbis & exemplis vestris tenebras mundi. Videte ne lumen quod in vobis est, euacuetur à vento superbiæ & cupiditatis, qui parentum vestrorum lumen in paradiso exufflauit: declinate aurẽ vestram filij pacis à clamoribus mundi, & date silentium spiritui qui loquitur in vobis. Sabbatum perenne Domini in cordibus vestris agite, & requiescet super vos pax Dei quæ exuperat omnem sensum, & delectabimini in multitudine suauitatis eius. Nolite commoueri neque concidat mens vestra, si spernit vos mundus, & tanquam mortuos & steriles vos æstimat. Si doloribus & ærumnis & paupertate attenuatur vita vestra, ne contristemini, neque deflectatis oculos ab aspectu eius luminis quod est ante faciem vestram. Ecce enim prope est vt euanescat hic mundus, & flos eius intereat, & vos iudicabitis amatores eius & superborum colla calcabitis: videntes obstupescent super gloria vestra, cum reuelabuntur diuitiæ vestræ, quas thesaurizatis vobis in cœlo: tunc euacuabitur quod imperfectum est contemplationis vestræ, & suscipiet oculos Aquilarum suarum facies lucis æternæ, & tanquam flumen inundans hic redundabit fulgor eius in corda hominum qui exquisierunt eam in veritate. Nondum verba hæc finierat Angelus qui per vices mihi loquebatur, cum incidit mihi dubitatio quædam de distinctione viarum Dei quæ descriptæ sunt. Et interrogaui eum dicens: Nunquid Domine mi, nos cœnobitæ sumus in via contemplationis, cum sumus in via continentiæ? An esse potest vt simus in vtraque? Et ait: Communis est vobis via contemplationis cum clericis, sicut illis communis est vobiscum via continentiæ. Scito tamen quod multi sunt in via contienentię, qui in via contemplationis non sunt. Et sunt multi clericorum qui neque in via contemplationis neque in via continentiæ ambulant, & hi infœlices sunt. Arbitrantur tamen in via contemplationis se esse cùm non sint. Rursus adieci dicens: Et quid dicemus de Pontificibus & Præpositis & huiusmodi magnis Ecclesiæ Prælatis? Et respondit mihi in hæc verba: Superbia regnat in cordibus Prælatorum & magnorum, & repellunt Deum à cordibus suis, qui non vult quiescere nisi super humilem & quietum, & trementem verba sua. Præcepit enim olim saluator discipulis suis dicens: Qui vos non receperint, exite, & excutite puluerem de pedibus vestris in eorum testimonium. Et quid putas de Deo saluatore & conditore vniuersæ creaturæ qui eum non recipiunt sed repellunt à se, quid facturus sit illis cum adhuc venerit? Proculdubio mittet eos in ignem æternum, vbi erit fletus oculorum & stridor dentium. Quid proderit tunc eis superbia & diuitiæ? Et consumatis omnibus sermonibus his, in die qua B. Michaëlis memoriam agebamus, iterum se mihi præsentauit, & allocuta sum eum dicens: Nunquid Domine mi fecure affirmare poterimus omnes hos sermones ex te processisse? Hæc idcirco dicebam, quia ex parte verba ista protulerat, ita tamen vt faciem eius non viderem: ex parte vero per os meum in spiritu fuerant pronunciata. Ille igitur cum magna seueritate me intuens, ait: Crede ex toto corde tuo verba hęc quę descripta sunt, de ore meo processerunt. Beatus qui legerit & audierit verba libri huius, quia vera sunt & à veritate nunquam declinant.

Deiverba iuns hac.

Qua est via contemplationis.

Qua continentia.

CAPVT X.

De via actiuorum, Sermo secundus.

ALIVM quoque sermonem continuo inchoauit his verbis dicens: Admoneo eos qui in sæcula-

ſæcularibus curis oppreſsi ſunt, aliquando cogitare quæ ſunt præcepta vitæ id eſt diligere Deum & proximum ſicut ſeipſum: non occidere: non furtum facere: aliena non concupiſcere: hæc & alia quæ in lege Domini ſcripta ſunt, cum omni diligentia obſeruare, & ſcire poſſunt ſe regnum Dei poſſe intrare. Si ad altitudinem contemplationis ſe non valent erigere, legitimarum actionum officia ſtudeant adimplere. In mente habeant timorem Domini ſemper, & ipſe diriget vniuerſa opera eorum. Domum orationis cum reuerentia frequentent, & cum oportuerit de facultatibus ſuis honorent. Sacramenta Domini in fide & humilitate venerentur, & verbo Dei libenter aurem accommodent. Sanctificatos Dei miniſtros omni honore dignos exiſtiment, & diſciplinæ eorum cum manſuetudine acquieſcant. Vnicuique quod iure debent, pacifice exhibeant, nemini dantes vllam occaſionem querelæ: & cum iniuriati fuerint, tolerent, ſeruantes vindictam iudici vniuerſorum. Sermonem veritatis in tempore ſuo conſtanter loquantur, & pro iuſtitia laborem ſubire non recuſent: pupillam & viduam, & eum cui non eſt adiutor, in oppreſſione defendant, & anguſtiis eorum pia conſolatione occurrant. Eſurientem & ſitientem reficiant: nudum operiant: hoſpitem colligant: infirmum & incarceratum viſitent. Dent mutuum gratis, & quæcunque ſunt miſerationis & iniquitatis opera ſectentur. Prudentiores, indoctos erudiant: errantes & praue ambulantes, ad veritatem & iuſtitiam reuocent: & diſcordias inter fratres compeſcant: fugiant ebrietatem & crapulam, & carnis immunditiam: iocos vanos & peccata ſermonum & ocioſitatem, & veſtimentorum arrogantiam, & ſpinas curarum ſicut iubet ſermo diuinus omnem ſolicitudinem proiicientes in Deum, & carnis afflictionem non negligant: dico autem ijs qui operibus neceſsitatis inſeruiunt: operamini opera veſtra corde bono & ſimplici, ſine murmuratione, ſine vaniloquio & ne quis grauetur per vos: & vt neceſsitatem patienti ſubuenire poſsitis. Cauete autem ab omni auaritia. Hæc enim agit vt doloſa ſint opera veſtra, & vt defraudetis proximos veſtros & mentiamini & periuretis nomen Domini, & congregetis pecunias iniquas quæ mergunt in interitum poſsidentem eas. Vos qui in ſublimitate eſtis, nolite ſuperbe agere in eos qui eiuſcemodi ſunt: neque opprimatis eos iniquè ſed magis defendite, & in omni benignitate cuſtodite & pacem inter vos firmate: quia in hoc poſiti eſtis à Domino. Hæc eſt via Domini recta & pulchra via actionum ſanctarum. Qui ambulauerit in ea vſque ad finem vitam inueniet, & requieſcet in monte ſancto Dei: & ſors eius cum filiis lucis.

CAPVT XI.

De via Martyrum, Sermo tertius.

DIES feſtus agebatur & eramus aſsiſtentes diuino officio, cum ex conſuetudine apparuit Angelus in conſpectu meo. Cumque de mora eius ſolito longiore delicta mea coram ipſo culpaſſem, dixi ad eum: Placeat nunc Domine mi, vt & tertiæ illius viæ quæ eſt ſanctorum Martyrum diſciplinam nobis inſinues: neque ab hac tua benignitate propter aliqua delicta compeſcaris. Tunc aperiens os ſuum, locutus eſt dicens: Agnus Chriſtus procedit coram ſanctis Martyribus, & ipſi ſequuntur eum cum palmis & coronis congaudentes ei cum triumpho nobili. Et ipſe Chriſtus apparet in eis quaſi ſpeculum & exemplar & decor glorioſus. Multæ paſsiones ſunt, per quas oportet filios Dei coronari: & nemo coronabitur, niſi legitimè certauerit. Audite hæc & corde percipite, qui perſecutionem patimini propter iuſtitiam: ite gaudentes per viam nobilem, viam bellatorum Domini purpuratam cruore ſanctorum & agni. Nolite ingemiſcere, neque aſcendat in cor veſtrum murmur contra Dominum quaſi derelicti ſitis ab eo, & tanquam nouum aliquid accidat vobis: legite ſcripturas Spiritus ſancti, & recogitate dies antiquos. Omnes quotquot fuerunt ante vos in via hac qua ambulatis, Deo placuerunt in laboribus ſuis: & per multas anguſtias tranſierunt in latitudinem libertatis gloriæ filiorum Dei. Primus agni præcurſor Abel, ſub manu fratris iniqui, ſanguinem ſuum fudit in terram, coram Domino teſtimonium innocentiæ fidelis Abraham pater fidelis populi, de idololatria ſolicitatus eſt à gente iniqua, & elegit diſſolui incendio magis quam peccare in ſuum Deum, & per manum Domini eductus eſt de Hur Caldeorum. Ioſeph cum eſſet amator innocentiæ & accuſaret crimen fratrum apud patrem, venditus eſt alienigenis. Et iterum cum nollet conſentire iniquitati adulteræ, carcerem longi temporis placita mente ſuſtinuit. Serui veritatis, Prophetæ Domini, contra præuaricatores legis vſque ad mortem dimicauerunt, & per paſsiones multas conſumati ſunt. Pueri Domini in Babylone, ſuperbi imperio quem tremebat omnis terra cum fiducia contradixerunt, & dari ignibus horrendis elegerunt magis quam ad contumeliam creatoris genua curuare ante creaturam. Daniel Deo amabilis eo quod dediſſet honorem Deo patrum ſuorum, leonum dentibus traditus eſt. Copioſus eſt ſanctorum numerus, qui ante ſaluatoris aduentum laudabilis ſufferentiæ exempla dederunt, & morte ſua mortem Domini præcurrerunt. Vltimus omnium erat innocens baptiſta, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit, qui & ipſe pro teſtimonio veritatis capite minoratus eſt, & datus puellæ in precio ſaltus: ita decebat fieri & placitum erat ante Dominum, vt non tantum ſanguis agnorum & arietum & aliorum animalium ſanguini agni qui pro ſalute mundi immolandus erat, in figura præmitteretur, ſed & filiorum Dei qui redimendi erant ſanguinis in occurſum eius funderetur. In nouiſſimis autem diebus miſſus eſt à ſecreto patris, expectatus ab origine mundi agnus immolatus, quem adorant Cherubim & Seraphim & omnis multitudo Angelorum, vt expiaret peccatum mundi: & fecerunt in eo quęcunque voluerunt, & ipſi quos ſaluare veniebat. Pleni ſunt libri laboribus & anguſtiis eius, & legitis paſſio-

nes eius & non percipitis corde: vsquequo duri estis filij hominum? Terra quæ sensum non habet, susceptit guttas sanguinis de vulneribus saluatoris & sustinere non potuit maiestatem eius, sed commota est & contremuit, & scissæ sunt petræ durissimæ & ecce per scripturas stillat super corda vestra rationem habentia, multiplex passio filij Dei pro vobis occisi, & continere potestis à gemitibus & à lachrymis? Auditis vanitates quæ non pertinēt ad vos, & nō cōtinetis à risu. Rursus post hęc adiecit & dixit: *Vos qui transitis per viā tribulationis Iesu, attendite & videte si est dolor sicut dolor eius.* Nō peccauit, solus sine peccato natus est super terrā, & repleuerunt animam eius doloribus sceleratoru: & non exasperarunt mansuetudinem agni vincula impiorum, criminatio mendax, illusio nequam, denudatio, flagellum, colaphus, alapa, & sputum, & spina verticem eius pungens, crux & claui, & lancea & innoxij cruoris effusio. Sed in his omnibus superauit patientia eius, & contriuit moriens aculeū mortis. Animaduertite filij crucis viam agni, & ambulate confidenter post vestigia sanguinis eius: dux itineris vestri ipse est, & clamat ad vos dicens: Confidite, ego vici mundum: & quare trepidatis à facie terroris humani, ducem habentes inuictum? & tam multa millia imitatorum eius præeuntium vos cum victoria mirabili? ecce enim modicum ante vos innumerabiles pugnæ seruorum Dei factæ sunt, Apostolorum & Martyrum & inuictarum virginum: & dederunt læta spectacula cunctis exercitibus cœli in victoriis suis: dilexerunt Deum magis quam animas suas, & propter nomen eius exposuerunt eas cunctis generibus mortis: & quasi lutum ab omnibus conculcari sustinuerunt: riserunt in theatris & conciliis amatores mundi nuditatem sanctorum, & saturati sunt illusione confusionis eorū & lætati sunt in distractione carnis eorum, sicut lætatur bestia cum deuorat prædam, & dispersérunt sanguinem innocentem per cruces & gladios, ignes & gurgites aquarum, vngues ferreos & fauces bestiarum: & quicquid tormentorum excogitare potuit crudelitas impiorum, hoc in eorum mortificatione tentatum est. Et exultauerunt quasi in epulis athletæ Dei in confractionibus suis, & delectati sunt in calice amaritudinis quasi qui lætantur in deliciis multis. Tunc inuenta est patientia sanctorum fidelis in examinatione sua, & fortis supra fortitudinem regum & principum mundi. Propterea ecce educti sunt in refrigerium consolationis, & requiescunt in amplexu dexteræ Dei & sanctorum Angelorum, quia portauerunt ignominiam eius coram habitantibus terræ. Hæc attende & vigili mente retracta ô homo qui pusillus es corde ad sustinentiam passionum Christi: contemplare gloriam & lætitiam quæ circumdedit Martyres Domini, & non timebis communicare doloribus & angustiis eorum. Sed primum est, vt habeas sub pedibus substantiam huius mundi, & gloriam eius quæ est hodie & cras non comparet. Si enim hæc amas, fugiet à te fortitudo in tempore pressuræ & despectionis. Etiam dico: non sit preciosa in oculis tuis vita tua, sed vilem atque despicabilem semper arbitrare: qui enim seipsos amant & magni sunt apud se, conculcationem in persecutione sustinere non possunt, & ad certamen sanctorum idonei non sunt: fœlix commutatio tibi proposita est. Abnega vitam exigui temporis & miseræ conditionis, & accipies pro ea vitam quæ nescit defectum aut molestiam, plenam gloria & exultatione, quam lingua nescit effari. O homo tenebrosi intellectus, leua oculos tuos & prospice in futurum, & intuere beatam reformationem corporis tui quæ veniet tibi à saluatore tuo, quando euellet à corpore tuo spinam Adæ, & configurabit eam claritati corporis sui, ita fiet vt festines cum alacritate effundere animam tuam in omne periculum in feruore charitatis ipsius: & sic æstimabis ditionem vitæ tuæ, quasi stillæ de situla excussæ in terram. Quid adhuc anxiaris ô homo Dei, à facie persequentis. Cōfortare, consolare, tecum est Christus in persecutione. Tecum Angeli eius sunt in certamine, qui omnes labores tuos dinumerant, & lassitudinem tuam sustentant: nam & pro te inimicos tuos expugnant: memento sermonis quem dixit ad seruos suos: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Serue Dei, quid tribues saluatori tuo, qui ita sibi te coniunxit, vt sine ipsius iniuria lædi non possis? Semel pro te passus est, & adhuc quotidie in te & conseruis tuis patitur, & ostentui habetur. Si mœstus es, non de tua, sed illius iniuria dole: pro te ergo gaude & lætare, quia per tribulationem præpararis ad gloriam & gaudium sempiternum: aurum Domini es, per ignem te examinat, vt in thesauros suos probatum te recipiat.

Factum est autem priusquam verba hæc terminasset Angelus qui mecum loquebatur vt superueniret festiuitas beatarum virginum Vrsulæ & sociarum eius vndecim millium. Tunc decantabatur in vigilia matutina sermo ille diuinus, quo dicitur: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deducet illos in via mirabili*: vnde ego sumpta occasione interrogaui instructorē meum cum inter silentia missæ mihi more suo apparuisset dicens: Domine demonstra mihi quænam est via illa mirabilis cuius meminit scriptura dicens: *& deducet illos in via mirabili.* Qui continuo respondens ait: Via sanctorum Martyrum hæc est. Rursus interrogaui dicens: Et quare vocatur mirabilis? Bene inquit mirabilis appellari potest. Nunquid enim non est mirabile in oculis hominum, quod mentem fragilis hominis ita Deus inflammat, vt præ amoris magnitudine quo intus erga eum æstuat, & propriæ vitæ obliuiscatur in tantum vt ad grauissimos quoslibet cruciatus velut insensibilis fiat, & sine sui cura libenter omnia pro nomine eius sustineat: hoc intueri potes in sacris illis virginibus, quarum hodie martyrium celebratis: fragiles erant & sexu & ætate, neque aliquem habebant defensorem, & tamen non timuerunt tyrannos & gladios eorum, sed cum omni constantia obtulerunt tenera membra sua in mortem pro Domino: quia diuini amoris incendio confortabantur in spiritu, vt eam foris non sentirent. Et hoc quidem vehementer erat mirabile in oculis hominum, non autem in oculis Domini

11. M. Virg.

Qua via mirabilis

mini cui possibilia sunt omnia. Et nonne viam hanc mirabilem in spiritu vidisti, & erat pulchrior & notabilior cæteris omnibus? ita scito quod retributio martyrum omni retributione excellentior est, & gloriæ illorum nihil comparatur. Post hæc cum adesset festiuitas sancti Martini, circa medium noctis ante vigiliam matutinam subito expergefacta sum & fugit somnus ex oculis meis. Et ecce Angelus Domini stabat coram me, & allocuta sum eum dicens: Oro mi Domine vt exhortationem sermonis tui de sanctis martyribus iam compleas, & competenti fine concludas, qui cum me contemplari fecisset sublimia quædam in cœlestibus, quorum aspectu eram indigna, petitionem meam impleuit dicens: Iterum dico tibi & admoneo vos ô filij Dei, vt diligentius attendatis antecessores vestros (qui prænominati sunt vobis in præsenti sermone) quomodo arserunt in charitate Christi. Currite & confirmamini, & nolite præmeditari. Ecce enim vigilat super vos filius pacis, qui vos recipiat & remuneret supra humanam æstimationem: illum spiritum ardoris & charitatis Christi, qui superet omnem fragilitatem, vobis præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus verus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT XII.

De via coniugatorum, Sermo quartus.

FVI in oratione & apparuit mihi solito more Dominus meus, & postulaui ab eo disciplinam viæ illius quæ ad ordinem coniugatorum pertinere dicta est: Ilatimque assensit petitioni meæ: sicque orsus est: Ecce dico & admoneo sæculares coniugatos: Abstinete vos à prauis operibus vestris, quibus coinquinati estis, & contaminata est terra ab iniquitatibus vestris pessimis: quæ sunt auaritia, luxuria, fornicatio, adulterium, homicidium, superbia, ira, odium, inuidia, blasphemiæ, ebrietates. Attendite ergo & intuemini viam vestram, quomodo ambuletis per eam: quoniam impossibile est vobis cum talibus vitiis intrare per illam: his dictis abscessit. Et cum iterum apparuisset, rogaui vt prosequeretur incepti sermonis exhortationem. Qui ait: Nisi quia benignus & misericors Dominus est, in tædium posset adduci, pro eo quod tot modis habitatores mundi admonet: ipsi vero pro nihilo ducunt monita eius, neque vllatenus animaduertunt dilectionem qua debebant accendi erga paternas admonitiones eius: in indignationem conuertunt & spernunt eas: & ad legationes eius attendere dedignantur: si possibile esset in ipso esse perturbationem, ex hoc vtique posset turbari quod tot modis hic mundus aduersus ipsum erigitur: pro quo & natus est & passus, & multa miracula est operatus: & adhuc licet non attendant, operatur. Et ecce admonitiones suas mandat etiam iis qui in sæculo omnibus modis se illi opponunt pro sua gratuita benignitate, & pro eorum dilectione: qui quamuis in sæculo conuersantur, ipsum tamen diligunt ac seruiunt ei: quorum heu paruus est numerus, abundantius autem hoc faceret, si meliori deuotione monitis eius intendere vellent. Post hæc aperiens os suum, locutus est dicens: O generatio insensata & onerosa Domino Deo vestro, vt quid tanto studio diligitis quæ odit Pater vester cœlestis, & Dominum cœlorum irritare non timetis, in conspectu cuius omnium Angelorum multitudo contremiscit? dicite mihi quem fructum consecuti sunt in his prauitatibus quas enumeraui vobis, omnes qui ab initio sæculi inuenti sunt ambulantes in eis, & non apposuerunt placare faciem Dei nostri remediis pœnitentiæ? quid vobis annunciauerunt de his vniuersi testes veritatis? Si obliti estis, ecce iterum annuncio vobis coram Deo viuente: quia clausum est eis cœlum, æterna & indissolubili clausura, & abscondita erit ab eis desiderabilis facies Dei nostri & alieni facti sunt à conuiuio sempiternæ lætitiæ sanctorum qui abominati sunt vias illorum iniquas. Et ecce consortes facti sunt durissimi diaboli & infœlicium Angelorum eius, qui absque misericordia & sine cessatione affliguntur & calcant cerùicem eorum quam aduersus factorem suum erexerunt, & pascuntur in amarissimis plagis eorum. Et quia clauserunt oculos suos ne viderent lumen agnitionis Dei & sanctarum iustificationum eius, & dilexerunt opera tenebrarum, deputati sunt voragini horrendæ caliginis, quæ exitum non habet, neque illustrari poteris ab vllo lumine in perpetuum. Timorem Domini sanctum habere despexerunt, & irritauerunt eum in lætitia voluptatis suæ, & succenderunt in seipsis illicitos ardores libidinis & iræ & insatiabilis auaritiæ, propterea manet super eos timor plenus horrore & inconsolabilis tristitia, & mordax indignatio, & facti sunt carbones sempiterni incendij qui extingui non poterunt in æternum, neque vlla adustione consumi. Audite hæc irritatores Dei, & discedite à viis perditorum dum tempus correctionis habetis, & redite ad viam immaculatam, quam præparauit vobis Deus ab initio, & videte quomodo cum timore Dei ambuletis in ea: non enim est ab inuentione hominis honorabile coniugium vestrum: sed ab ipso conditore vniuersitatis in paradiso innocentiæ institutum est, quando masculum & fœminam creauit parentes vestros, locutus est in lingua protoplasti dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Date ergo ô vir & mulier honorem ordini vestro, quem Deus honorare dignatus est: & nolite inducere scissuram & maculam copulæ vestræ. Lex Domini iungat vos & sanctificet, & sit vobis domus vna, mensa vna, substantia communis, vnus thorus & anima vna: & date locum timori Domini in medio vestri. Decus enim thalami coniugalis, est timor Domini: & qui ab eo vacuus fuerit, maledictus & immundus reputabitur à Domino. Ibi dominabitur libido quæ modum nescit, & exercetur opus etiam sermone indignum, quod natura non ordinauit, & non pertinet ad generationem.

Audiant & intelligant qui operantur quod malum est coram Domino, & tollant maculam de cubilibus suis: propter hoc liget corda vestra timor Domini, vt in opere vobis concesso frænum vobisipsis imponatis, & non more bestiarum omnem impetum desiderij vestri sequamini. Dies festos & dies legitimæ abstinentiæ, & tempora purgationis per cõtinentiam honorate, & si quid superadderitis, addet Dominus gratiam vobis & generationi vestræ: qui enim inter diem & diem & inter tempus & tempus continendo non distinguunt, vindictam Domini in seipsis & in semine suo qua hora non putauerint sentient. Exhortamini alterutrum ad continentiam, & orate pro inuicem vt continere valeatis, & vt spiritus immunditiæ fugiat à vobis. Cum autem præualuerit infirmitas, concesso remedio expianda est, vt ad illicita non labatur: sicut scribit Doctor Gentium: Vir proprij corporis potestatem non habet sed mulier, & mulier proprij corporis potestatem non habet sed vir: & propterea debitum inuicem negare non potestis. Illud autem scitote quod mutuæ coniunctionis vestræ præcipua causa esse debet propagatio prolis: si qua alia est, ad infirmitatem pertinet, & habet indulgentiam si timoris Domini moderationem habuerit & eleemosynarum remedium: vir mulieris & mulier viri infirmitates cum patientia & compassione supportent, & nolite spernere inuicem, sed magis honorem alterutrum exhibere studete. Sermo litigiosus & amarus nunquam oriatur inter vos, sed in spiritu lenitatis & bonæ seueritatis inuicem excessus vestros arguite. Sit obediens viro mulier, & tanquam superiori in omnibus cedat & ministret, sicut ordinauit ab initio plasmator vtriusque: mores viri etiam prauos toleret & propicietur iniquitatibus eius: faciemque Domini in eleemosyna & oratione præueniat: pudicitiam interiorem, foris protestari debet per modestiam vestimenti, & sermonum, & gressuum, & aspectus: non hærebit oculus eius in facie aliena: & cum omni solicitudine suspitionis & maledicti occasionem abscindat: vir qui sensatam & timoratam sortitus est vxorem, non eam inhonoret turpi & amaro sermone, sed tanquam vas gloriæ Dei honoret, & consentaneum se illi præbeat: & gratias agat Deo cœli, qui beatificauit eum coniugio tali. Audi me & ingemisce super malis filiorum hominum quæ loquor ad te, viri dierum istorum in numero magno declinauerunt corda sua in insipientiam mulierum, & stulti facti sunt, consentiendo insaniæ illarum. Arrogantia vestimentorum quam vidisti & detestata es in filiabus sæculi quæ venerunt ad te, increuit supra modum in terra, & insaniunt in ea, & inducunt iram Dei in mundum: gloriantur ambulare compositis gressibus in multitudine pannorum suorum, & inutiliter consumere student quæ indigentium vsibus necessaria essent. O infœlicitas, ô miserrima cęcitas, rem multo sudore conquisitam luto committunt, vt post se trahant oculos adulterorum: & vnde regnum Dei comparare poterãt, gehennæ incendium mercantur: auferte viri malum hoc ab oculis Domini, & nolite gloriari in vanitatibus vxorum vestrarum: sed magis indignationem habete, quia scortantium similitudinem induerunt. Pannorum ista superfluitas & strictura vestimenti, ad nihilum vtilis est, nisi ad suffocandos partus: & arrogantia crinalis operimenti, & multa his similia, venalium mulierum adinuentiones sunt, & non pertinent ad legales matronas.

Clamor meus à Domino ad vos qui deposita virili grauitate, mollitiem fœminarum induistis. O stulti & vanissimi, vt quid dereliquistis serios mores iustorum senum qui vos præcesserunt, & declinastis in vanitates & insanias diabolicæ adinuentionis, quæ non proderunt vobis nisi ad augmentum incendij vestri. Væ qui superbitis in pompa vestimenti splendidi & superflui & delicate compositi, & quod auare quæsitum est ad nihilum deducere gloriamini. Væ qui lasciuitis in capillatura muliebri, & formam viri in vobis deturpare non erubescitis. Væ qui in ludis vanis, væ qui in comessationibus & ebrietatibus tempus infructuose deducitis. Væ qui linguati estis ad irrisiones & detractiones & ad fabulandum quod non prodest, & ad concinnandos dolos, & ad subuertendam causam innocentis. Væ qui venalem habetis sermonem in consilio, & ex angustiis oppressorum ventrem adimplere gaudetis. Væ qui litigiosi & timidi estis inter ciues. Væ vobis rapacibus & profundis corde ad multiplicandam substantiam mundi, quæ vobiscum euanescit: *Nunquid qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Quiescite filij hominum ab irritatione Domini, quia in proximo est vt euigilet, & in igne zeli sui irritatores suos deuoret. Iterum dico vobis qui sub iugo matrimonij estis, Deum timete, fidem & dilectionem immaculatam inuicem custodite. Filios vestros & filias & familiam vestram in timore Domini & castimonia enutrite. Decima Domini & merces mercenarij non moretur apud vos: beneficentiæ in pauperes nolite obliuiisci: & cætera quæ in sermone salubrium actionum à Domino annunciaui obseruare curate. Hæc est viæ vestræ delectabilis amœnitas, quæ in mysterio demonstrata est: beati qui diligunt eam. Tribulationem tamen carnis & solicitudines mundi quas non experiuntur qui continent, habere necesse est ambulantes in ea, sicut & in similitudine spinarum expressum est: voluntas Dei est, vt quantum fieri potest declinetis ab eis, modum rationabilem in omni re obseruantes, & voluntatem propriam, timore Domini refrænantes.

Rogauit me germanus meus vt sciscitarer ab Angelo, quare in principio sermonis huius inter cætera iniquitatum nomina, fornicationis non ea adiunxisset: cum hoc non ad coniugatos quibus loquebatur, pertinere videretur: nam & eorum incontinentia, nomine adulterij ibidem fuerat expressa. Cumq; super hac dubitatione Dominum meum interrogare cœpissem, neque adhuc dubitationem plene exposuissem, locutus est ad me dicens: Plena est terra immunditia. Vir qui legali matrimonio iunctam coniugem habet,

bet, occulte vxorem proximi polluit, & versa vice mulier, alterius maritum suo superducit, hæc est iniquitas maxima, & maximus est eorum numerus qui offendunt in ea: fornicationis autem immunditia plenus est mundus, omnes quasi sitientes festinant ad eam: & vix inuenitur qui non se præcipitet in foueam eius. Cum exarserint in concupiscentia, expectationem vix sustinent vt in opus eam perducant: & cum impleuerint desideria pessima, non quiescunt: sed iterum atque iterum redeunt in idipsum, & nunquam saturari se posse arbitrantur: sed & priusquam matureſcant vt exercere possint prauitatem hanc, pluribus modis innocentiam suam commaculant: propter hoc autem in increpatione coniugatorum, fornicationis nomen adieci, quia & ipsi antequam coniugij legem assumant super modum in ea fœdantur, & prouocant iram Dei in se. Hinc est quod ad matrimonia legitima accedentes, fructu generationis priuantur à Domino: & mirantur vnde accidat eis, ignorantes sterilitatis suæ causam. Quibus autem generatio conceditur, aut in ipsa prole aut in aliis rebus necessariis, pluribus modis diuino iudicio feriuntur, & omnia eius infœliciter proueniunt. Rursus cum de nomine blasphemiæ interrogassem, ait: Hoc dixi, propter eos qui turpibus conuitiis proximos suos dehonestant. Sed & hoc scisitata sum quænam essent dubietates quas in eodem sermone reprehendere videbatur, ad quod ita respondit: multi sunt in Ecclesia formam habentes Christianorum, dubij tamen in fide Christiana: inter Catholicos manifeste conuersantur: domum orationis intrant: sacramenta ad fidem pertinentia cum cæteris percipiunt: & tamen nullam fidem eis exhibent, neque ad salutem vtilia esse arbitrantur: hoc autem operibus pessimis quæ agunt, manifeste comprobant. Si enim in eis vera esset fides, à multis iniquitatibus quas operantur, abstinerent. Et adiecit, dicens: Multæ hæreses sunt in diebus istis, sed occultæ, & hæretici multi qui fidem Catholicam latenter oppugnant, & multos ab ea auertunt. Tunc interrogaui eum, dicens: Domine mi, quid dicis de illis quos Catharos vocant, qui vitam coniugatorum omnino reprobare dicuntur: & respondit, dicens: Ipsorum de quibus interrogas, vita abominabilis est coram Domino: vitam illorum culpare non possunt qui legitime coniugium contrahunt, & secundum legem Domini cohabitant, custodientes in timore Dei sacras ferias & ieiunia, & necessitatibus pauperum misericordiam exhibentes. Iterum autem allocuta sum eum, dicens: Domine vt audiui quidam ex eis asserunt quod legitimum esse non potest coniugium, nisi inter eos qui vsque ad tempus legitimæ coniunctionis virginitatem ambo custodierunt: quid ad hoc dicis? & respondens, ait: vbi tale coniugium esse potest, gratum est Domino, sed rarum est valde vt ita contingat: veruntamen & ex iis qui non continuerunt, multi sunt acceptabiles Domino, legitima habentes coniugia, & in mandatis Domini ambulantes: alioqui nimis contraheretur numerus populi Dei: non habent reprehendere quicquam in Ecclesia Dei, isti de quibus loqueris, quia per viam reprehensione digni sunt: pro certo noueris, quia ministri sunt sathanæ, cuius opera praua exercent: ipse dux illorum est, & omnis nequitiæ exemplis eos præcedit, & sequuntur eum per omnia operibus pessimis. Et dixi: Domine, quæ vel qualis est fides eorum aut vita? Respondit: Praua est fides eorum, & opera peiora. Rursus dixi: Videntur tamen in conspectu hominum iusti, & laudantur quasi sint bonorum operum: ita est inquit: facies suas simulant, quasi iustæ & innocentis vitæ sint, ac per hoc multos ad se trahunt & seducunt: intrinsecus autem pessima sanie pleni sunt.

Cathari.

Vis. Elizab.

CAPVT XIII.

De via continentium. Sermo quintus.

CELEBRANTIBVS nobis solennitatem beati Ioannis Euangelistæ, intenta eram orationi post vigilias matutinas: ac deprecabar Dominum valida intentione cordis, vt secundum solitam benignitatem suam, disciplinam viæ continentium quam in spiritu videram, mihi aperire dignaretur. Sed & diuinum Euangelistam & Angelum doctorem meum, vt mihi adiutores essent, inuocabam: cumq; orando lassata fuissem, remisi paululum oculos ad soporem, & post pusillum repente expergefacta sum: & ecce Angelus mihi assistens, sermonem quem desiderabam inchoauit his verbis: Dico vobis ô filij Dei, ô filij lucis, intuemini viam vestram quomodo floreat, & quam delectabile est currere in ea: currite ergo & properate obuiam sponso vestro, qui vos expectat. Diligite castitatem, & seruate illi integritatem virginitatis vestræ: virgo ornata castitate, charitate, prudentia, humilitate, bene currit: hæc cum dixisset, amplius non adiecit: sequenti vero die cum de beatis Innocentibus officium Missæ ageretur, ego sumpta occasione ex lectione Apocalypsis quæ legebatur, deprecata sum Dominum meum, qui iterum mihi assistebat, dicens: Domine, si inueni gratiam coram te, dic obsecro mihi, quale est hoc canticum quod decantant isti beati martyres ante sedem Dei & agni, sicut præsens lectio testatur: aut quomodo sequuntur agnum quocunque ierit? Et respondens ait: Quid me interrogas, nunquam lingua super terram nouit hoc canticum, nihil inde tibi enarrabo. Quod autem interrogas, quid est quod sequuntur agnum quocunque ierit, hoc est quod in omnibus virtutib. quę considerari possunt in agno, eum imitãtur: in virginitate eum sequuntur, quæ in illis est sine macula, sicut & sanctus ille agnus sine omni macula est: humiles & simplices & sine dolo fuerũt, sicut & agnus: patientiam in martyrio habuerunt in similitudinem agni qui nihil vnquam impatientiæ demõstrauit in passione sua, qua peccatum mundi extinxit: non sunt virgines neque sunt martyres vlli, qui tam proprie agni

vestigia sequantur vt isti, excepta regina nostra, quæ prima virginitatem suam mundam & immaculatam Domino custodiuit: ipsa virgo egregia, & beati isti martyres speculum sunt omnibus sacris virginibus, & multi eos secuti sunt, qui sanguinem suum pro virginitate sua fuderunt, & propterea coronati sunt & glorificati in conspectu Domini: hos intueri debent cunctæ virgines, & considerare quali sanctitate ipsi eos præierint: & in similitudinem eorum vitam suam debent conformare.

Rursus in circumcisione Domini cum se mihi obtulisset Dominus meus, dixi ad eum: Mi Domine, doceas me obsecro de integritate virginitatis quæ interrogabo te: nunquid amitti potest per immundam libidinem quæ haberi solet in tentatione, si non vsque ad opus fuerit perducta libido? Qui ait: Non amittitur sed inquinatur multis quidem modis per immunditias libidinis, cum vsque ad effectum non procedit: integritas quamuis polluta, permanet tamen, sicut per similitudinem tibi demõstrabo: & dixit mihi, exere manum tuam: quam cum extendissem, ait claude eam: & feci sic, moxq; prospexi ante pedes meos, & vidi quasi cœnum immundum quoddam coram me. Et dixit ad me, infer manũ tuam illuc: quod cum feci ssem, ait: extrahe eam: cumq; extraxissem eam, polluta erat: & ait iterum, eam immerge, quanto sæpius hoc feceris, tanto magis pollutam habebis, & difficilius tibi erit mundare eam: sensi autem calorem in manu. Vnde ait: Calidum est, & quanto magis calidum fuerit, tanto maiorem adhiberi oportet laborem vt abluatur: ita quo magis se inquinat homo in immunditiis concupiscentiæ, eo laboriosius purificatur ab eis: potest tamen emundari in dolore salubris pœnitentiæ & lachrymis & bonis operibus, ita vt fiat acceptibilior Deo quam fuisset: nonne intrinsecus munda & pulchra est manus tua? Sic est virginitas, dum non vsque ad interiora eius pertingat operis praui immunditia: & mundari potest à pollutione, ita vt nihil damni patiatur integritas eius, sicut facile mundatur manus tua tantum foris polluta: si autem per effectum operis ad interiora descenderit immunditia, impossibile erit ita eam mundari vt omnino ad pristinum redeat decorem: sunt tamen multi qui quamuis non ad opus cõmixtionis libidinem suam perducant, multis tamen modis integritatem virginitatis suę polluunt: & non animaduertunt neque cor apponunt, vt remediis pœnitentiæ ad plenum emundentur, ac Deo satisfaciant, & ita vsque ad finem permanent: horum virginitas Deo accepta non est, & debita mercede priuatur: hæc cum dixisset, metuebam ne forte à memoria excideret ordo verborum: ideoq; postulaui ab eo, vt iterum eadem loqueretur: & in hoc quoque benigne me exaudiuit. Cum autem in octaua beati Ioannis iterum se mihi præsentasset, præuenit verba mea ita me hilariter alloquens: Interrogare me vis, interroga & respondebo tibi: & dixi sicut à doctore prænonita fueram: Domine quod scriptum est, voluntas pro facto reputabitur, nunquid aduersari potest sermoni tuo quem proxime dixisti? Et respondit: Nequaquam: itemq; subiunxit: Verum est certe quod scriptum esse testaris, cuius operis perficiendi voluntatem habuerit homo, ita vt nequaquam remaneat in ipso quin ad perfectum perducat quod cupit, & sic vsque in finem permanet, hoc quasi factum coram Domino reputatur. Et si malum quid fuerit quod peragere desiderat, deleri potest in virtute veræ pœnitentiæ: quidquid enim cogitatione aut voluntate fecerit homo, ita annullari potest coram Domino ac si nunquam fuerit: recordare quia dixi tibi secundo, vt emergeres manum tuam cœno, & tunc difficilius eam posse mundari affirmaui: ita primo polluitur homo sola cogitatione, postea vero etiam voluntate, & tunc maiore difficultate mundatur, & permanet tamen integritas. Tunc protulit scripturam, de qua interrogare cogitaueram, dicens: etiam scriptum est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* hoc ita est, si permanet homo in voluntate exercendæ libidinis, & à desiderio suo non recedit, sed quantum in ipso est rem ad effectum ducit & voluntatem prauam fructu pœnitentiæ non diluit: huius integritas quamuis permaneat, inutilis est, & nullum consequitur fructum: iterum subiunxi dicens: Domine sunt qui non sponte stimulos carnis experiuntur in tentatione, & molestę ferunt ardorem qui aduersatur munditiæ corporis sui, nulla tamen repugnatione euitare eum præualent, nunquid hoc eis reputabitur in peccatum? Qui ait: Si molestę ferunt tentamenta huiusmodi, neque animo eis consentiunt, leuiore pœnitentia culpę suę quam sic contrahunt, veniam consequentur, & mercedem magnam adipiscentur. Indicauit autem mihi esse hominem in Christo familiarem, quis aut quæ sit, Deus scit, sustinentem ab aduersario impugnationem castitatis, & nimiis ob hoc animam suam molestiis affligentem, & ait: Consolationem ei annuncia, dicesq; ei vt parcat afflictioni, reuocet in memoriam quod scriptum est de electis Domini: *Tanquam aurum in fornace probauit eos:* gaudium sit ei, non tamen sine tristitia gaudium, pro eo quod tale aliquid Dominus ei imponere dignatus est, per quod ad mercedem magnam præparatur: non sit tamen sine tristitia, quia in tali tentatione non omnino culpa euitatur. Et dixi: Domine, qualiter debet resistere aduersario suo, & quibus armis eum superabit? Qui ait: Oratione & confessione & flagellis carnis pugnet, & superabit: non autem insistat rogare Dominum vt ab hoc stimulo liberetur, sed hoc oret vt misereatur ei Dominus in hoc tempore tentationis: si in loco secretiori fuerit, flectat genua ter coram Domino: si autem opportunitas loci ei defuerit, signet cor suum ter signaculo crucis, ac dicat: Saluator mundi salua nos, qui per crucem & sanguinem redemisti nos, auxiliare nobis te deprecamur Deus noster. *NOTA MEDELAM. Oratio.*

Post hæc vna dierum suscitauit linguam suam in hæc verba: O virgines, ecce ad vos clamat vox diuina: vox sponsi vestri pulsat ad aures vestras, aperite illi & introducite eum ad palatium cordis

dis vestri, & amplectimini eum, quia pulchrior & amabilior est omni creatura. Rursus adiecit: Dominus maiestatis vnigenitus altissimi, rex diuinorum exercituum, replens cœlum & terrā magnifica gloria sua, magnus & tremendus in omni potenti fortitudine suauis & amabilis in incomparabili benignitate, & totus desiderabilis in claritate perfecti decoris sui: in cuius amabilem vultum cum inestimabili desiderio prospicere delectantur Cherubim & Seraphim & vniuersa sodalitas nostra, ipse ô virgines, ipse est qui concupiscit decorem vestrum: ipse vos ad castos amplexus suos inuitat: ipse à vobis glorioſa lilia virginitatis vestræ exposcit, vt suum secretiorem thalamum ex eis exornet: nescit ille thalamus labem pudicitiæ, & omne corruptum non ingreditur in eum: non illic marcescunt neque defluunt, sed incorruptibili decore permanent precioſi flores virginitatis: & agnus immaculatus gratanter cubat in eis, & spirant ei suauitatis odorem tanquam margaritæ electæ & visu desiderabiles, sic resplendent in thalamo sponsi sui virgines sacræ: & ipse qui lauit eas in sanguine lateris sui & faciem earum, signauit virgo speciosus, lætatur in aspectu earum, & occulta pulchritudinis suæ charissimis suis dignanter reuelat: organa electionis ibi sonant concordantiam in spiritu pacis, & cantatur canticum desiderabli auditu, canticum singularis lætitiæ quod solis virginibus cantabile est: & familiaribus thalami supernis spiritibus: ducit chorum sponsus in voce præclara & excellenti, & non adæquatur ei in millibus canentium vnus. Vox eius, vox dulcis in plenitudine gratiæ, quæ omnes cœlos replet iucunditate: beati qui audiunt eam, beati nimis qui concinunt ei: in quibus primatum obtinuit princeps nostra virgo Theothocos, cui soli datum est supra omnes tubas Angelicas vocem exaltare: animaduertite filiæ verba ministerij mei, & signate ea in absconditio mentis vestræ: si est cor vestrum ad sponsum nobilem & speciosum, & qui amari dignus sit, quare negligitis? quid tardatis tota virtute vos in illum speciosum extendere, quo nihil clarius, nihil amabilius est in cœlo aut in terra? & si gloriam diligitis, quid est glorioſius quam talem sponsum habere, & omnia possidere in ipso? si habere delitias & gaudia concupiscitis, ad thalamum iucunditatis qui vobis præparatus est, festinate: cuius iucunditati & suauitati omne quod oculus vidit, vel auris audiuit, vel in cor hominis ascendit, comparari non potest: hæc cum dixisset, posueram in corde meo verba quæ de virginali cantico fuerat locutus, & ad hoc interrogationem aptam dicens: Ita ne est Domine mi, etiam Angeli canunt hoc canticum? Et nunquid omnes virgines? Qui ait vere Angeli canunt hoc canticum, & omnes qui de hac vita sine macula ad regnum cœlorum transmigrant. Rursus adieci: Quomodo ergo intelligenda est scriptura quæ dicit: *Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia?* nunquid non sub illo numero omnes virgines comprehenduntur? ita est inquit numerus iste perfectus est, & significat perfectionem eorum qui se immaculatos custodierunt, sicut sine macula est infantia innocentum: quæ autem amplius de hoc numero locutus est, sensus mei imbecillitas portare non potuit.

Rursus assumpto exhortationis verbo, locutus est dicens: Ecce aduenit sponsus vester, præparate vos ô virgines: ite & emite vobis vestes nuptiales, & introite cum eo ad nuptias: alioqui dicetur vobis: Quomodo huc intrastis non habentes vestes nuptiales? & ne forte cum reprobis deputemini, cogitate nunc cum omni sollicitudine mentis, quomodo placeatis sponso vestro cum venerit: vigilate itaque, ne forte inueniat vos dormientes cum fatuis virginibus: iterum subiungens, ait: Audite ergo ô virgines, & aperite aures cordis vestri, & intelligite quomodo inuitat vos sponsus vester: quod si agnouissetis quam pulcher & quam amabilis est ipse quem omnis multitudo cœlestis intuetur, semper cum omni desiderio procul dubio sperneretis mundum cum vniuerso ornamento eius & omnem gloriam sæculi proiiceretis retrorsum & omne studium apponeretis ad plene diligendum sanctum sponsum vestrum Christum Dominum, ac solliciti semper essetis ad custodiendum ei cor vestrum & corpus vestrum mundum & immaculatum post hęc interrogaui eum dicens: Domine quæ sunt vestes illæ nuptiales, de quibus dixisti? Et respondit: Ire debent virgines ad interiora cordis sui, & emere illic tria genera ornamētorum: vnum eas habere oportet vestimentum candidum & immaculatum quod est innocentia carnis: necessarium illis est & operimentum quo debent esse circumamictæ, quod est charitas, qua ab illis diligendus est Christus sponsus. Tertium ornamentum earum est, torques aurea, quod est pudicitia: qua debet seipsam virgo constringere, vt sit verecunda ad loquendum, ad audiendum, ad ridendum, ad faciendum omne quod impudicum est: hoc est signum, de quo dictum est: Posuit signum in faciem meam: hoc vt ætimo adiecit, pro eo quod in festo B. Agnetis ipsum de hoc verbo interrogaueram, & nullum tunc mihi super hoc dedit responsum. Iterum dixi: Domine quali pretio emenda sunt virginibus hæc ornamenta? Et ait castigatione corporis proprij ac denario vno, quod est contemplatio pudicitiæ sponsi, quam reponere debent in medio cordis sui: hic denarius signatus est imagine regia, quoniam ipse est Rex omnium regum, benedictus in sæcula. Rursus interrogaui, dicens: Memento Domine verbi illius quod dixisti virgo ornata, castitate, charitate, prudentia, humilitate, bene currit: ibi ergo quatuor ornamenta distinxisti, & nunc in hac distinctione posteriori duo quidem priora assignasti, duo vero posteriora prætermisisse videris. Et ait: vir desideriorum dici potest, qui tam diligenter hoc inquirit. Tunc respondit interrogationi meæ, dicens: duo quæ præmissa tibi videntur, sub nomine torques comprehensa sunt: vt enim constringat virgo cor suum aduersus omne quod inuerecundum est, non sine magna prudentia fieri potest: esse autem non

Vestes nuptiales.

1.

2.

3.

Quid torques.

potest vt desit ei humilitas, si affuerit prudentia vera. Et rursum post aliquot dies, interrogationem præfato sermoni subieci. Domine cum constet quod ad nuptias cum sponso ingressuræ non sunt virgines illæ, quæ absque nuptialibus vestimentis inuentæ fuerint, qua ratione dici poterit eis, quomodo huc intrastis non habentes vestes nuptiales? At ille respondens ait: hic sermo ad nouissimum iudicium pertinet: ibi congregabuntur ante faciem Christi electæ sponsæ eius omnes adornatæ nuptialibus vestimentis secundum opera bona, quæ egerunt in hoc mundo. Erunt & ibi reprobi non habentes aliquem decorem ad nuptias pertinentem, quia neglexerunt operari bona in vita sua: propter quod dicetur eis à sponso: *Ite maledicti in ignem æternum.* In hac voce increpationem illam accepturi sunt, quomodo huc intrastis non habentes vestes nuptiales. Iterum autem exhortatus est dicens: Ausculta & inclina cor tuum mihi virgo simplex, & amabilis Domini: noli æmulari in filiabus sæculi, quæ prospere gradiuntur in delitiis suis, & placere quærunt in oculis hominum & non Dei: compositæ & circumornatæ esse studeant, vt laudem accipiant ab ore spectantium, & fiant in laqueum & subuersionem multorum. Sed sicut sermo laudantium, ita & pulchritudo earum momenti vnius est: tanquã spuma aquæ facile dissoluitur, tanquam scintilla de igne cõsurgens, cito extinguitur carnis decor: & omnis gloria eius, sic est vt flos arboris qui sub vna hora comparet, & statim à venti commotione excutitur: tu autem filia, cor appone vt composita & spectabilis ambules in conspectu casti æmulatioris tui regis nostri, qui è cœlo te intuetur, & omnes vias tuas dinumerat: illam decorem apprehende, qui neque morbo emarcescit, neque senio perit, & quomodo perituræ substantiæ inopia non obfuscat: quanto pulchrior es facie, tanto amplius inuigila vt speciosa sis mente: fallax gratia faciei, sit gloria tua ab intus vt placeas sponso tuo qui intuetur cor. Aspice viam castitatis, & attende, quod ex vtraque parte viriditatem habet graminis, & foris decorem: & da locum castitati, non solum in carne sed & in spiritu: quia vana est castitas carnis, vbi regnat incontinentia spiritus, & cætera quę coinquinant animam: intende quæ dico: sicut lucere non potest lampas absque alimento pinguedinis, ita splendere non potest coram cęlesti sponso continentia carnis sine spiritus castitate. Et subieci his verbis, interrogationem huiuscemodi: Domine via nostra in visione arcta apparuit, & quid est quod Scriptura dicit: *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.* Quæ est ista latitudo, & quomodo eam considerare possum in via ista? Ad hæc, ita respondit: latitudo hæc est, valida intentio cordis, & charitas ardens intrinsecus, qua animæ castæ ardent ad sponsum suum Christum Dominum, qui est latitudo & plenitudo omnium viarum Dei: considera libertatem huius viæ, quòd absque spinis & impedimentis: hoc est effectus charitatis quam operatur maxime in virginibus, dum foras mittit spinas curarum & omnis malitiæ vt vacare possint & cogitare quæ Dei sunt, quomodo placeant ei quem super omnia amant. Et cum de angustia viæ rursum interrogassem, ait: hoc est quod coarctare se debent virgines, vt in nullo à seipsis excedant: cui dixi: Nunquid Domine à seipsis possunt excedere? Possunt inquit: & dixi: quæ sunt per quæ excedunt à seipsis? Qui ait: Hæc sunt otiositas & fabulatio, & omnia quæ à memoria earum sponsum cœlestem abducunt. Et adieci: Angustia viæ & angustia torquis quam proposui vobis, sub vna significatione pronunciant, quod sponso Christo semper in arcto ambulandum est, in iis quæ pertinent ad hunc mundum. *Per quæ virgo à seipsa excedit.*

Et factum est completis sermonibus his in secunda Dominica sacri ieiunij, die festo beati Matthiæ Apostoli in tempore diuini officij vel sacrificij, apparuit mihi benedictus Domini Angelus sanctus, dixiq; ad eum: Obsecro domine mi, si nunc tempus est & si bonum est in conspectu tuo, vt sermoni tuo quem hactenus prosecutus es ad virgines Domini, competentem iam finem imponas: vix orationem impleui, & continuo aperuit os suum in hęc verba: Ecce adiiciam vltra admonere vos filij dilectissimi Domino. Abstinete vos ab illecebris vitiorum, quæ militant aduersus spiritum: iactate cogitatum cordis vestri in Domino, & ipse enutriet vos sicut placitum est ante ipsum. & introducet vos ad conuiuia vitæ æternæ, quæ vobis præstare dignetur IESVS CHRISTVS filius Dei viui, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT XIV.

De via Prælatorum, Sermo sextus.

Sermone præcedenti ad finem deducto, distulit solito diutius me visitare Angelus Domini: quod ego delictis meis imputans, anxiabar intra me, ac diligentius lachrymis & orationibus operam dedi: & adiuuabat me conuentus noster oratione communi: & consummatis decem & septem diebus ab eo quo iam dicta verba compleuerat: stabam sola in oratorio circa horam tertiam effundens coram Domino cor meum ac dicens: Non mea merita Domine aspexisti in omnibus quæ hactenus mecum operatus es, sed in tua misericordia fecisti omnia hæc: propterea obsecro ne compescaris delictis meis, aut cuiusquam alterius, quin hæc quæ nunc apud me initiare dignatus es, propter bonitatem tuam ad bonam consummationem perducas. De via Rectorum Ecclesiæ quam mihi in mysterio demonstrasti, congruentem disciplinam nobis aperire dignare, ex qua aliquis fructus correctionis proueniat, sicut necessarium esse nosti populo tuo. Adhuc ista & his similia in oratione loquente, ecce Angelus desiderij mei, subito apparuit coram me, & sermonem quem desiderabam, his verbis initiauit dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum, vt annunciet

vobis

Vobis qui in sublimi potestate irritatores estis: dico autem vobis, quod iniquitas terræ quam absconditis propter aurum & argentum, ascendit coram me sicut fumus de igne: nunquid non animæ sunt plus quam aurum & argentum quas suffocatis in ignem æternum propter auaritiam vestram. Idcirco accusat vos religio vestra coram me. Ecce enim fætere fecistis sanctificationem vestram in conspectu populi, & versa est in abominationem mihi: occupastis principatum sanctorum meorum, & nesciui: maculastis stratum meum, & silui: quid mihi & vobis exasperatos māsuetudinis meę? vnde ascendistis turbare ouile meum & aggrauare cor meum super filios meos quos genui in amaritudine animæ meæ, in die laboris & angustiarum mearum? Et adiecit iterum loqui ad me, dicens: Nonne pastores mei quasi in graui somno obdurati sunt? quomodo euigilare eos faciam super greges meos qui disperguntur, sicut oues quando pascuntur in virentibus pascuis? vagi facti sunt populi mei, vnusquisque sequitur cor suum: & discurrunt in impetu cordis sui singuli post concupiscentias suas, & non est vox neque sensus pastoribus meis ad increpandum & colligendum dissipatos: mihi obmutuerunt dicit Dominus, mihi insipientes facti sunt: sibi autem sapientes sunt & diserti: os eorum patens est, lingua eorum versatilis & acuta ad vindemiandam vineam in qua non laborauerunt: velox pes eorum, & discurrunt in tumultu vt euellant & absorbeant carnalia plebis meæ, cui spiritualia non ministrant: qui digitum mouere pigri sunt ad eruendum ab iniquitate animas meas pro quibus mortem gustaui: quasi gens quæ ignorat nomen meum, ita me persequi non formidant, qui ambulant sub nomine meo & iniqua exactione cor populi mei contristant, & non apponunt auferre ab oculis meis iniquitatem adulteri & fornicatoris, & percussoris & violenti in proximum suum, & furis & malefici, & periuri, & fænerantis, & fallentis in penso & mensura, & polluentis sabbata mea in turpitudinis lusu, & preuaricantis pactum sanctimoniæ & incircumcisi inhonorantis altare meum, nec diiudicantis quod est mundum mundissimum, & vendentis & ementis sanctificationem meam, & superbiam exercentis in hæreditate sanctuarij mei: hæc & alia quæ legibus meis prohibui, quasi flamma desolationis domum meam deuastant & tædere me faciunt super filios hominum: & pastores mei in moribus eorum obmutescunt, & quiescunt in desideriis animæ suæ: bene secundum plantationem suam gradiuntur, & gressus eorum dignam retributionem inuenient dicit Dominus: hæc ita prosequente Angelo qui mecum per interualla temporum loquebatur, dixi ad eum: Domine quæ est illa euigilatio quam Dominus comminatus est pastoribus suis? at ille rursus, quasi in ira verbum comminationis assumens, ait: Vos qui dormitis in increpationibus meis & cor vestrum obcæcatum est in dormitione sua, ego euigilare vos faciam, quando veniet super vos mors antiqua, & inueteratus ille serpens, & deuorabit vos cum magno impetu: quoniam thesaurizastis vobis thesauros in infernalibus pœnis: infœlices & insensati aperite oculos vestros, & legite scripturas: & recordamini qua religione præcesserunt vos antecessores vestri: iterum autem facta intermissione parui temporis, addidit dicens: videte Pontificem magnum & excelsum super omnia Dominum Iesum, quomodo in diebus obedientiæ suæ ambulauit in medio discipulorum suorum, non in altitudine dominantis sed in humilitate ministrantis, tanquam pius æmulator gregis sui vsque in consumationem mortis pro eo: respicite semen eius quod est benedictum, ministros vocationis vestræ, beatos Apostolos, & successores eorum, in quorum cætibus gloriamini & pascitis voluntatem cordis vestri in laboribus eorum: nunquid sicut viæ vestræ viæ illorum fuerunt, nolite arbitrari ita: quia viæ illorum, viæ pulchræ & rectæ, vestræ autem contaminatæ, & nullus ordo est in eis: non ambulauerunt in altitudine spiritus sui, neque in tumultu superbi comitatus: non in cupiditate quæstus, non in magnificentia vestimenti, neque in dissolutione cordis: non in crapula & ebrietate, & in maculis carnis: non in vanitate ludentium: neque post canem & auem discursus eorum. In omni autem sinceritate, vestigiis magni pastoris adhæserunt, vigilantes vigilias fideles super gregem Domini die ac nocte, in laboribus & ærumnis, in penuria necessitatum, & quasi in angustia parientis ministerium suum impleuerunt, sustinentes abiectionem & contumeliam ab hominibus, & persecutiones quas dinumerare nemo potest: & dederunt animas suas in mortem, vt implerent terram Euangelio Dei, & lucrifacerent animas electorum.

Celebrantibus nobis diem festum Paschæ, in tempore diuini Sacrificij post lectionem Euangelij, apparuit mihi Angelus Domini stans coram me: cumque petissem ab eo, vt hoc procurare dignaretur, ne quid negligentiæ in illa sacra communione quam expectabamus, accideret: adieci postulare, vt sermonem suum de Rectoribus Ecclesiæ secundum quod inchoauerat, prosequi dignaretur. Ad quod mihi breue responsum reddidit dicens: si digni essent, multa magna de eis Dominus reuelaret: quo dicto statim ad altare cum festinatione accessit, & cum duobus Angelis qui in principio missæ aduenerant, cum magna diligentia, donec omnes communicassemus astabat: sequenti vero die circa idem tempus aduenies, ita exorsus est, dicens: Caput Ecclesiæ clamat & membra illius mortua: quoniam sedes Apostolica, obsessa est superbia, & colitur auaritia & repleta est iniquitate & impietate: & scandalizant oues meas, & errare eas faciunt, quas custodire & regere debuerunt: verbum est Domino cum potentia sua. Nunquid hoc obliuiscetur dextera mea? nequaquam proculdubio: nisi conuersi fuerint & correxerint vias suas pessimas, ego Dominus conteram eos, rursus die altero addidit, dicens: Hæc dicit Dominus, magnis Prælatis Ecclesiæ: Recordamini quam rationem reddituri estis in tremendo iudicio meo de ouibus meis quas suscepistis regere & custodire, quando appreciati estis dona spiritualia populi mei pretio infœlicitatis: nunc ergo mitto ad

De Rectoribus Ecclesiæ.

to ad vos paternas admonitiones, videte ne forte iudicemini: sed conuertamini à vitiis vestris pessimis, & mundate conscientias vestras, & reconciliabor vobis: alioqui ego Dominus delebo memoriam vestram de terra viuentium: post hæc quasi in spiritu lenitatis, verbum Dei annuncians, ait: ego Dominus clamo & admoneo pastores meos, & quare non audiunt vocem admonitiones meæ? sto & pulso ad ostium cordis eorum, & non aperiunt mihi. Audite & intelligite verba admonitionis meæ, & delectamini in dilectione mea, quoniam admoneo pastores & oues meas admonitione paterna: sunt enim inter pastores meos qui mihi videntur boni & pacifici, heu quam pauci sunt, & alij multi mali & peruersi qui me prouocant ad iracundiam propter quod oportet admoneri bonos vt in melius proficiant, malos autem & peruersos vt conuertantur ne pereant de via iusta. Et cum me iterum visitasset adiunxit: ecce adiecit Dominus pastoribus suis adhuc, dicens: Attendite cum omni solicitudine mentis viam vestram, viam rectam, & nolite errare in ea. Vigilate & custodite vigilias noctis super gregem meum, sicut boni æmulatores, ne forte superueniat grex caprarum qui sunt spiritus maligni, à quibus disperguntur greges ouium mearum: gaudete cum lætitia vos qui pacifici mei estis dicit Dominus, & recordamini verborum meorum quę in presenti sermone inueniſtis: & custodite vos ab illicitis huius mundi, & diligite admonitionem meam: diligendus enim sum pro tali admonitione: quod & si me diligitis & nomini meo honorem præbetis, quoniam de me eum accepistis, honorificabo vos coram sanctis Angelis meis. Adhuc loquente ad me Angelo sermones istos de pastoribus Ecclesiæ, visum est quibusdam opportunum, vt interrogarem de ijs in quibus erroris sui occasionem accipiunt dubij quidam: interrogaui igitur, non quasi in fide hæsitans, sed quasi cupiens fidem nostram ex Angelica authoritate firmari, & dicebam: Nunquid Domine in Ecclesiasticis Sacramentis parem habent veritatem officia eorum Pontificum qui sinistre & non secundum Deum ad Pontificatum suum introierunt, & eorum quorum bonus introitus est? Qui respondens ait: Multi dum talia profunde scrutantur, magis deprauantur quam emendentur: & talia Dominus reuelaret, si non eo liberius peccarent illi ad quos pertinent ista: his dictis confestim ablatus est ab oculis meis: iterum autem die alia cum rediisset ad me, interrogaui eum, repetens eundem sermonem qui præscriptus est: & ille, habent inquit parem virtutem, sed beneplacitum est Deo magis in officiis eorum, qui bene introierunt. Iterum subieci dicens: ita ne est Domine mi, vt quod Presbyteri ordinati ab illis quorum malus introitus eandem habeant potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Domini in altari quam habent qui ordinati sunt ab illis qui legitime introierunt? Qui ait: Non ascendat vnquam dubitatio in cor tuum de hac re, sed certum habeto, quod omnes qui in Ecclesiastica ordinatione presbyteratum acceperunt, eandem potestatem habent in consecratione Dominici Sacramenti, siue bene siue male introierunt ordinatores eorum: verba illa diuina quæ in sacro Canone dicuntur, tantæ virtutis sunt coram Domino, vt vere in illorum pronunciatione Corpus & Sanguis Domini fiat à quocunque Presbyterorum pronuncientur: non enim vel meritis bonorum efficitur vel peccatis malorum præpeditur consecratio illa: quamuis autem in diuinis sacramentis inefficaces non sint tam Presbyteri quam ordinatores eorum, nihilominus damnabiles sunt, sed tanto grauiore damnatione punientur in futuro.

Quia apud patres nostros spiritualia iudicia in Ecclesia habentes, totus hic sermo pertinere visus est, rogaui Angelum Domini dicens: Oro Domine, vt sicut spiritualibus rectoribus verba admonitionis hactenus ministrasti, ita illis quoque qui sæcularia iudicia habent, aliquas admonitiones, ex quibus & ipsi corrigi possint à Domino annunciare digneris. Qui confestim petitioni meæ consensum præbens, his verbis sermonem ad illos pertinentem exorsus est dicens: Ecce constituit Dominus super populum suum principes & iudices, vt facerent iudicium & iustitiam, & confirmarent veritatem & pacem inter virum & virum, vt esset omnis populus beneplacens coram Deo viuente: nunc autem sunt principes & iudices mei dicit Dominus, quasi equus & mulus quibus non est intellectus: & ambulant coram me extento collo & inflati superbia, non reddentes gloriam Deo à quo est omnis potestas in cœlo & in terra, sed in suis virtutibus gloriantur: exaltaui & honorificaui eos super terram, & ecce contemnunt scire & gloriam dare mihi: si enim scirent nomen meum quod est magnum & metuendum, & dexteram meam fortem quam extendi super eos, forsitan humiliarentur sub manu & retraherent ad seipsos ceruicem suam quam erexerunt in contumeliam mei, & declinarent vultum in terram de qua sumpsi eos & patres eorum: vobis dico regibus terræ qui erigimini in excelsum, & clamor iniquitatis vestræ ascendit in cœlum coram me, audite vocem increpationis meæ, & disceptabo vobiscum in auribus populi mei. An nescitis quoniam mea sunt vniuersa regna mundi, & omnis gloria eorum, & quia potestatem habeo dandi ea cui voluero & iterum qua hora voluero tollendi ea? nescitis quod ad imperium oris mei subsistunt cuncti viuentes: & quia potes est sermo meus diuidere inter spiritum vestrum & carnem in ictu oculi, & quare elatum est cor vestrum in iis quæ mea ordinatione accepistis, & non magis soliciti estis ministrare mihi in gradu sublimitatis vestræ & gratias agere mihi pro multitudine beneficentiæ meæ? redite ad cor vestrum & videte quid fecerim vobis, & quid reddideritis mihi: ego Dominus dominator vester inueni vos absque meritis gratiarum mearum coram me, & tamen assumpsi vos sicut volui ex omni numero populorum multorum, & extuli vos super altitudinem principum & iudicum terræ, & effudi super vos vnctionem sanctitatis meæ, & posui diadema gloriæ in capite vestro, & porrexi virgam regni dextræ vestræ, & gladio vltionis meæ accin-

accinxi vos, glorificaui vos coram omni populo meo in diuitiis & potentatu excelso, dedique vobis robur grande ad conterendam virtutem rebellium vestrorum & famam nominis vestri dilataui secundum latitudinem terræ: ego Dominus feci vobis omnia hæc, vt magnificaretis laudem nominis mei super terram, & iustitias meas exerceretis in iis quos subieci vobis maioribus & pusillis, & coadunaretis omnem populum meum in vinculis pacis & æquitatis, & daretis vosmetipsos fideles refugium omni oppresso & iniuriam patienti, & essetis vindices mei contra violatores pacis & iustitiæ, & quiescere faceretis terram ab iis qui conturbant eam & desolatam eam faciunt in gladio & igne & violenta prædatione & deuorant labores alienos & vagos ac mendicos faciunt cultores terræ, & inhonorant nomen meum sanctum quo signaui eos & segregaui in hæreditatem mihi: hoc erat iugum seruitutis meæ, quod posui super vos in die quo exaltaui vos super altissimos populi mei: vos autem excussistis illud à cervicibus vestris, & reddidistis mihi pro omni gloria quam dedi vobis non timorem & honorem, sed contemptum & irritationem: clausistis oculos mentis vestræ, vt non respiciatis ad iudicem vestrum qui est in cœlis: & subuertistis quod iustum est propter auaritiam & elationem cordis vestri, & confirmastis iniquitatem in terra: & statuistis eam in excelso: perambulantibus vobis terram, audio ploratationem & gemitum plebis meæ post vos: & querela multa accusat superbiam vestram, quia intolerabilis est equitatus vester, & non est numerus iniquitatis ambulantium in circuitu vestri: onerosi estis populo meo, & hoc vobis pusillum, nisi & Domino Deo vestro graues & abominabiles sitis, ab inquinamentis impudicitiæ vestræ, quibus me ad indignationem prouocare non timuistis, & inhonorastis oleum sanctum quo vnxi vos, & honorabile nomen meum quod posui super vos polluistis, & blasphemare fecistis in multitudine populi pro insatiabili peccato quod dominatur in vobis: propter hoc iuraui in fortitudine dexteræ meæ dicit Dominus, quia ecce in proximo reddam vltionem meam durissimam in capita vestra: & sicut potenter peccastis, potenter cruciari vos faciam, & conculcari ab immundis spiritibus quibus ministrastis: & recedet flagellum à vobis in hoc tempore, si non egeritis pœnitentiam, neque recesseritis à viis iniquis quibus iram meam in regna vestra adducitis: pœnitemini itaque & nolite tardare, & cum omni vigilatia ministerium vestrum in quod vocati estis à me, implere studete: & recordabor miserationum mearum antiquarum in vobis, & propitius ero iniquitatibus vestris multis: & magnificabo secundum magnitudinem seruorum meorum regum qui fuerunt ante vos, & adiiciam vobis gloriæ coronam in regno meo quę non peribit de capite vestro vsque in sempiternum. Intuemini vniuersi principes & iudices mei verba mea hæc qui portatis iniquitatem regnum vestrorum, & corrigite vias vestras prauas in increpationibus meis quibus obiurgaui illos: recedite ab auaritia & dolo qui suffocatis iustitias meas pro muneribus & fauore hominum, subleuatis ad iniquitatem corda populorum meorum vt noceant alterutrum, confidentes in iniustitia vestra: ego Dominus subieci plebes meas dominationi vestræ, vt essetis illis in protectionem à facie violenti & prędantis, & ecce in superbiam eleuatum est cor vestrum, & tanquam lutum platearum conculcatis eos per quos estis glorioſi, & tanquam lupi rapaces in propio grege inianiam exercetis: assimilaui vos principatibus meis qui præsunt militiæ cœli, & intelligere noluistis honorem vestrum, & induistis similitudinẽ principum infernorum in multitudine malitiæ qua affligitis populum meum, & in tumore spiritus vestri & in maculis intemperantiæ vestræ, quibus inhonorastis faciem meam quæ de cœlo vos intuetur: propterea viuo ego dicit Dominus & viuit fortitudo dexteræ meæ: si non audieritis vocem admonitionis meæ, & conuersi fueritis ad me, detraham vos ab altitudine vestra qua male vsi estis in profundum inferni, & eritis consortes illorum quibus vosipsos assimilastis in incendio viuenti in sempiternum.

In die sancto Pentecostes in hora prima ante celebrationem diuini officij cum essem in oratione, apparuit Angelus corã me, & hactenus dictum sermonem, verborum istorum adiectione compleuit: Hæc dicit Dominus rex regum & Dominus dominantium vniuersæ terræ, audite & intelligite verba oris mei, & emendate vias vestras in conspectu meo: quod si me placare studueritis, quanto magis altiores estis in hoc, tanto magis dabo vobis altiorem locum nominatum in regno meo, vt mecum viuatis & regnetis sine fine, Amen.

CAPVT XV.

De via viduatorum. Sermo septimus.

IN festiuitate sancti Martini inter silentia missæ allocutus sum Angelum dicẽs: Placeat nunc Domine vt exhibeas nobis disciplinam congruentem illi viæ, cuius vna pars vepribus occupata apparuit, altera vero floribus amœna & stricta nihil habens veprium & impedimentorum. Vix petitionis meæ verba compleui, & protinus ait: Ecce dico vobis qui in sæculo viduati estis, viuentes in carne in laboribus & angustiis multis, abstinete vos à vitiis huius sæculi & ambulate in via continentiũ delectabiliter ornata, viuentes secũdum spiritum, egredimini de medio spinarum quæ sunt in circuitu vestri: quia ecce dissolutus est laqueus vester quo alligati fuistis huic mundo, & quasi captiui ducebamini ad seruiendum voluntati alienæ, & non eratis vestri quando faciebatis voluntatem carnis iuxta omnia desideria cordis vestri, excusatione à necessitate coniugij accepistis: & si iterum carni obedire volueritis, quam excusationem habebitis? quid vltra placere concupiscitis humano aspectui in superbo amictu & ornamento faciei vestræ? cui vltra carnem vestram iam in parte mortuam emitis in deliciis huius sæculi & desideriis quæ aduersantur spiritui vestro, & coaceruatis

vobis

vobis solicitudines superuacuas ? audite magis consilium diuinum , & discedite à voluptatibus vitæ huius quia fallaces sunt, ne forte præoccupemini ab eis, & fiant nouissima vestra peiora prioribus: apprehendite quietudinem mentis & spirituales delicias quas offert vobis Deus, & agite residuum annorum vestrorum in obsecrationibus & vigiliis, & castigatione carnis, & operibus pietatis. Et adiecit in vigilia Apostolorum dicens : & quid addam vos admonere? ecce ostendi viam, instruxi vos doctrina, palpate huc & illuc, considerate verba , retinete exempla , diligite castitatem, currite ad claritatem Dei & Domini nostri Iesu Christi , quam vobis præstare dignetur qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Cupiebam octaui sermonis initium accipere in die translationis sancti patris nostri Benedicti, sed impeditæ sunt die illo, orationes meæ ab hospitum præsentia , & translatum est desiderium meum vsque in proximum diem. Tunc enim stante me in oratione post horam capituli , præsentauit se mihi Angelus Domini : & postulaui vt sermonem ordiretur ad eos , quorum vita in visione quasi glebis occupata apparuerat : & confestim aperiens os suum, hæc verba locutus est.

CAPVT XVI.

De via Eremitarum & Solitariorum. Sermo octauus.

ATTENDITE vos qui in eremo vitam ducere elegistis, quam discretionem habeatis : discretio enim est mater omnium virtutum: glebis aspera est via vestra, propter duritiam vitæ, videte ne forte offendat pes vester: quod & si offenderit, cauete ne lumen quod in vobis est euacuetur : propterea autem necessaria vobis est discretio , vt non cito sequamini omnem impetum zeli vestri, qui vos ad altitudinem perfectionis impellit : neque supergradiamini mensuram virtutis vestrę laboribus immoderatis: multi in præsumptione spiritus sui ambulantes, vitam suam nimia afflictione extinxerunt , & perierunt in adinuentionibus suis: multi mensuram suam excedentes, humanum intellectum in seipsis subuerterunt, & inutiles facti sunt , & similes iumentis insipientibus : multi per immoderatas fatigationes, in rædium adducti sunt, & elanguit virtus eorum, & abierunt retrorsum, & reuoluti sunt ad voluptates carnales, factique sunt in derisionem spiritibus nequam : bona est vexatio carnis, quia aduersatur concupiscentiis immunditiæ : sed si mensuram exuperet , inutilis est, quia suffocat deuotionem contemplationis, & lumen eius extinguit : propter hoc memento homo fragilitatis tuæ, vt caute gradiaris in via dura quam ingressus es, & patienter agas in festinatione tua, ne ruinam patiaris : dirige in consiliis sapientium cunctos labores tuos , non in proprio sensu, & non confunderis in exitu tuo: dominatorem cęli ne tentes, sicut qui incaute sui curam abijciunt, & habent fiduciam quod mirificetur, in eis potentia Domini secundum dies antiquos. Ad hæc sume tibi eruditionem & disciplinam contemplationis, quam annunciaui à Domino, & consolare ablectionem tuam in ea.

NOTA.

Consedentibus nobis in Capitulo ad audiendam lectionem regulæ , in festiuitate sanctæ Mariæ Magdalenæ, altitit coram me Dominus meus & præsentem sermonem congruo fine compleuit, dicens: Nunc attende ô homo qui in solitudine vitam ducere elegisti, & voluptatibus sæculi renunciasti , qualem fructum afferas : sunt enim aliqui hominum qui plus amant solitudinem propter libertatem propriæ voluntatis, quam propter fructum boni operis: quod si in bono perseueraueris, condonabit tibi Dominus quod oculus non vidit, nec auris audiuit , nec in cor hominis ascendit: quod vobis præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Cum adesset festiuitas beati Iacobi Apostoli, in primis vesperis, apparuit Angelus Domini coram me: feci itaque sicut suggresserat mihi conscriptor sermonum istorum, ac petij ab eo, vt titulum qui in capite libri huius scribendus esset, pronunciare dignaretur. Qui continuo petitioni meæ assentiés, ait: Hic est liber viarum Dei, qui annunciatus est ab Angelo Dei altissimi, Elizabeth ancillæ Christi & Dei viui, in quinto anno visitationis eius quo visitauit eam Spiritus Domini ad salutem omnium qui paternas admonitiones Dei, grata benedictione percipiunt : & erat annus Dominicæ Incarnationis M.C.LVI.

De titulo libri.

CAPVT XVII.

De via adolescentum. Sermo nonus.

MENSE Augusto quinta die mensis mane post vigilias matutinas, cum essem cubans in lectulo meo, neque adhuc somnum cœpissem subito apparuit coram me Angelus Domini, & præsentis libri nouum sermonem initiauit his verbis: Ecce ego habeo aliquid ad vos dicendum, qui in iuuentute positi estis : quasi lilium quod ante solis ortum clausum erat, & quando sol splendet in virtute sua aperit se, & delectatur in ardore solis, sic est homo & sic floret caro eius in iuuentute sua, & delectat mentem suam multis modis tactus, ac resoluitur ab innati caloris blandimento : audite itaque filij & percipite in verbis ministerij mei vocationem optime patris vestri de cœlo , qui dabit vobis locum dulcissimæ amœnitatis ante solium gloriæ suæ, si elegeritis ambulare in consiliis eius: discite imprimis timere Dominum cœli, & assuescite incuruari sub iugo timoris eius ab initio adolescentiæ vestræ: ecce præparauit in inferno crudeli ignem & sulphur & flagella multa nimis , & morsus amarissimos horrendorum spirituum facientibus mala pusillis & magnis, & nulli parcit ętati, propterea dico vobis discite continere vos ab omni opere malo, & custodite innocentiam vestram tãquam aurum electum cuius pretium indecorem adhuc ignoratis: cum autem senuerit intellectus vester , tunc cognoscetis & gustabitis ex ea fructum lætitiæ quam nemo nouit nisi qui accipit: consilium Domini est filioli, quod dico: ecce in sinu vestro est thesaurus desiderabilis & pretiosus

tiosus super omnes diuitias mundi, hoc est virginitatis gemma: beati eritis, si custodieritis eam: rem tam pretiosam nolite proijcere in lutum, neque pro vili delectamẽto quod est vnius momenti commutetis eam: quia semel abiecta, amplius inueniri non potest: ipsa est fraternitatis nostræ in cœlo proprium signum, & propterea singulariter in eis delectamur in terra, quos titulo nostro signatos esse videmus: quod si placuerit animæ vestræ custodire eam, attendite vobis vt non inquinetis eam in negligentiis leuitatis vestræ: declinate cum pauore cordis ab irritamentis immunditię, & fugite confabulationes & collusiones adolescentularum, & corruptoribus earum nolite sociari: custodite os vestrum ab impudico sermone, & declinate aurem vestram ab eo: & ab omni turpitudine oculos vestros & manus abstinete: audite & intelligite scripturam Sapientis quæ dicit: *Fœlix sterilus & inconinquinata, quæ nescisti thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatẽ, dabitur ei fidei donum electũ, & sors in templo Domini acceptißima.* De hac scriptura cũ requisissem ab eo cuius esset? ait: Spiritus sanctus per os Sapientis locutus est: statimq; ab oculis meis ablatus est, neque amplius interrogari sese concesit. Post hæc rursus adiecit & dixit: Adhuc addam loqui fratribus & conseruis meis admonitiones patris eorum. Filij adducite vobis in consuetudinem mores sanctitatis in floribunda ætate vestra, quos in tempore maturitatis vestræ posfitis exercere: aptate in hoc mores vestros, vt sitis verecũdi, mites & sobrij, humiles & misericordes, & patientes estote ad correctionem, & doctrinam sapientium diligite & inuestigate: fugite verba mendacij & malitiæ, furta, comessationes & rixas, & ludos quos auaritia adinuenit, & eos qui præstant occasionem immundæ voluptati: expedit & vobis orationi frequenter intendere, quia tanquam suauitatis incensum est in cœlo oratio de immaculata conscientia procedẽs: supplicate creatori vestro, vt emaculatos vos custodiat ab hoc sęculo, & nolite sperare in diuturnitate vitæ præsentis, quia incertus est exitus vester: hæc est viæ vestræ pulchritudo. O adolescentes & iuuenes immaculati, ambulate in ea, & eritis filij amabiles Domino & similes Angelis Dei in cœlo: ad quorum societatem ducere vos dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui est benedictus & laudabilis cum Patre & Spiritu sancto in sempiterna sæcula, Amen.

CAPVT XVIII.

De via infantium. Sermo decimus.

CVM esset completus per Angelum sermo prędecedens in vigilia Assumptionis sanctę Dei genitricis Mariæ, rursus in ipso die festo in tempore diuini officij visitauit me, & ait: Ecce adhuc volo consummare sermones meos, quoniam adhuc locus est, & habeo aliquid breuiter dicere ad infantes, qui nesciunt se custodire propter ignorantiam: propter quod oportet admoneri matres eorum, vt custodiant eos cum timore Dei castos & immaculatos nẽ forte pereant. Ad hęc ego subiunxi, interrogans & dicens: Quid est Domine, quod dixisti castos & immaculatos? quid facere possunt infantes vnde castitatem suam cõmaculent? nonne & si quid delinquunt, ignorantia eos excusat? Et ait: Castitatem suam verbis immundis sępe coinquinant & operibus, qualia & ipsi perficere possunt: & quamuis per ignorantiam faciant, tamen sine reatu non sunt & pœnam omnino non euadere possunt de hac vita migrantes: quia neque ab aliquo sunt castigati, neque per seipsos pœnitentiam delicti habere sciebant: propterea castigari debent à parẽtibus pro delictis suis: quia sicut mala facere assuescunt, ita & bona facere discerent, si per castitatem ad hoc nutrirentur: quod autem dixi immaculatos, pro ipsis dixi qui cum paululum de septennio exierint, tunc amplius se commaculant prauis operibus, quia plus nouerunt cogitare de malo, quoniam non sunt prohibiti ab eo: nam & ipsi in quantum possunt operantur opus impudicitiæ: ita vt germanitate coniuncti sæpe copulentur nescientes quid faciunt: tales igitur si de hac vita migrant, magnas pœnas sustinent, quousq; purificentur: quia nulla omnino macula in regnum Dei potest intrare: hoc ergo est illorum perire, de quo supra dixi: tanto autẽ grauius ac diutius puniuntur, quo minus orationibus & eleemosynis amicorum adiuuantur, pro eo quod eis indigere non credantur: dico vobis parentibus, & quicunque paruulorum custodiam habetis, attendite quomodo in magna cautela eos custodiatis: quia in vos redundabunt delicta eorum, si neglexeritis eos: prona est per se omnis caro in malum, & idcirco nolite enutrire eos in vanitatibus vestris: neque inclinetis eos ad ebrietatem, & fabulationes vanas & prauas, neque ad superbiam inducatis eos per delicatam educationem: prohibete eos à verbis impudicis & conuitiosis, & obscœno cantu & lusibus malis, & rixa & vagatione incauta: ne rideatis super delictis eorum, sed magis in virga mansuetudinis & verbis correctionis absterrete eos, quia contumaces erunt si propriæ voluntati relinquantur: incipite autem ab ipsa aurora ætatis eorum, flectere eos ad timorem Domini, & initia sacræ fidei, & orationes Dei, & omne quod ad mores bonos pertinet auribus eorum frequenter instillare curate. Consummauit autem hunc sermonem in octaua Assumptionis, adiectione verborum istorum: Nunc autem filij charissimi quam pulchra est via vestra, currite in ea. O quam amabilis est pater vester, quam pretiosum est præmium vestrum & regnum cœlorum? quod vobis præstare dignetur Filius qui manet in Patre & Pater in Filio manens cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen. Hæc adiuratio conscriptoris sermonum istorum. Adjuro per Dominum & per Angelum eius, omnem qui transcripserit librum istum, vt diligenter eum emendet, & hanc adiurationem codici suo ascribat.

* *
*

Tertij Libri Visionum S. Elizabethæ Virginis
FINIS.

LIBER IV.
SANCTAE ELIZA-
BETHÆ VIRGINIS.

VIsio Elizabeth ancillæ Domini quam vidit in Sconaugiensi cœnobio de Assumptione virginis Marię Matris Domini.

In anno quo mihi per Angelum Domini annunciabatur liber viarum Dei, in die quo octauam Assumptionis Dominæ nostræ Ecclesia celebraret, in hora diuini officij fui in excessu mentis, & apparuit mihi suo more illa consolatrix mea Domina cœlorum: tunc sicut ab vno è senioribus nostris præmonita fueram, rogaui illam dicens: Domina mea placeat benignitati tuæ, vt de hoc certificare nos digneris vtrum solo spiritu assumpta sis in cœlum, an etiam carne? Hoc autem idcirco dicebam, quia (vt aiunt) de hoc dubie in libris Patrum scriptum inuenitur. Et dixit mihi: Quod inquiris nondum scire potes, futurum tamen est vt per te hoc reueletur. Ego toto itaque illius anni spatio, nihil de hoc vel ab Angelo qui familiaris mihi est, vel ab ipsa cum se mihi præsentaret, amplius interrogare audebam: iniunxit autem mihi frater ille qui ad hanc inquisitionem me hortabatur, aliquas orationes, quibus impe-
1157. trarem ab ea reuelationem quam spoponderat mihi: cumq; euoluto anno rursus adesset festiuitas Assumptionis eius, languebam ægritudine dierum multorum: & sicut eram iacens in lectulo in tempore diuini sacrificij, veni in mentis excessum, cum labore vehementi: & vidi in loco valde remoto sepulchrum quoddam multo lumine circumfusum, & quasi speciem mulieris in eo, & circumstabat multitudo magna Angelorum: & post pusillum erecta est de sepulchro, pariterq; cum illa multitudine astantium eleuata est in sublime: cumq; aspicerem, ecce in occursum eius venit de altitudine cœlorum vir supra omnem æstimationem glorioſus, portans in dextera signum crucis, in quo & vexillum apparuit, quem intelligebam esse ipsum Dominum Saluatorem, & infinita millia Angelorum cum eo: sicq; eam alacriter suscipientes, cum magno concentu in superna cœlorum euexerunt: cumq; hæc ita perspexissem, post modicum temporis progressa est Domina mea ad ostium luminis in quo eam videre consueui, & stans ostendit mihi gloriam suam: in eadem hora assistebat mihi Angelus Domini qui venerat annuncians mihi decimum sermonem præfati libri, & dixi ad eum: Domine mi, quid sibi vult hæc visio magna quam vidi? Et ait: Ostensum est tibi in hac visione, quomodo tam carne quam spiritu Domina nostra in cœlum assumpta est: post hæc in die octaua iterum sciscitata sum ab Angelo qui tunc quoque me visitauit & præfato libro terminum imposuit, in quoto die à die dormitionis eius, acciderit corporalis illa resurrectio eius: & rursum de hoc me benevole certificauit dicens: Quoniam in eo die quo nunc celebratur Assumptio eius, de vita hac migrauit, quadragesimo autem die post illum, hoc est nono Cal. Octobris, resurrexit: adiecit etiam dicens: Sancti Patres qui solennitatem Assumptionis eius celebrari in Ecclesia statuerunt, nullam certitudinem corporalis Assumptionis eius habebant, ideoq; diem dormitionis eius solennem fecerunt quem & Assumptionem appellauerunt, qui etiam carne assumptam indubitanter credebant. Post hæc cum dubitarem publicare scriptum reuelationis huius, metuens ne forte iudicarer quasi inuentrix nouitatum, expletis duo- 1159.
bus annis, rursum in festiuitate Assumptionis suæ Domina mea mihi apparuit, interrogauiq; eam dicens: Domina, nunquid manifestum faciemus verbum illud, quod de tua resurrectione mihi reuelatum est? & respondit: Non debet in populo diuulgari hoc, quia sæculum malignum est: & qui audierint, seipsos intricabunt, neque se expedire scient. Rursum dixi: Vis ergo vt omnino deleamus quæ scripta sunt de reuelatione ista? Et ait: Non sunt tibi hæc reuelata, vt deleantur & in obliuionem mittantur, sed vt amplificetur laus mea apud eos qui singulariter diligunt me: debent enim innotescere per te familiaribus meis, & erunt manifesta iis qui mihi manifestant cor suum, vt ex hoc specialem mihi laudem exhibeant, & specialem retributionem recipiant à me: multi enim sunt, qui cum exultatione magna & veneratione verbum hoc recepturi sunt: propter hos ergo sermones, eum qui supra memoratus est diem, prout poteramus in conclaui nostro solennem egimus &

vene-

venerabili Dominæ deuotas persoluimus laudes. Cumque diuini officij mysterium celebraretur, apparuit mihi secundum consuetudinem suam, & dum conferret mecum plurimos sermones, interrogaui eam dicens: Domina mea quanto tempore post Ascensionem saluatoris vixisti super terram? nunquid in ipso anno Ascensionis eius assumpta es in cœlum? Et respondit placide verbis meis & ait: post Ascensionem Domini, permansi in vita mortali super terram anno integro & tot diebus, quot sunt à festiuitate Ascensionis vsque ad diem in quo celebratur Assumptio mea. Item subieci dicens: Et nunquid affuerunt sepulturæ tuæ Apostoli tui? & ait: Omnes affuerunt, & cum magna veneratione corpus meum terræ commendauere.

Quodam autem tempore celebrantibus nobis festum Dominicæ Annunciationis, cum iterum ostenderet mihi glorioſam faciem suam Domina mea, ausa sum & hoc scisciſtari ab ea: cuiusnam ætatis esset quando annunciante Angelo verbum Dei in sua virginali aula concepit? Et huic quoque interrogationi responsionem huiusmodi reddere dignata est: Quindecim inquit annos tunc habui, atque insuper tantum temporis quantum est à commemoratione Natiuitatis vsque ad Dominicæ Annunciationis solennitatem.

De am. B. V.

CAPVT I.

Protestatio Angeli de Annunciatione libri viarum Dei.

CVm essent pene consummati hi sermones in festiuitate Apostolorum Petri & Pauli, ante horam diuini officij, fui orans in secreto, & apparuit in conspectu meo Angelus Domini: & locutus est audiente me, verba hæc: Treuerensi Episcopo & Coloniæ & Moguntiæ Episcopis, annunciatum sit vobis à Domino Deo magno & tremendo, & ab Angelo testamenti libri huius, vt hæc verba quæ inueneritis in præsenti libro annuncietis Romanæ Ecclesiæ, totiq; populo, & omni Ecclesiæ Dei: emendare vosipsos, & conuertimini ab erroribus vestris, & nolite indigne accipere admonitionem sacram & diuinam: quia non sunt hæc ab hominibus inuenta: dico autem vobis ex nomine, quoniam in ista Prouincia nomen religionis habetis: legite & audite admonitiones diuinas, & suscipite eas placida mente, & nolite arbitrari hæc figmenta esse mulierum, quia non sunt: sed sunt à Deo Patre omnipotente, qui est fons & origo omnis bonitatis: quod autem vobis dico, cæteris omnibus dico.

CAPVT II.

Sermo Elizabeth de vndecim millibus virginum aliisq; martyribus passis inter eas Coloniæ.

VOBIS qui pios affectus ad ea quæ sancta sunt geritis, ego Elizabeth famula ancilla-

Vis. Elizab.

rum Domini quæ sunt in Sconaugia, aperio ea quæ mihi per gratiam Dei reuelata sunt de illo Virginali exercitu sanctæ Vrsulæ Britannicæ Reginæ: qui in suburbio Colonienſis ciuitatis, pro Christi nomine in diebus antiquis martyrium passus est: de his enim me silere non permittunt quidam bonæ opinionis viri, qui ad hæc inuestiganda, diutina me postulatione multum renitentem compulerunt: scio quidem quoniam & hinc sumpturi sunt occasionem, flagellandi me linguis suis qui aduersantur gratiæ Dei in me: sed voluntarie id sustinebo, quia aliquid mercedis recepturam me spero, si tot martyrum honor aliquid incrementi acceperit ex iis quæ per meos labores Dominus de eis reuelare dignatur. *Vrsula Reginâ.*

Quando complacuit Domino misereri super martyres suas pretiosas, quæ per multa tempora iacuerant sine honore sub pedibus hominum & iumentorum secus muros vrbis Coloniæ, accidit vt viri quidam ibidem manentes accederent ad locum martyrij earum, & aperirent multa monumenta sanctorum corporum: atque ea inde sublata transferrent ad loca religiosa quæ erant in circuitu, sicut à Domino fuerat ordinatum: erat autem annus Dominicæ Incarnationis M.C.LVI. his fieri incipientibus: & tenebat Romani imperij principatum Fredericus Imperator, Cathedræ autem Pontificali in Colonia præsidebat Arnoldus secundus. Tunc inter cæteras vna pretiosa martyr ibidem inuenta est, in cuius sepultura titulus talis legebatur: *Sancta Verena virgo & martyr:* hæc per manum venerandi Abbatis nostri Hildelini, inde in locum nostrum translata est, data ei à Tuitiensi Abbate domino Gerlaco, qui ad colligenda & honoranda illius sanctæ societatis corpora, pia multum deuotione feruebat: quæ dum à conuentu fratrum nostrorum qui eam susceperi erant, ad ingressum Ecclesiæ expectaretur, ego in conclaui nostro residēs antequam de aduentu eius quicquam audissem, testimonium sanctitatis eius tale accepi à Domino: veni in mentis excessum, & vidi in via per quam sacra ossa ferebantur, quasi flammam candidissimā, habentem formam globi, quam antecedebat Angelus speciosus nimis, habēs in manu sua thuribulum fumigans, in altera vero candelam ardentem: sicq; pariter in aëre læto meatu migrabant vsque intra Ecclesiam: cumq; die altera in eius veneratione missarum solennia celebrarentur, fui in spiritu & apparuit mihi eadem virgo, stans in cœlesti claritate mirifice coronata, & palma victoriæ glorioſe adornata: ego igitur eam alloquens interrogaui, an vere ita esset nomen eius sicut relatum nobis erat: pariterq; scisciſtata sum de nomine cuiusdam martyris, cuius corpus absque certo nomine cum ipsa erat allatum. Et respondit dicens: ita est nomen meum vt audistis: pene tamen per errorem aliter scribi debuerat, sed ipsa ego scribētem prohibui. Venit autem mecum Esarius martyr, & quando introiuimus in hunc locum, intrauit pax nobiscum. Rursus die altera cum de eodē martyre diuinum officium celebraretur, apparuit & ipse mihi in gloria magna: & cum ab eo requisissem, cuius officij in sæculo extitisset; & qua *Verenâ. Hildelin⁹ Esarius.*

1156.
Frederic⁹ Arnoldus

& qua occasione cum illis virginibus martyrium subiisset, ait: Miles fui in sæculo, filius materteræ huius sacræ virginis cui nunc adiunctus sum: dilecta valde mihi erat: ideoque cum egrederetur de terra sua, comitatus sum eam: ipsa vero ad martyrium suscipiendum me confortauit, & ego videns constantiam eius in passione, simul cum ea passus sum: fuerunt autem longo tempore ossa nostra abinuicem separata, sed nunc impetrauimus à Domino vt sic coniungerentur: hoc igitur sermone in magnam dubitationem adducta sum: æstimabam enim quemadmodum opinantur cuncti qui legunt historiam Britannicarum virginum, quod absque virorum comitatu peregrinata fuerit illa beata sodalitas: præterea & aliud quiddam comperi, quod nihilominus hanc opinionem vehementer infirmabat.

In tempore eodem quo prædicti duo Martyres inuenti sunt, reperta sunt inter sepulchra virginum, multa corpora sanctorum Episcoporum, atque aliorum magnorum virorum: erantque in monumentis singulorum repositi lapides habentes titulos sibi inscriptos, quibus dignoscebantur qui aut vnde fuissent: horum præcipuos & maxime notabiles transmisit ad me ex supradicta vrbe præfatus Abbas, sperans aliquid mihi per gratiam Domini de eis posse reuelari: & cupiens certificari per me vtrum credendum eis esset an non: habebat quippe suspitionem de inuentoribus sanctorum corporum, ne forte lucrandi causa, titulos illos dolose conscribi fecissent: quales autem fuerint tituli illi, & quid de eis mihi reuelatum sit, in præsenti sermone per diuersa loca oculis legentium anteponere curaui: vt hinc animaduertatur, quam digne à fidelibus CHRISTI, omni honore prosequenda sit illa sancta sodalitas, quam tam sublimium personarum comitatu diuina paternitas honorare dignata est.

Eram aliquanto tempore cogitans mecum super iis quæ dicta sunt, desiderans accipere à Domino reuelationes quæ expectabantur à me. Et factum est vt superuenerit festiuitas beatorum Apostolorum Simonis & Iudæ, de quibus dum officium missæ celebraretur, venit super me quædam passio cordis quam pati solebam, quando primo mihi reuelari inceperunt mysteria Dei. Cumque diu fatigata fuissem, veni in extasim, & sic quieui: cum ergo in spiritu meo sicut mos mihi est, in cœlum intuerer supradictos martyres de loco claritatis, in quo visiones sanctorum videre soleo longe in inferiorem aërem procedentes, vidi: eosque fidelis custos meus, Angelus Domini præcedebat, quos ego ita (vt eram in spiritu) allocuta sum dicens: magnæ bonitatis vestræ hoc est, domini mei, quod nunc ita me visitare dignamini cum nihil seruitij vobis exhibuerim. Ad hoc beata Verena, ita respondit: Sensimus quoniam multum nos inuitauit desiderium cordis tui, & propterea venimus visitare te. Tunc interrogans, dixi: Domina mea, quid hoc sibi vult, quod in loco martyrij vestri etiam Episcoporum corpora sepulta inueniuntur? & nunquid credendum est superscriptionibus titulorum, quæ in quibusdam lapidibus illic reperiuntur? & quis fuit scriptor eorum? Et dixit ad me: ante multa tempora ad hoc ipsum præelegit te Deus, vt ea quæ hactenus de nobis incognita fuerunt, per te faceret manifesta: propterea noli ferre molestè, quod ad hæc inquirenda, quorundam precibus solicitaris: sit iniunctum tibi vt omni tempore vitæ tuæ per singulos annos in vigilia passionis nostræ in pane & aqua ieiunes: aut si hoc implere non potes, vnius missæ celebratione redimi te facias, quatenus tibi reuelare dignetur Dominus, ea quæ de nobis manifestare disponit, & vt tu nostro consortio quandoque adiungi merearis: post hæc cœpit loqui ad me sermones istos in magna vultus sui hilaritate, dicens: Quando primum in patria nostra congregari incepimus, sacra fama nostra longe lateq; dispersa est, & multi ad spectandum nos vndique confluxerunt: contigit autem Deo ordinante, vt etiam quidam Episcoporum Britanniæ nobis adiungerentur, atque in nostra societate mare transeuntes vsque Romam nobiscum peruenirent: in quo itinere & beatus Pantulus Basilienſis Episcopus nobis associatus est, & vsque Romam perduxit: factusq; nostræ passionis socius, huius titulus talis erat: *Sanctus Pantulus Basilienſis Episcopus, qui virgines sacras cum gaudio susceptas Romam perduxit, vnde reuersus Coloniam peruenit, ibiq; cum eis martyrium suscepit*: post hæc obieci dictis eius, illud quod in historia ipsarum legitur: videlicet quod cum esset beata Vrsula quasi ludens in mari, secundum consuetudinem suam cum associatis sibi virginibus, ductis plus solito in altum nauibus quas ipsæ virgines gubernabant, repentino vento aspirante, cunctæ naues à finibus illis ablatæ sunt, neque vltra redieruut illuc: iuxta hæc etenim verisimile est, quod absque virorum comitatu perrexerunt. Ad hæc ita respondit.

Simon. Iudas.

Pantulus

Pater beatæ Vrsulæ rex Britanniæ Scoticæ Maurus nomine vir fidelis, conscius erat voluntatis filiæ suæ: & quid de ea Deus ordinasset, cognoscebat, quemadmodum & ipsa: atque hoc quibusdam quos familiares habebat, detexit: acceptoque consilio, caute præordinauit, vt filia sua quam tenerrime diligebat viros quorum solatio tam ipsa quam exercitus eius indigebat, in comitatu suo discedens haberet.

Maurus, pater Vrsulæ.

Excellentium titulorum qui maxime notabiles erant, hunc habebat modum: *Sanctus Cyriacus Papa Romanus qui cum gaudio suscepit sanctas virgines, & cum eis Coloniam reuersus, martyrium suscepit*: & alius secus hunc repertus est talis: *Sanctus Vincentius Presbyter Cardinalis*. De quibus cum beatam Verenam interrogassem, ait: In tempore quo ingressæ sumus vrbem Romam, præsidebat Apostolicæ sedi vir sanctus nomine Cyriacus: hic ingressus fuerat Romam de finibus nostris: & cum esset vir prudens & nobilis omnibus acceptus, sublimatus erat in Apostolicam dignitatem, & iam per annum integrum & vndecim hebdomadas Romanam Ecclesiam rexerat, eratque in numero Romanorum Pontificum decimus nonus: qui cum nos aduenisse audisset,

Cyriacus Papa.

Vincentius

disset, lætatus est cum omni clero suo, & in magna honorificentia nos suscepit: habebat quippe cognatas quamplures inter nos: nocte vero quæ proxima erat post aduentum nostrum, reuelatum est ei à Domino, quod relicta sede Apostolica nobiscum esset profecturus, simulq; martyrij palmam nobiscum accepturus: ipse vero erat celans apud se reuelationem hanc, deditq; sacri baptismatis benedictionem multis sodalium nostrarum, quæ nondum erant renatæ in Christo. Cumq; opportunum tempus accepisset, manifestam fecit voluntatem suam, atque in conspectu totius Ecclesiæ resignauit officium dignitatis suæ, reclamantibus cunctis, præcipue Cardinalibus qui velut ad deliramentum arbitrabantur quod quasi post fatuitatem muliercularum declinaret, nescientes admonitionem diuinam quæ eum vrgebat: ipse autem constanter in proposito suo permanebat propter amorem virginitatis nostræ: nam & ab infantia sua ipse immaculatam virginitatem custodierat in seipso. Ab illo ergo tempore omnem gratiam quam in conspectu Romanæ Ecclesiæ prius habebamus, amisimus: & obscuri nobis facti sunt, qui prius applauserunt nobis. Ipse autem venerandus pater noster beatus Cyriacus, non prius ab vrbe egressus est donec i-

Antherus pius consilio alter ei nomine Antherus substitutus est: post hæc cum perspexissem cathalogũ Romanorum Pontificum, neque vsquam nomen sancti Cyriaci illic reperissem, rursum interrogaui beatam Verenam cum se mihi die quadam præsentasset, quare inter cæteros Romanos præsules ascriptus non fuisset. Et dixit, hoc ex indignatione cleri accidisse, pro eo quod in ordine dignitatis suæ, vsque ad finem permanere noluisset. Rursus die alia, cum eam interrogassem de quodam Iacobo cuius nomẽ in sepultura eius absque omni adiectione scriptum inuentum est: visa mihi est quodam modo gratulari super interrogatione mea: respondit q; mihi hilariter dicens: Fuit in tempore illo quidam nobilis pater, venerabilis

Iacobus Archiep̃s Antioch. vitæ Iacobus Archiepiscopus qui de patria nostra in Antiochiam peregre profectus fuerat: ibiq; ad honorem Præsulatus ascenderat, & septem annis rexerat Ecclesiam illam: hic cum audisset beatum

Cyriacus. Cyriacum suæ gentis virum Romæ in Apostolicam dignitatem sublimatum, venerat visitare eum: iamq; nobis aduenientibus nuper de vrbe erat egressus: quod cum nobis indicatum fuisset, missus est velociter nuncius ad reuocandum eum: & inuentus est in castello quodam, quod erat remotum à Roma duabus diætis: cumq; audisset de aduentu nostro, cõtinuo reuersus est ad nos, & factus socius itineris nostri, & particeps passionis nostræ in Colonia: habebat autẽ & ipse neptes aliquas in nostra societate: hic exhortante beato Cyriaco Papa, cum esset vir prudens magnam diligentiam adhibuerat, vt sciret nomina sororum nostrarum, atque ea ex magna parte cum interemptæ fuissemus, lapidibus inscripta corporibus nostris adhibuit: sed antequam hoc perficere potuisset, deprehensus est ab impiis in hoc opere, & trucidatus est in medio nostri: hinc est quod quædam ex nostris titulatæ inueniuntur, quædam vero non: in ipsa autem hora passionis suæ cum iam feriendus esset, hoc solum à percussoribus postulauit, vt tantum differretur passio eius quousque suiipsius nomen posset lapidi inscribere, & concessum est ei: interrogaui etiam de die passionis eius, quia non erat credibile secundum narrationem hanc, quod eodem die quo virgines passæ sunt ipse quoque fuisset interemptus: ad hoc quoque ita respondit: Post diem passionis nostræ tertia die passus est ab eodem ty-

Cordula. ranno qui beatam Cordulam interemit: addidit etiam de quodam martyre cuius titulus erat, sanctus Mauritius Episcopus, & ait: Adiunctus est et-

Mauritius iam nobis beatus Mauritius Episcopus, cum adhuc Romæ essemus. Hic fuerat Episcopus in Lauicana annis duobus, habens & ipse originem de patria nostra filius comitis vnius de genere magnorum principum: eratq; auunculus duarum virginum

Babila. Iuliana. Babilæ & Iulianæ cum quibus sepultus inuentus est: fuit autem vir sanctissimæ vitæ, & virtutẽ magnam habebat prædicatio eius: eratq; maximum ei studium, vt quicunque infidelis siue Iudæus, siue Gentilis ad eum veniisset, non discederet ab eo quousque sacri baptismatis aqua eum lauisset: & ita recte officio eius nomen Lauicana congruebat:

Claudius Focatus. hic secum adduxit ad nos beatum Claudium Spolitanum quem ipse in diaconum ordinauerat, & Focatum adolescentulum laicum fratrem eius qui nondum ad militiam fuerat promotus: hi duo adhæserunt Episcopis nostris, & diligenter eis ministrauerunt, & martyrium cum eis subierunt. Hæc dicebat: quia de his ab ea fueram scisitata propter titulos eorum quos videram: adiecit etiam vltro dicens: Cuncti Episcopi qui in itinere nobiscum fuerunt, segregatas à nobis mansiones habebant: sed in diebus Dominicis in medium nostri venire solebant, confortantes nos diuino sermone, & Dominici Sacramenti communione. Habebam quodam tempore desiderium interrogandi de duobus Episcopis quorum titulos acceperam, talem habentes formam: *sanctus Billanus Lucensis Episcopus ab Apostolica sede missus, hoc in loco fuit occisus & ferro peremptus, & cum istis virginibus est sepultus, item sanctus Simplicius Rauanensis Episcopus.*

Billanus Simplicius.

Et factum est vt quadam die ageremus memoriam beatissimæ virginis Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, & ostẽdit mihi faciem suam secundum solitam benignitatem: cumq; mecum plurima verba contulisset, interrogaui eam de eisdem Episcopis, & ait: Hi duo in tempore illo profecti fuerant Coloniam, & inde reuertentes obuium habuerunt sacrum exercitum, sicque associati Papæ & clero qui illic erant, & cum eis iterum redeuntes palmam martyrij cum eis adepti sunt: rogata eram, vt inuestigarem de titulo cuiusdam venerabilis monumẽti, quod intitulatum erat hoc modo: *Hic*

Etherius rex. *iacet Etherius qui vixit annos quinque & viginti fideles, in pace recessit.* & subscriptum erat capitalibus literis, *Rex:* & erat figura R, grandis atque ita disposita vt in ea notari possent duę literę scilicet P & R erãtq; duę literę appositę A & X: in siniſtro latere erat X posita, in dextro autem capitale A scriptum erat: itemq; in lapide quodam iuxta inuento, scriptum

Demetria regina. ptum legebatur Demetria : interrogaui igitur
Verena. beatam Verenam de iis, simulque de infantula quadam quæ iuxta inuenta est habens titu-
Florētina. lum, Florentina puella. Et respondit mihi ad o-
Vrsula. mnia, dicens : Etherius rex sponsus fuit Vrsulæ sanctæ reginæ. Demetria vero, fuit mater Etherij. Florentina autem, soror eiusdem : & addidit vltro, dicens : Narrabo etiam tibi quid significat A litera quæ titulo regis ascripta est. Sume ter literam A, & adiunge ei tres literas X & P & R,
Axpara. & habebis AXPARA, quod est nomen cuiusdam Ducissæ, quæ in vicino reperta est : fuit autem filia materteræ Etherij, magnæq; dilectionis vinculo ei astricta : quod significare voluit tituli scriptor, cum ita admiscuit nomen eius nomini regio : hoc manifestius tunc exprimi non oportebat, quia futurum erat, vt per te hæc omnia manifestarentur. Cum ergo essem mecum admirans super his, & cogitans omnino incredibile esse secundum tenorem historiæ, quod & sponsus sanctæ Vrsulæ huic martyrio interfuisset, obtulit mihi quadam die speciem suam Angelus Domini, qui me visitare consueuit : & interrogaui eum, dicens : Domine, quomodo factum est vt etiam adolescens ille, qui beatam Vrsulam desponsasse legitur, ei in passione iungeretur, cum scriptum sit ipsam à connubio eius per fugam se abstraxisse, & ait : Cum reuerteretur Roma exercitus beatarum virginum, in ipsa nocte qua sexti diei iter consummatum erat, Etherius rex qui erat manens in Britannia, angelicam per visionem à Domino admonitus est, vt matrem suam Demetriam hortaretur fieri Christianam : nam pater eius cui
Agrippinus. nomen erat Agrippinus, in primo anno quo ipse baptismatis susceperat gratiam, à vita discesserat : simulq; annunciatum est ei, quod egressurus esset de terra sua, & venturus in occursum sponsæ suæ quæ iam erat Roma regrediens, quodq; in vrbe Colonia cum ea passurus esset, & immarcesibilem coronam à Deo accepturus : qui confestim diuinæ admonitioni acquiescens, matrem suam exhortationi eius consentientem regenerari fecit in Christo : assumptaq; ea & paruula sorore sua Florentina etiam Christiana, properauit in occursum beatissimæ sponsæ suæ, & factus est ei socius in passione & gloria cœlesti. Ahuc autem interrogaui, dicens : Quid est Domine, quod dicit titulus eius vixisse eum viginti quinque annos fideles, cum ex historia habeamus eum nondum suscepisse fidem Christianam, cum inciperet tractari de nuptiis eius & beatæ Vrsulæ, & quod tribus annis ante nuptias debuisset imbui fide Catholica? & respondit : quanquam ita hoc fuerit, tamen antequam fidem Christianam susceperet, tam modeste tamq; innocenter vixerat secundum statum vitę illius quam tunc gerebat, vt videretur scriptori tituli eius, recte omnes annos eius fideles posse appellari. Post hęc de
Clemens. quodam sancto viro cuius titulus erat, sanctus Clemens Episcopus & martyr, per beatam Dominam nostram quadam die cum mihi loqueretur instructa sum : quod prefatus rex de patria sua egrediens secum illum adduxerit. Item cum requisissem de
Marcul⁹. quodam cuius titulus erat, sanctus Marculus Episcopus in Græcia, responsum tale ab Angelo accepi : fuit in vrbe quæ Constantinopolis dicitur, rex quidam Dorotheus nomine de Silicia oriundus, & *Dorotheꝰ.*
nomen vxoris eius Firmundina, eratq; eis filia vni- *Firmundina.*
ca dicta Constantia : Et factum est vt morerentur *Cōstantia*
parentes ambo dum adhuc filia esset absque solatio mariti & incognita viro : desponsauerunt igitur eam proximi eius cuidam adolescenti alterius regis filio in coniugem : sed & ille ante nuptiarum tempus, morte præuentus est, & lætata est illa de absolutione sua, & vouit Deo integritatem virginitatis suæ, orans & petens vt nunquam alligari eam permitteret alteri viro. & accedens ad virum Dei Episcopum prefatæ vrbis, ipsum de quo interrogasti, qui secundum carnem erat auunculus eius, petiit ab eo consilium de custodia virginitatis suæ, & vt in hoc esset adiutor eius instantissime postulauit : qui dum circa hoc solicitus est apud se, reuelatum est ei nocte quadam per visionem à Domino de sancta Vrsula & exercitu virginum eius, *Vrsula.*
quod in Christo Romam essent venturę, dictumq; *Exercitus virginum*
est ei vt assumpta nepte sua Constantia regina, festinus pergeret illuc, earumq; societati pariter cum ea adiungeretur : & credidit reuelationi Domini, assumens illam aspernantem regnum & omnia quæ sunt huius mundi propter Dominum, venit Romam cum nondum illuc venissent illæ de quibus reuelationem acceperat : cumq; non post longum tempus aduenissent, adiunxerunt se earum consortio, & cum eis Coloniam venientes martyrium pro Christo susceperunt : ipsa autem Constantia, hæc est quam in proximo frater tuus in hunc locum aduexit : ad quod ita respondi : Domine, hęc quæ ab eo huc aduecta est, vt dicunt, hoc nomen Firmundina in titulo suo habebat, & quomodo tu dicis eam Constantiam fuisse appellatam? Et ait : Multi in temporibus antiquis cognominari solebant nominibus parentum suorum : vt vel binis vel ternis nominibus nuncuparentur : vnde & hæc nomine matris suæ Firmundinæ cognominata fuerat : & ex hoc forte accidit, vt quando scribendus erat titulus eius, hoc nomine scriberetur, & proprium nomen eius quod erat Constantia negligeretur : quia res cum festinatione gesta est : idipsum & aliis multis accidit, vt eadem occasione negligerentur nomina earum & ascriberentur eis alia, quæ propria non erant.

Missus est & huiusmodi titulus ad me, Sancta *Gerasina.*
Gerasina, quæ duxit virgines sacras : de qua vt interrogarem, sæpe & multum rogata sum, pro eo quod magna & notabilis fuisse videretur quę tanti exercitus ductrix esse videretur : sed cum sępe opportunitatem & voluntatem interrogandi haberem, non concessum est mihi, quia labebatur à memoria mea interrogatio, ita vt mecum ipsa mirarer, cur ita eueniret : tandem autem contigit vt ipse qui de ea interrogare me rogauerat, mitteret ad nos tria corpuscula sancta, quæ fuerant ex societate virginum præfatarum : & erat post triduum festiuitas beati Andreæ Apostoli : & apparuit mihi *Andreas.*
ipse inter silentia missæ, & cum eo martyr vnus valde gloriosus, & virgines duæ : & intellexi eos esse, quorum corpora venerant ad nos : interro-

gaui

gaui igitur beatum Andream de nominibus eorum, quia omnino nesciebantur: & dixit mihi: Ab ipsis inquire, & dicent tibi: quod cum feciſſem, respondit vna virgo & dixit: ego Albina vocata sum, & hæc quæ mecum est, Emerensiana, sorores secundum carnem fueramus filiæ cuiusdam Comitis cuius erat nomen Aurelianus: hic autem martyr qui nobiscum venit, Adrianus vocatus est, & erat filius Regis: & cum esset decem annorum passus est pro Christo martyrium. Et dixi: Domina quomodo discernemus corpora vestra, quod cuius nominis sit? Et ait: Maximum meum est, minimum autem sororis meæ, medium vero sancti Adriani: & non adieci amplius interrogare: posuit autem Deus in ore duorum testium hoc verbum: de nomine præfati martyris quantum & quod esset hoc nomen eius, & quod filius Regis fuisset, eidem fratri per quem allata fuerant corpora in præcedenti nocte per visionem fuerat reuelatum. Post hęc, cum essem cogitans de eodem martyre, & cupiens aliquid certius cognoscere de eo, nocte quadam visum est mihi in visione somnij, quasi daretur mihi liber aureis literis scriptus, & legi in eo sermonem magnum de ipso, & de parentela eius: & qualiter cum quatuor sororibus suis egressus fuerat de terra sua, & quomodo cũ eis martyrium susceperit: nomina autem earundem sororum quæ ibi legebam hæc erant, Babila, Iuliana, Aurea & Victoria. Sed quamuis omnia sæpe & diligenter in eadem visione legisse mihi viderer, tamen ordinem rei sicuti erat in memoria retinere non potui: post paucos autem dies aderat festiuitas beati Nicolai, & cum de eo Missæ officium celebraretur, apparuit mihi secundum solitam benignitatem: & rursum cum eo tres prædicti martyres: rogaui igitur eum vt de sancto Adriano aliquid certius mihi indicaret: pariterq; tunc mẽti meę incidit, vt de sancta Gerasina (de qua prædictum est) scisciterer: & respondit mihi cum magna beniuolentia, & ait: Sancta Gerasina de qua interrogas fuit regina Siciliæ, & vere erat de fideli radice Aaron: & habebat spiritum Domini abundanter: virum suum Quintianum Regem cum esset primo tyrannus crudelissimus, cõuertit, & quasi de lupo agnum mitissimum fecit: hic eam sumpserat de Britania & erat soror sancti Mauritij Episcopi, & Dariæ matris sanctæ Vrsulæ Reginæ. Tres habebat filios & filias sex: & erat minimus in eis sanctus Adrianus martyr, hic de quo interrogasti: frater eius senior, erat Dorotheus Rex Græciæ qui erat pater sanctæ Constantiæ quæ ad vos delata est: eo autem tempore quo beata Vrsula de sancto proposito suo cum patre suo occulte tractabat, pater eius magnam habens solicitudinem illius negotij, direxit epistolam ad beatam Gerasinam, aperuitq; ei voluntatem filiæ suæ & reuelationes quas diuinitus ei detexit: & quęrebat audire consiliũ eius, quia sciebat eam esse magnę sapientię mulierem: illa autem diuina virtute inspirata, & intelligens verbum exisse à Domino, iter aggressa est cũ quatuor filiabus suis, Babila, Iuliana, Victoria & Aurea, & paruulo filio suo Adriano, quia amore sororum suarum vltro se ingesit peregrinationi: & relicto regno in manu filij sui & duarum filiarum, vsque ad Britanniam nauigauit: eius itaque consiliis totus ille sacer exercitus virginum collectus & ordinatus est, & erat ductrix omnium in cunctis viis peregrinationis earum per consiliorum suorum gubernationem & ad vltimum cum eis martyrium passa est. Hæc cum dixisset, sensit, quia valde mirabar intra me de hac ordinatione: & ait ad me: merito admiraris, quia omne hoc negotium diuina dispensatione mirabiliter ordinatum est: & adiecit adhuc, dicens: Pretiosi valde sunt martyres quos misit Deus ad vos, propterea estote deuoti ad exhibendum eis honorem & seruitium: quia aduentus eorum magnæ gratiæ principium est.

Albina. Emerensiana. Aurelianus Adrianus Babila. Iuliana. Aurea. Victoria. Nicolaus. Gerasina de stirpe Aaron. Quintianus. Daria mater Vrsulæ

Quodam tempore à beata Verena cum ad videndum mihi se præsentasset, scisciteta sum (sicut mihi à quodam fratre suggestum est) quisnam fuerit actor martyrij beati illius exercitus? nam secũdum considerationem narrationis quę de prędicto Papa in præcedentibus facta est, nequaquam sicut æstimant nonnulli Attila rex Hũnorum, illius persecutionis actor extitit, sed multorum annorum spacio postea eius persecutio subsecuta est: cui interrogationi, ita respondit: Cum essemus Romæ, fuerunt ibidem eo tempore duo principes iniqui, quorum nomina erant Maximus & Aphricanus: qui videntes magnam esse multitudinem nostram, & multos confluere ad nos, & nobis associari, indignati sunt vehementer aduersum nos: & metuebant ne forte per nos multum crescere & roborari deberet religio Christiana. Vnde cum exploraſſent iter nostrum quo perrecturæ eramus, miserunt cum festinatione legatos ad quendam cognatum suum nomine Iulium, qui erat princeps gentis Hunnorum, hortantes eum vt educto exercitu suo persecutionem nobis inferret, ac deleret nos: qui cito acquiescens voluntati eorum, cum armata multitũdine egrediens irruit super nos cum veniſſemus Coloniam, ibique effudit sanguinem nostrum: sed nec hoc silendum, quod cum de corpore ipsius beatæ Vrsulæ eã interrogasſem, dixit: non est leuatum corpus eius vnquam super terram, nisi in diebus istis, & vere illic vbi seruatur subscripito eius: feci quoq; inquisitionem capitis ipsius sanctæ Verenæ, & dixi ad eam: Ecce Domina, corpus tuum apud nos est repositum, sed quid faciemus de venerabili capite tuo, quod omnino deest nobis? indica obsecro nobis vbinam sit, vt tentemus requirere illud & adiungere corpori tuo. Et respondit mihi: est in loco qui dicitur Halberstat, & paruipenditur: sed magis ibi esse vellem vbi est veneratio corporis mei: & adhuc addidit dicens: Quod ita in his diebus manifestata sunt corpora nostra, orationes nostræ impetrauerunt à Domino: qui iam vltra ferre non vult gemitus nostros, quos habebamus pro eo quod tã negligenter absconditæ eramus, neq; aliquid dignæ laudis Deo pro nobis exhibebatur: futurum autem est adhuc ante nouissimum diem, vt manifestetur totus exercitus noster.

Attila. Maximus Aphricanus persecutores. Iulius captus.

Hæc verba reuelationum Domini non meis quidem iustificationibus, sed meritis sanctarum virginum & martyrum Christi impetrantibus per

Venerandos esse Sanctos ab hominib.

diuersas festiuitates sanctorum, sicut Domino placuit accepi, & infra spatium & paulo amplius, consummata sunt. Et factum est completis pene cunctis sermonibus his, aderat festus dies passionis earundem sanctarum virginum vndecim millium: cumq; interessem diuino officio, perlecta Euangelica lectione, veni in excessum meum solito more: & vidi in regione luminis cuius aspectus præ oculis mentis iugiter mihi est, multitudinem copiosam spectabilium virginum coronatarum, quasi auro purissimo: & in manibus earum similitudo palmarum coruscantium valde, vestimenta candida & micantia apparebant in similitudinem niuis cum irradiatur à splendoribus solis, & in frontibus earum rubor sanguineus in testimonium cruoris quem in confessione sancta fuderunt: apparuerunt autem & cum eis viri glorioſi perplures cum signis eisdem: inter quos etiam multi Pontificali decore signati præfulgebant. habebam autem desiderium adhuc aliquid interrogandi de eis, sed propter multitudinem earum nesciebam quam ex eis alloqui debuissem. Et confestim duæ earum vehementer insignes, de cœtu aliarum progredientes, stabant seorsum ante alias, aspicientes contra me. Et intellexi quod propter me factum esset hoc: & allocuta sum eas, dicens: Oro Dominæ meæ, vt dignemini mihi indicare quæ sitis, & quæ sunt nomina vestra. Et ait vna ex eis: Ego sum Vrsula, & hæc quæ mecum stat soror Verena est, filia patrui mei cuiusdam principis magni. Et aio ad eam quæ mecum loquebatur, dicens: Obsecro sanctissima domina, vt quoniam multa mihi indignæ peccatrici de vobis per gratiam Dei reuelata sunt, tu nunc digneris rem consummare, meq; velis expedire de modo sepulturæ vestræ: quinam fuerunt illi, qui in tempore tantæ persecutionis tam diligenter sacra ossa vestra composuerunt, tamq; honestas vobis sepulturas exhibuerunt. Ad hoc ita respondit: Fuit in Colonia eo tempore quidam sacer Pontifex plenus Spiritu sancto, qui quartus post beatum Maternum Ecclesiam Dei illuc gubernabat nomine Aquilinus: hic cum essemus regressuræ à Roma, iamq; ad reuersionem nos præpararemus, vidit demonstrante sibi Deo vniuersam multitudinē nostram, ac totum ordinem passionis nostræ quam eramus susceptur̄, perspexit: audiuit etiam vocem dicentem sibi, vt ad sepelienda corpora nostra præparatus esset. Et cuncta quæ necessaria essent nostræ humationi, cum festinatione conquireret: dum autem circa hęc solicitus esset, venerunt ad eum illi duo Pontifices de quibus iam quędam audiuisti, videlicet Lucensis & Rauanensis: narraueruntq; ei, quoniam per visionem eis fuisset reuelatum à Deo, se in loco illo martyrium susceptur̄os: sed adhuc incertos se esse fatebantur, qualiter aut qua occasione hoc esset futurum: is autem qui ab Apostolica sede missus fuisse in titulo suo dictus est, à Præsule sedis Apostolicæ consilium de itinere suo antequam nos aduenissemus acceperat. Cum autem & ipsi à prædicto præsule Colonien si, eius visionem quam de nobis viderat, audissent, rursus per viam qua venerant reuertentes, obuij nobis facti sunt, sicq; adhæserunt nostræ so cietati vsque in finem.

Vrsula. *Verena.* *Maternus.* *Aquilinus.*

Hoc cum dixisset subieci ego huiusmodi verba, dicens: Scire velim domina mea quam notabilem causam habuerunt contra vos aduersarij vestri vt trucidarent vos ac specialiter teipsam, certificari cupio, quali morte finieris vitam. Et respondit, dicens: Impius ille tyrannus qui fuit actor nostræ interemptionis, hoc & in terroribus & blandimentis exigebat à nobis, vt sponsum nostrum qui in cœlis est, Dominum nostrum Iesum Christum negaremus, & suis fuorumq; amplexibus iungeremur: sed non ob talem causam veneramus illuc, & constanter recusauimus consentire iniquæ voluntati eius, & elegimus magis mori, quam à sponso nostro separari: propter quod diuersis cruciatibus desæuierunt in nos: ego autem ictu sagittæ in corde meo percussa sum: nobis ergo omnibus in sanguine nostro iacentibus, venerandus ille præsul, sicut præceptum illi fuerat, opus magnæ pietatis operatus est in nos: & cum magna diligentia & honore, sepeliendi officium nobis impendit: ipsi autem & iis qui cum ipso laborabant in nobis, affuit maiestas Domini, & ministrabant eis Angeli Dei, & velociter impletum est opus sepulturæ nostræ: nos autem non distulimus rogare Dominum pro eo, vt redderet ei mercedem laboris sui: factumq; est, vt cito post hæc subtraheretur ab hac vita mortali: deditq; ei Deus honorem singularem, pro ea honorificentia quam exhibuerat nobis: non post multos autem dies completa humatione nostra, venit Elematius vir venerabilis, & tulit quædam corpora quæ in hoc loco adhuc supererant, & sepeliuit ea cum honore magno, sicut & ipse à maiestate Domini præmonitus fuerat. Et continuo subieci interrogationem, dicens: Nunquid domina, hic erat ille Elematius qui Ecclesiam nostram dicitur construxisse? Et ait: Nequaquam, sed post longum ille aduenit. Et cum consummasset hos sermones, in fine adiecit, dicens: Ei qui renouauerit passionem nostram, reddat Deus mercedem operis sui in sæculum sæculi, Amen. Et nunc ei qui absconditorum est cognitor, & quibus vult ea reuelat, non accipiens personam magnorum, neque despiciens humilitatem paruulorum, benigno & misericordi Domino, sit honor & gloria & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen.

Elematius

CAPVT III.

Ad Abbatem Tuitiensem & fratres eius.

POST hæc transactis diebus non paucis, quodam tempore cum essem orans in medio sororum, aperuit Dominus os meum: & pronuntiaui in impetu spiritus verba hæc, non ex me, sed ex ipso & sancto Angelo eius, dicens: Venerabili Abbati G. salutem animæ suæ & animarum fratrum suorum. Admonet vos quidam parua scintilla emissa de sede maiestatis, & vox tonans in cor cuiusdam vermiculi hominis, dicens: Gaudete cum lætitia, sed non sine timore & tremore cordis: habetis,

betis enim inter vos quasdam stellas matutinales radiantes in cœlo splendore clarissimo ante thronum diuinæ maiestatis: estote imitatores Dei & sanctorum eius, quasi boni æmulatores, & custodite vos ab omni prauitate: & non sint inter vos superbia & inuidia & schismata & alia vitia quæ militant aduersus spiritum: sed estote quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo: nolite quicquam proprium possidere in hoc mundo, neque propriam voluntatem exercere: quia vobis dicendum est. Cum sanctis sancti eritis sicut Dominus in scriptura sancta, suis fidelibus ait: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Benedicens benedixit vobis Dominus, & ostendit vobis thesaurum absconditum in agro tot annos, tanta tempora, electum & pretiosum, & præ gaudio illius emitis eum, & margaritas electas & gemmas pretiosas. Proculdubio scitote, si honoratis eas sicut decet sanctas, semper assistunt vultui Dei pro vobis orantes, & deprecantes vobis salutem corporis & animæ. Et admoneo te Pater venerande, extende virgam pastoralem & percute cum omni diligentia & discretione gregem Domini, ne claudicantes ambulent in via contemplationis eius, & vt tu Pater præcedas eos exemplo boni operis, & deducas eos in viam æternam: ibi præparatum inuenietis quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quod vobis præstare dignetur Iesus Christus filius Dei viui, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT IV.

Ad sorores sanctarum virginum in Colonia.

Add. 15. c8 SIMILI modo posuit Deus in labiis meis verba hæc, in tempore alio. Quædam parua scintilla emissa de fede magnæ maiestatis, & vox tonans in cor cuiusdam vermiculi hominis, clamat ad sorores sanctarum virginum in Colonia, dicens: filiæ meæ sunt quasi derelictæ, & euanuerunt in vanitatibus suis: & sicut arundo quæ a vento mouetur huc atque illuc, sic sunt filiæ meæ in omnibus viis suis dicit Dominus: Sanguinem sanctorum meorum qui effusus est in terra, calcat pes vester, & sub pedibus vestris sunt qui vos accusant coram me dicentes: Quare non vindicas nos Domine Sabaoth, quia gens ista non reueretur nos: & in multis pauci sunt, qui nos honorant, qui magna sustinuimus propter te, sed calcat nos terra cum genere suo. Ecce filiæ maculastis lectum meum in quo requiescere debueram cum sanctis meis: redite ad cor, & recordamini quomodo præcesserunt vos antecessores vestræ, & cum omni humilitate & castitate amauerunt sponsum suum cœlestem: imitatæ sunt etiam eum in morte sua, ideo coronantur & accipiunt palmam. Conuertimini a viis vestris, & sequimini eas & estote paratæ, vt quando veniet sponsus vester, & pulsabit ad ostium vestrum, confestim aperiatis ei, & introducatis eum ad cor vestrum certe si placuerit ei esse ibi, dabit vobis locum nominatum in regno suo quod vobis præstare dignetur, qui nunc est & semper erit, & regni eius non erit finis.

CAPVT V.

Ad venerabilem Abbatem Tuitiensem.

DOMINO G. venerabili Abbati Ecclesiæ Dei quæ est in Tuitio, humilis ancilla ancillæ Christi Elizabeth Sconaugiensis, salutem & orationes. Consolamini & gaudete in Domino, & confortate corda fratrum qui sunt vobiscum: quia suscepit Dominus gemitus vestros, & respexit tribulationem cordis vestri, qua afflicti fuistis in conspectu eius, pro lachrymabili iactura Dominici sacramenti, quæ accidit in medio vestri: fecit enim secundum consuetudinem benignitatis suæ, & dignatus est annunciare mihi per Angelum suum verba quædam, ex quibus recipere potestis consolationem. Factum est in Dominica prima quadragesimæ, celebrante domino Abbate diuinum officium apud nos post lectionem Euangelij, cum essem intenta orationi, subito elangui, & veni in mentis excessum: & ecce Angelus Domini benignus consolator meus aduenies, stetit in conspectu meo: tunc inter cæteros sermones quos contuli cum eo, feci memoriam vestri apud eum, sicut præmonita fueram a fratre meo: interrogauique eum, dicens: Domine mi, quid factum est de illo veneranda Sacramento, quod in Ecclesia Tuitiensi de gutture pueri sternutantis excussum est? Nunquid pedibus circumstantium conculcatum est & periit? qui respondens, ait: Sacramenti illius sanctitas, viuificat spiritum recipientis se: quod autem ab ore eius elapsum est, ab Angelo Dei qui præsens aderat, susceptum est & in arcano loco repositum: & dixi: Nunquid Domine interrogare audeo, in quo loco sit reconditum? Et ait noli interrogare. Rursus dixi: Domine quid seruitij pro hac negligentia Deo exhibere conuenit fratres illos? Et respondit. Quadraginta diebus in conuentu immoletur Dei sacrificium laudis pro delicto hoc: adiecit autem adhuc, dicens: Ego vice Domini nostri Iesu Christi, hanc satisfactionem constituo, vt vbicunque ceciderit super terram Corpus Domini, siue effusus fuerit Dominicus Sanguis ita vt postea inter reliquias non possit reponi pro peccato hoc immoletur sacrificium laudis quadraginta diebus: si vero inter reliquias potest reponi, triginta diebus idipsum fiat: nouissime & hæc adiecit: Expedit fratribus illis & necesse habent, vt quanto amplius sanctorum corpora apud se congregant & iuxta se locant, tanto amplius studeant honorifice & amabiliter eis ministrare, & vt vitam suam cum timore Dei emendent ac diligentius ordinem suum obseruent: nam vt ad hoc eos commoneret Dominus, permisit fieri quod factum est in medio eorum: quod si admonitioni eius obedierint, & fecerint quæ dixi, certum habeant, quoniam pretiosi illi martyres interpellabunt pro eis coram Domino, & in omni necessitate eis subue-

uenient. Si autem non fecerint, accusationem & querelam facient aduersus eos.

CAPVT VI.

Visio quam vidit Egbertus, qui & obtulit reuelationes Elizabeth in altari.

DIE festo sanctæ Mariæ Magdalenæ circa horam primam, ego Egbertus stabam orans inter duas columnas quæ sunt ante altare sancti Heriberti, & vidi flammam rubicundissimam tribus vicibus super altare maius inter tabulam, in qua erat depicta maiestas saluatoris & inter scrinium sancti Heriberti, circa reliquias quæ illic in scrinio reconditæ erant. Existimans autem illic esse lampadem ardentem super reliquias, accessi vt viderem an ita esset, & non erat: ipsa autem die obtuli supra easdem reliquias reuelationes Elizabeth, quas ostendit illi Dominus de exitu sanctæ Vrsulæ Reginæ.

* *
*

Quarti Libri Visionum S. Elizabethæ Virginis

FINIS.

LIBER V.
SANCTAE ELIZABETHÆ VIRGINIS.

Qui est Epistolarum quas non ex humana præmeditatione sed diuina inspiratione (cum esset illiterata) pronunciauit; loquens non verba sua, sed Domini & sancti Angeli eius.

PROLOGVS.

EX Episcopatu Metensi, de Abbatia quæ est in Busidorpo, venit Monachus quidam in sacris literis copiose eruditus visitare Elizabeth & perscrutari quæ fecerat Deus cum illa. Cumq; ei vehementer congratulatus fuisset, & bonis consiliis eam fideliter instruxisset, rogauit discessurus vt aliquando ab ea accipere mereretur epistolam eiusdem gratiæ cuius erant & cætera quæ ab ipsa in spiritu fuerant pronunciata, ex qua aliquid emendationis & bonæ consolationis mens eius accipere posset. Simul etiam petiit ab ea mitti epistolam Abbati suo & fratribus, de correctione eos admonentem. Quæ cum diuinæ gratiæ reuerenter commendasset, ipsa ea nocte quæ proxima erat post hanc petitionem dum interesset matutinis, subito & ex improuiso pronunciauit epistolam quam prædictus frater ad se mitti postulauerat similiter & tertia nocte post hæc, aliam epistolam pronunciauit, quam Abbati suo & fratribus rogauerat mitti. Ex illo ergo tempore cœpit habere gratiam pronunciandi epistolas huiusmodi, quales hic descriptæ sunt nonnullæ.

* *
*

EPISTOLA I.

Ad Ludouicum Monachum postea Abbatem apud sanctum Eucharium Treueris.

LVDOVICO Christi seruo, Elizabeth, gratiam Dei. Admoneo te dilecte Dei, vt iuste gradiaris in via contemplationis ad quam accessisti. Noli declinare ad dextram neque ad sinistram, sed porrige illi manum, qui scit omne malum in bonum perficere. Diues enim es, sed modicus esto in omnibus diuitiis tuis. Da gloriam Deo, à quo est omnis sapientia: & noli altum sapere sed time, quia nihil deest timentibus Deum. Noli te exaltare, sed semper humiliare: quanto enim humilior eris, tanto sequetur te altitudo gloriæ. Corrige vitam tuam totis viribus tuis, vt præparetur tibi corona gloriæ: quam tibi redditurus est Deus in die solennitatis & lætitiæ. Quam tibi præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat per omnia sæcula, Amen.

EPISTOLA II.

Ad Abbatem de Busindorpo & fratres eius.

ABBATI Busindorpensi, Elizabeth, gratiam Dei. Serue Dei, admonet te diuina inspiratio. Excitare, & extende virgam pastoralem, & percute fortiter suauiterq́; dispone omnia circa oues tuas, quas regere & custodire suscepisti. Sequitur vnusquisq; cor suum, declinante à via contemplationis, iniuste gradientes. Propter hoc, non dabit Deus vobis victui necessaria. Redite filij Dei, filij lucis ad cor vestrum, & interrogate conscientias vestras, si aliquid in vobis est, quod non sit bene placens coram eo quem omnis terra tremiscit. Emendate vos in melius: habetis Patrem qui in altis habitat & humilia respicit. Nolite dare cordi vestro locum, vt euagetur huc atq; illuc. Spernite mundum & omnem ornatum sæculi propter amorem Domini, vt possitis videre Regem in decore suo, & authorem vitæ qui vos inuitat ad conuiuia ciuium supernorum: vbi manet Pater in Filio, & Filius in Patre cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA III.

Ad dominum Hilinum Archiepiscopum Treuirensem.

ELIZABETH humilis ancilla Christi, Hilino Archiepiscopo Treuirensi, gratiam Dei. Admonet te qui erat & qui est & qui venturus est. Excitare in spiritu humilitatis & timoris Domini Dei tui. Extende virgam pastoralem super greges quos suscepisti Domino regere & custodire. Percute fortiter & suauiter, obsecrando, increpando: non quasi mercenarius cuius non sunt oues propriæ, sed quasi fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi in tempore suo tritici mensuram. Iterum admonet te idem Dominus dicens: Redde rationem, quia defraudasti mihi margaritas electas, & gemmas pretiosas quæ tibi missæ fuerant de magnę maiestatis potentia, proiecisti post tergum tuum, & noluisti obedire mihi. Nonne tu scis quia dixi: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis?* Accipe & reuolue volumen, & inuenies quæ dixi, & quæ facta sunt Sedes Apostolica obsessa est superbia, & colitur auaritia. Quod si non indicabis eis quę tibi sunt reuelata, & ipsi in peccatis suis moriuntur, iudicium Dei portabis. Nec te lateat, quod qui designatus est à Cæsare, ipse acceptabiliter est ante me. Quod si me timuerit & iudicium meum fecerit, dabo ei cor nouum, & spiritum meum ponam in medio cordis eius. Nunc ergo attende, & fac quæ mihi placita sunt & noli timere: quia ego tecum sum omnibus diebus vitæ tuæ, & non deseram te, sed dabo tibi locum nominatum in regno meo, vbi sonant iugiter organa sanctorum meorum, quod nemo scit nisi qui accipit. Quod tibi sacrate Pater præstare dignetur qui est fons & origo totius bonitatis.

EPISTOLA IV.

Ad Abbatem Otinhensem & fratres eius

DOMINO G venerabili Abbati Otinhensis cœnobij soror Elizabeth de Schonaugia, Salutem & orationes fideles. In vigilia sancti Laurentij venit ad me vnus ex fratribus tuis, quasi expeditus ad iter quo Hierosolymam ire disponebat: & voluntatem tuam ac propositum de eodem itinere aggrediendo, mihi aperuit. Cumque multa mecum contuliſſet, ac me de inquirenda voluntate Domini super his diligenter rogasset, nocte eadem dum interessem matutinis, posuit Dominus verba sua subito in ore meo, & pronunciaui ea hoc modo: Hæc dicit qui erat, & qui est, & qui venturus est omnipotens: *Ego sum via, veritas & vita.* Si quis per me introierit, saluabitur, & veniet in Hierusalem ciuitatem sanctam quæ sursum est, & ibi requiescet, & inueniet retributionem magnam pro labore & fatigatione sua. Sunt ergo homines aliqui iniusti, homicidæ, malefactores, qui indigent pœnitentia, & veniunt Hierusalem quærentes Patriarcham & consilium eius vt expedit eis, vobis autem filij lucis non sic. O stulti & tardi corde ad credendum: An nescitis si quis quæsierit me in omni corde suo, ecce adsum ei in adiutorium? Sed admoneo te qui es pastor ouium, cum omni diligentia, extende virgam pastoralem & percute fortiter suauiterq́; omnia dispone circa subditos quos suscepisti regere & custodire, quasi fidelis seruus & prudens: & iugum meum noli excutere de collo tuo, sed sit tibi suaue atque portabile. Et ego præcipio tibi per dexteram meam quæ sunt in corde tuo nę facias, quia de bona non prodeunt conscientia, sed

seducunt te vt cadas in foueam. Sin autem non consenseris consiliis meis, & præcepta mea contempseris, ego Dominus conteram te, & delebo nomen tuum de libro vitæ. Nunc ergo attende circa eos qui sub regimine tuo sunt, obsecrando, arguendo, increpando, admonendo. Et emendate vos omnes in melius, & nolite dare locum diabolo, qui semper circuit quærens quem deuoret. Et paternam meam admonitionem suscipite cum gratiarum actione. Et istum fratrem vestrum recipite grata benedictione, quia Dominus omniũ diligit eum, & faciet in eo quæ sunt beneplacita coram ipso. Et iterum admoneo vos, ambulate in via contemplationis meæ sicut filij charissimi cum omni humilitate & obedientia sine murmuratione, sine detractione & inuidia, vt non blasphemetur Pater vester cœlestis in vobis & irritetur, & ne pereatis de via iusta, id est de via contemplationis eius. Ambulate dum adhuc lux erit in vobis, ne tenebræ mortis vos comprehendant, donec videatur Deus Deorum in Sion, & faciet vos regnare cum ipso in gloria sine fine, Amen.

EPISTOLA V.

Ad fratres Nuremburgenses.

VOs qui in Nuremburgo habitaculum construxistis, admonet vox Diuina dicens: Eligite vobis serenum lumen & adducite in vos pacem veram, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Ambulate sicut filij charissimi in via contemplationis Domini quam elegistis: & ascendite in montem excelsum vbi est fons aquæ & redundet cor vestrum. Haurite aquas in gaudio de fonte saluatoris, & dicite: Nos qui viuimus, benedicimus Domino. Sunt enim inter vos aliqui homines qui mihi boni & pacifici videntur, quidam etiam mali & peruersi, qui dant insipiens cor suum sæculo, & delectantur in eo multis modis. Propter hoc moneo bonos vt in melius proficiant, malos autem, vt conuertantur & viuant: quia oportet vos vni Deo militare, à quo est omnis bonitas, omnis sanctitas, omniaq; in cœlo & in terra ministrant ei: cui decet vos ministrare in vestitu religionis, vt intrinsecus appareat religio vestra beneplacens Deo: & estote sicut Angeli Dei, qui semper adhærent ei, laudantes & benedicentes viuentem in sæcula sæculorum, Amen. Quod & si feceritis hæc quæ prædicta sunt, & alia his similia & fugeritis superbiam & omnem immunditiam, ne polluatur mens vestra tantis immunditiis, ne irritetur pater vester cœlestis in vobis, & ne pereatis de via iusta id est de via contemplationis eius, absque dubio præparabit vobis si de reas mansiones & immarcesibilem coronam. Quam vobis præstare dignetur qui est fons & origo totius bonitatis.

EPISTOLA VI.

Ad sorores Auturnacensis cœnobij.

ELIZABETH humilis ancilla Christi, sororibus cœonbij Auturnacensis, salutem animæ & corporis, & gaudia æternæ vitæ. Admonet vos vox Diuina, dicens: Gaudete semper in Domino, & delectabuntur in crasitudine animæ vestræ. Nolite tardare in seruitio Dei vestri. Ambulate in via contemplationis eius sicut filię charisimę cum omni humilitate & charitate & obedientia sine murmuratione, sine detractione, sine inuidia & his similibus, quasi agnæ nouellæ beneplacentes coram Deo viuente: disrumpam vincula captiuitatis vestræ, dicit Dominus Deus vester, & adducam vos ad pascua viuentia vsque in atria tentorij mei. Admoneo vos iterum cum omni solicitudine mentis ambulare in via visionis Dei & tanquam sapientes virgines aptate lampades vestras. Diligite vos inuicem sicut & Pater vester cœlestis dilexit vos, & inuicem onera vestra portate. Estote misericordes, honorem inuicem præuenientes, & gerite curam infirmorum: date & dabitur vobis: centuplum recipietis, non solum in hoc sæculo sed etiam in futuro. Paternas admonitiones Domini grata benedictione percipite, hilari vultu, corde & animo: & nolite esse tantum vt auditrices verbi Dei, sed vt factrices. Videte vocationem vestram qua vocatæ estis. Vocauit enim vos Deus in admirabile lumen suum, & elegit vos in hæreditatem sibi. Videte cum omni studio mentis vestræ, quomodo placeatis sponso vestro cœlesti, vt inter filias ipsius electas computari possitis: & corona-bit vos corona iustitiæ, quam redditurus est vobis in die solennitatis & lætitiæ. Quam vobis præstare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA VII.

Ad sorores in Bonna.

VOx Diuina tonans in corde Elizabeth ancillæ Domini, locuta est dicens: Dico vobis sororibus cœnobij quod est in Bonna. Admoneo vos vt cautius ambuletis in via quæ est contemplationis Domini, non quasi insipientes sed vt sapientes & intelligentes quæ sit voluntas Dei, quomodo dies & tempora huius mundi mali sunt, & vim patitur regnum Dei, & scissuram magnam etiam ex vobis, & estis quasi gens quę ignorat Deum, & ignominiam Dei portatis in corpore vestro. Regredimini filiæ Hierusalem per aliam viam quæ ducit ad vitam: adhuc enim habetis spatium vitæ & locum pœnitentiæ. In cœlo enim sedet, qui de conuersione vos admonet: quod si facere decreueritis, continuo saluabit vos. Sapiens medicus concupiuit sanare languores animæ vestræ, primum imponens acerbitatem, & postea leniter palpans & suaue vnguentum imponens: & sic alligabit vulnera vestra, sicut olim venit saluator sanare ægrotos. Nolite repellere à vobis medicum salutis quoadusque sanitatem recipiatis. Nolite paternas admonitiones Domini indigne suscipere: quos enim diligit, corripit, & sicut amabilis pater, admonet quos diligit: & qui diligunt eum, im-

plebun-

plebuntur lege ipsius. Diligendus autem est pro tali admonitione. Videte totum mundum, quomodo crescit, quomodo decrescit, & nihil stabile est in eo, sed quasi puluis qui à vento sufflatur & spargit, sic euanescit mundus, & omnis concupiscentia eius. Non habetis hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirere debetis, vbi est Christus in dextera Dei sedens, ibi restauranda est in vobis drachma quæ perierat, & inuenietis præmium vitæ æternæ. Quod præstare vobis dignetur Iesus Christus filius Dei viui, qui in Trinitate perfecta viuit in sæcula, Amen.

EPISTOLA VIII.

Ad sorores sanctarum virginum Colonienſium.

Ead.l.4.c.4 VOx diuina quæ de summa maiestate venit, clamat ad sorores sanctarum virginum in Colonia dicens: Filiæ meæ sunt quasi derelictæ, & euanuerunt in vanitatibus suis: & velut arundo quæ à vento impellitur huc atque illuc, sunt filiæ meæ in omnibus viis suis dicit Dominus. Sanguinem sanctarum mearum qui effusus est in terram calcat pes vester, & sub pedibus vestris sunt qui accusant vos coram me, dicentes: Quare non vindicas nos Domine Sabaoth? quia gens ista non reuerctur nos: & in multis pauci sunt qui nos honorant, qui magna sustinuimus propter te, sed calcat nos terra cum genere suo. Ecce filiæ maculatis lectum meum, in quo requiescere debueram cum sanctis meis: redite ad cor, & recordamini quomodo præcesserunt vos anteltatrices vestræ, cum omni humilitate & castitate, & amauerunt sponsum suum cœlestem. Imitatæ sunt eum etiam in morte sua, ideoq; coronantur & accipiunt palmam. Conuertimini à viis vestris, & sequimini eas & estote paratæ, vt quando veniet sponsus vester & pulsabit ad ostium cordis vestri, confestim aperiatis ei, & introducatis eum ad cor vestrum. Certe si complacuerit ei tunc esse ibi, dabit vobis locum nominatum in regno suo. Quem vobis præstare dignetur qui nunc est & semper erit, & regni eius non erit finis.

EPISTOLA IX.

Ad sorores Dierstenſes.

ECce admoneo vos ô filiæ charissimæ, ambulate in via contemplationis Domini cum omni solicitudine mentis, cum omni humilitate & obedientia & charitate & patientia, quemadmodum elegit vos Deus in hæreditatem sibi, vt eatis in contemplatione eius, sine murmuratione, sine detractione, sine inuidia, vt non blasphemetur pater cœlestis in vobis, & irritetur, & pereatis de via in qua ambulare cœpistis. Et ecce admonet vos cum omni mansuetudine, percipite paternas admonitiones eius grata benedictione: dum lucem habetis, ambulate in ea, vt filiæ lucis sitis. Et ecce admonet te ô virgo quæcunque es sicut signaculum super cor tuum, vt non introëant in illud deceptiones inimici, & noli me repellere de corde tuo: quoniam paraui tibi thesauros inæstimabiles, & introducam te in tentorium palatij mei, vbi cantant Angeli & Archangeli, vbi iugiter consonant organa sanctorum, & præparabitur tibi corona gloriæ, quam redditurus est tibi Iesus Christus filius Dei viui, qui cum Patre & Spiritu sancto in Trinitate perfecta viuit & regnat in sęcula, Amen.

EPISTOLA X.

Ad dilectiſsimam Abbatiſſam Diquircenſem.

EGo Elizabeth humilis vermiculus quæ iaceo & plurimum fatigor in multis miseriis huius mundi, omne debitum orationis & (cuius te participem faciat Deus) retributionis quam expectat anima mea cum gratia ipsius. Charissima admoneo te in spiritu, confortare & esto robusta contra insidias callidi serpentis, qui insidiatur calcaneo tuo, & posuit tibi laqueos per multorum inuidiam: certo scias quod qui tibi posuerunt laqueos, ipsi in laqueum cadent. Et tu filia Hierusalem gratulanter ambula in via contemplationis Domini, currendo bene in charitate, in castitate, prudentia & humilitate. Viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine tentationes huius mundi. Per multas enim tentationes oportet nos intrare in regnum Dei. Plantauit enim Deus vineam in eo loco in quo habitas, & germinauerunt in eis quidam ramusculi pulcherrimi, & fecerunt fructum acceptabilem Deo. Creuerunt etiam ibi spinæ & tribuli, & germina quæ inutilia sunt. Et quid putas facturus est Dominus vineæ suæ, vbi non fecerit ei fructum acceptabilem? proculdubio eradicabit infructuosa eius, & mittet ea in caminum ignis. Extende tu virgam pastoralem cum omni solicitudine mentis circa subditas quas regere suscepisti & custodire. Percute fortiter, suauiterq; omnia dispone cum discrētione, cum timore Dei, cum omni humilitate. Quanto sublimior es, tanto humilior sis: humilitas enim magna virtus est: qua peruenitur ad coronam. Et nunc gaude & lætare in eo qui te sibi consecrauit, & fecit vt sit anima tua sponsa Dei, sponsa regis, sponsa agni candidissimi qui te præcedit: dulce sit tibi currere post vestigia eius. Noli declinare ad dexteram neque ad sinistram, & sic peruenies ad eum, & introducet te in cœnaculum tentorij, & cœnabis cum eo & ipse tecum. Ibi semper lætaberis cum Angelis: ibi cynnamomum & balsamum: ibi odor suauissimus: ibi organa sanctorum & carmen amabile resonat ante thronum Dei: ibi nulla infirmitas exagitat, nulla tribulatio perturbat. Hanc lætitiam tibi præstare dignetur qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula,

AMEN.

* * *

EPI-

EPISTOLA XI.

Ad eandem Abbatissam Diquircensem.

DILECTA mea accipe quæso cum gratiarum actione verba mea, quæ ex dono Dei sine humana industria prolata sunt à me. Nam cum venirent ad me duo homines Bonna, sexta feria ante diem Palmarum, ac me salutassent ex parte tua, reduxit mihi in memoriam frater meus qui cum illis aderat, quomodo semper desideresti habere à me aliquam admonitionē & consolationem. Continuo itaque proxima nocte post matutinas, cum vexata fuissem grauiter durissimis febribus, & iacerem in sudore meo æstuans, subito posuit Deus verba epistolæ ad te missæ simul in ore meo, & voluebam ea apud me vsque mane, & non poteram habere vllā requiem donec conscripta sunt. Cumque demonstrassem hæc fratri meo, dixit: Exponere nobis debes quid sit quod dixisti esse cynnamomum & balsamum in patria illa cœlesti. Et spopondi me interrogaturam visitatorem meum super his, quia non ex meo sensu protuleram verba, quæ prædicta sunt. Cum ergo post hæc in vigilia Paschæ apparuisset mihi, eumque de hoc interrogassem, hilariter me intuitus est, ac si gratam haberet interrogationem meam, & dixit mihi: Cynnamomum ex natura habet gratam dulcedinem qua gustum delectat, simulq; habet acutam fortitudinem qua accendit palatum gustantis, & quo magis masticatur tanto magis sapidum & odoriferum est. Talis est Dominus Deus noster nobis, qui stamus semper ad videndam desiderabilem faciem eius. Dulcis est nobis super omnia quæ gustari possunt, & non potest in cunctis desiderabilibus comparari quicquam dulcedini eius quæ nos tangit ineffabili fortitudine, ac penetrat intima nostra, nosq; accendit & iugiter inflāmat ad ipsum amandum & quo amplius epulamur gustum suauitatis eius, tanto nobis sapidior & appetibilior est, & non habet aliquam metam cursus desiderij nostri in ipso. Ipse est balsamum electorum suorum, quia lenit dolores eorum, & sanitatem æternam eis præstat in regno suo. Ipsum incessabiliter bibūt & trahunt in se & reficiuntur copiose ex ipso vt veniant eis in obliuione mala omnia quæ in hac vita pertulerunt: & incorruptibiles eos facit, vt vltra non esuriant, neque sitiant, neque molestiam patiantur ab æstu aut frigore, aut morbo, aut ab aliqua incommoditate, neque dissolui possint à læsione mortis in æternum. Odor eius abundantiam suauitatis tantam habet, vt si in vnum coaceruentur omnia quæ sub cœlo sunt suauiter redolentia, non possint vllam spirare suauitatem quæ sit comparabilis illi. Odor eius est suauissima delectatio quæ ex ipso procedit, non solum in eos qui præsentem habent vultū maiestatis eius, sed in eos quoq; qui adhuc peregrinantur in hoc mundo, & diligūt gloriam eius, & suspirant ad patriam visionis eius. Hæc cum dixisset, blande consolatus est me super ęgritudine mea, & magnam mihi gratiam promittebat. Nam flebam multū pro eo quod Paschalibus gaudiis interesse non poteram ob importunitatem febrium, quę multis diebus intolerabiliter me vexauerant, & erant commutatæ à quartanis in tertianas. Recordatus est tamen benignitatis suæ in me, & rediit ad me in octaua Paschæ, & duxit me in spiritu in locum magnæ amœnitatis, & statuit me secus fontem pulcherrimum, & quasi vase aureo hausit ex eo & potauit me. Cumque bibissem, fecit super me signaculum crucis, & benedixit mihi ac dixit: Dimissa es ab infirmitate tua, non te amplius tanget. Cumque ab extasi expergefacta fuissem, statim me sensi alleuiatam, & cœpi incedere firmo gressu quod non feceram longo tempore, nec vltra ad me rediit infirmitas illa Benedictus Deus in cunctis miserationibus suis, quas ostendit in me. Hæc omnia magnę dilectionis causa tibi charissima annunciare curaui, vt aliquam ex his consolationem accipias, & conforteris in Domino.

EPISTOLA XII.

Exhortatoria epistola Elizabeth ad cognatam suam.

ELIZABETH humilis ancilla Christi, dilectissimæ cognatæ suę, ac venerabili magistræ G. omne debitum orationis & dilectionis in Christo Iesu. Charissima, admoneo te ambulare cum omni solicitudine mentis tuę in via contemplationis Dei, & currere post vestigia agni candidissimi qui te præcedet cum omni humilitate & patientia. Patiens esto contra omnia aduersa: quanto sublimior es, tanto humiliare in omnibus: humilitas enim magna virtus est: humilitate peruenitur ad coronam. Quando humilior fueris, tanto sęquetur te altitudo gloriæ: discretionem tene circa subditas tuas, obsecrando, increpando, arguendo: discretio enim mater est omnium virtutum. Necesse est valde talibus hominibus qui magistri nominantur, discretionem habere in seipsis & in aliis. Et iterum clamat ad te & ad omnes qui sub regimine tuo sunt vox diuina, vox sponsi vestri, & admonet vos ambulare in via contemplationis eius, sicut ipse præcedit. Ambulate sicut & ipse ambulauit: & nolite declinare ad dexteram neque ad sinistram, sed sequimini vestigia eius cum omni humilitate, patientia & obedientia. Et estote sine discordia & sine detractione & murmuratione & inuidia, & ab aliis huiusmodi custodite vos, vt sitis quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, iuste & pie viuentes in hoc sæculo. *Sancti estote*, dicit Dominus, *quia ego sanctus sum.* Et iterum dicit: *Perfecti estote sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Ambulate vt filiæ lucis, vt filiæ charissimæ patris vestri qui in altis habitat & humilia respicit. Diligite iustitiam, obedientiam, patiētiam & humilitatem. Diligite vos inuicem cum omni mansuetudine. Onera vestra adinuicē charitatiue portate. Compatientes estote & misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Nulli dantes offensionem, vt non vituperetur ministeriū vestrum. Vnaquæq; vestrūm quod sibi non vult, alij ne faciat. Magistram vestram honorate, & eam cum omni mansuetudine & sincero corde diligite, & nolitē eam spernere & contemnere, quia ipse Dominus dicit:

dicit: *Qui vos spernit, me spernit, & qui vos audit, me audit.* Nunc igitur attendite & considerate admonitiones Diuinas, & eas percipite hilari corde cum gratiarum actione, & auribus percipite. Hæc est autem vox sponsi: Non requiescam nisi super humilem & quietum & trementem verba mea. Et iterum dicit: Deliciæ meæ sunt habitare inter filios hominum. Et contra dicit sponsa agni: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie? Et iterum. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Sed quidnam est hoc quod dicit eum cubare, quiescere, pasci inter lilia? Hæc sunt virgines castæ, & bene ornatæ charitate, castitate, prudentia, humilitate. Quanto castior virgo est, tanto humilior sit. Gaudete cum lætitia filiæ Hierusalem, quoniam vos elegit Deus in hæreditatem sibi: & corrigite vos cum omni solicitudine cordis vestri, & proteget vos sub vmbra misericordiæ, & enutriet vos ab vberibus consolationis suæ, donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. Et adducet vos in Hierusalem quæ sursum est, & dicet: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Regum in diademate, quo coronauit eum pater suus in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius. Quando erat dies lætitiæ cordis eius? Tunc erat quando egressus est vt gygas fortis ad præliandum contra regem infernorum, & præualuit & despoliauit eum, & secum duxit in gloriam quos redemit sanguine suo: sic fiet vt & nos simus cum eo & ipse nobiscum in gloria, in vita æterna, Amen. Valete & orate pro me Dominum, vt fiat in me Spiritus sancti templum, & in me perficiat quod sibi placeat.

EPISTOLA XIII.

Alia ad quosdam religiosos patres exhortatoria.

ELIZABETH humilis ancilla Christi R. dilecto suo, omne gaudium in cœlesti thesauro accipiendum. Charissime, admoneo te vt attendas quomodo hic mundus periclitatur & Dominus periclitantibus subuenit semper, extrahendo eos aliquando admonitione, aliquando correptione, aliquando consolatione, & quasi pater mitissimus corripit suos ne fictile vas eorum pereat. Nunc autem ô amice Dei, memento cum omni solicitudine mentis, quomodo hic mundus transit, & flos eius arescit & lubricus est. Et quis audet dicere, confirmatus est pes meus, & non cadam. Nemo securus sit de seipso: si hodie est, cras non erit. Et de beata domo tua, dicam domus pacis est, & pax requiescit in ea. Et inuenta est apud te margarita electa, & Dominus omnium diligit eam, & seruata est ei, & vocat eam vt desponsetur cœlesti sponso Christo Iesu: & ipse daturus est omnia quæ habet, vt emat eam. Et ecce admonet te diuina clementia ô mater veneranda de illa margarita, de qua dixi, vt materna eam dilectione diligas. Vide ergo ne diligas eam plus quam animam tuam. Si autem diligis eam vt animam tuam, & si diligis Deum plus quam animam tuam, coniunge hæc duo in vnum, filiam ad Deum, creaturam ad creatorem, & de his mercedem magnam recipies in anima tua in die retributionis, & bene tibi erit semper cum eo qui est benedictus in sæcula. Et iterum reuertor & admoneo vos patres inter omnia & super omnia, vt abstineatis à vino, quoniam magnum periculum patiemini de hoc in animabus vestris. Pro certo scitote qui semper est in ebrietate, semper est in obliuione traditus coram Deo. Patiens est Deus, & expectat vos de die in diem: & dedit vobis dies & annos vt emendetis vos in melius, & nullam excusationem habetis. Dedit vobis doctrinam, & ostendit vobis viam rectam, & ambulastis viam iniustam. Timendum est autem de patientia Dei in die qua redditurus est vnicuique secundum opera eius. Si autem conuersi fueritis & pœnitentiam egeritis, magnam gratiam apud Deum inuenietis: quoniam benignus est & misericors: & peccatores non despexit, sed manducabat cum eis: & non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et iterum dico vobis dilectissimis in Christo. R. L. N. Confortamini in Spiritu sancto, & confirmate corda vestra, quomodo athletæ Dei estis, & bene superabitis eos qui sunt inimici castitatis, quemadmodum vos estis amatores castitatis: inde vobis erit gaudium magnum in cœlo, & corona lætitiæ præparabitur, & merces magna nimis. Quam vobis præstare dignetur qui in Trinitate perfecta viuit & regnat in sæcula, Amen.

Abstinẽdũ à vino

EPISTOLA XIV.

Ad Abbatem Tuitiensem.

DOMINO G. venerabili Abbati Tuitiensis Ecclesiæ, soror Elizabeth salutem & orationes deuotas. Rogauit me vnus ex amicis tuis venerabilis pater vt hæc tibi annunciarem, quia ex literis tuis hæc te desiderare intellexit. Cum essemus expectantes aduentum fratris mei qui fuerat profectus ad vos, accidit vt viderem in visione nocturna, quasi venisset ad nos, gestans in manu tria lilia elegantis speciei: quorum vnum valde pusillum & quasi recenter à calore solis apertum videbatur, sed magis cæteris candidum & amabile visu, quod in manus meas porrigens, dicere videbatur: Accipe soror, hæc vocatur Eutycia. Post hæc cum reuerteretur, primum diuertit ad nos vsque dum fratres ad processionem se præpararent: narrauitq; nobis de duabus sacris virginibus Fenellina & Grata quas adducebat, & de tertia illa infantula quam mihi specialiter à te missam asserebat. Continuo intellexi visionem trium liliorum, ac tertiam illam quam sine nomine adduxit Eutyciam. Vale perenniter in Deo salutari tuo.

Tria lilia

Eutycia.

Fenellina

Grata.

* *
*

Quinti Libri Epistolarum S. Elizabethæ Virginis
FINIS.

LIBER VI.
QVI EST ECBERTI AD COGNATAS SVAS.

CAPVT I.

De obitu Elizabeth Virginis.

VIRGINIBVS Deo sacratis in Anturnacensi congregatione, Budæ, Hadeuigi, Regelindi propinquis & familiaribus suis frater Ecbertus ex cœnobio Sconaugiæ orationis obsequium, & dilectionis affectum.

Sinite vt plangam paululum dolorem meum apud vos charissimæ meæ, & suscipite verba lamentationis meæ cum dulcedine compassionis. Paululum plangam, modicum lugebo, iuxta amplitudinem vulneris mei, ne forte carnali affectu perturbari existimer, & reputetur ad insipientiam mihi. En nostra Elizabeth, illa electa lampas cœlici luminis, virgo illustris & honorificata in abundanti gratia Dei splendida, gemma cœnobij nostri, dux nostri virginei cœtus; heu ante annos maturiores ex hac luce subtracta est. Quæ me peperit in lucem inexpertæ nouitatis: quæ me traxit ad familiare ministerium Iesu Domini mei: quæ ore mellifluo consolationes & instructiones Dei de cœlo afferre solebat ad me, & gustare faciebat cor meum primitias dulcedinis absconditæ sanctis in Deo. Hæc irregressibilem abiit viam: & ecce non comparet super terram dulcedo animæ meæ, consolatio paupertatis meæ, & suaue condimentum omnium laborum meorum. Merito ergo mœroris cingulum præcordiis meis accingo: dignum dilecta mea super te lamentum assumo virgo gratiosa valde amabilis, multum in suauitate sancta, qua te inunxerat Spiritus Dei. Exitum tuum immaturum ô filia gratiæ, lugent interiora animæ meæ, & personat chordæ cordis mei carmen lugubre spiritui meo super te. Veruntamen non est dolor meus sicut dolor quem pariunt caro & sanguis, vt nunc germanitatis causa quę carnalia sunt lugeam. Sed spiritualium delitiarum me communia damna contristant, quas tu Dei ministra, inaudito modo multis administrare solebas. Per te cœlum mundo erat apertum, & affluebant abscondita à seculis arcana Dei per organum vocis tuæ ad nos, & erat pretiosius auro, dulcius melle eloquiũ tuum. Per te Angeli nobis & nos Angelis familiariter loquebamur, & affabiles nobis erant te mediante altissimi principes cęli. O fęlix fęmina, quam multi Reges & prophetæ voluerunt videre quæ videbas, & non viderunt. Patuit enim beatis oculis tuis sublime palatium cœli, & præuidisti ante tempus communis visionis inaccessibilem claritatem regni immortalis. Gloriam ciuium cęli nobis noram faciebas, & quasi ante oculos mẽtis nostrę ponebas, & inflãmabant non mediocriter beatę rationes tuę corda nostra in desideriis patrię quã expectamus. Vacillantes animas nostras, in ministerio Dei sæpius confirmauerunt verba admonitionis tuæ, & feruore sancto, laudationes Domini multum nos amplificare faciebas. O quam multa pietatis opera per exhortationes tuas longe lateque per terras facta sunt, quoniam multæ electorum animæ, desideratis consolationibus, per tuam negotiationem potitæ sunt. Benedicta filia tu à Domino, quia fructuose inter Deum & homines negotiata es. O fœmina fœliciter nata quomodo perdiderunt te infœlicia tempora nostra? Dei lucerna quomodo extincta es mundo? quomodo clausa es ô clara fenestra? Per quam prospiciebant oculi Domini ad nos. Pium est ô electa Dei flere nos amissionem dulcis præsentiæ tuæ. Et pium est nihilominus congaudere nos beatitudini optimæ consummationis tuæ: quippe quę bonũ certamen certasti, & cursum martyrij tui fœliciter consumasti. Tota etenim vita tua ab annis tenerioribus si recte animaduertitur vere martyrium dici potest. Portabas siquidem iugum Domini ab adolescẽtia tua, sub regulari disciplina semper ambulans in paupertate & multiplici tribulatione. Semper manus Domini grauis fuit super te, nec defuit vllo tempore tibi visitatio superna premens animum conterens miserabile corpus tuũ pressuris & ęrumnis, quas agnoscere & dinumerare dignetur qui solus laborem & dolorem considerat. Hilarem & patientem te exhibebas ad omnem flagellationem Domini, & super dolorem vulnerum quem tibi infligebat manus eius, sęper adiiciebas sacrificium spontaneę afflictionis. Riui innumerabiliũ lachrymarum

marum tuarum domina, fatigationes genuum tuorum, diuulſiones teneritudinis tuæ quas ſuſtinebas ab aſperitate ſaxi, inciſiones laterum quas inferebat duritia zonæ, incredibilis parcitas ciborum, & innumera orationum tuarum holocauſta, maneant in recordatione coram oculis miſericordis Dei cui nuda & aperta ſũt omnia. Ardorem ſancti deſiderij tui, de ſeipſo nunc faciet fons vitæ, quem toto corde ſitiebas: humilitatem ſpiritus tui, qua præ cunctis mihi cognitis modica & abiecta ſemper in oculis tuis fuiſti, reſpiciat & honorificet ſubleuator humilium Deus. Benignitatem quam erga aduerſantes tibi habere ſolebas, benignitas diuina agnoſcat, & ad condignam retributionem adducat. Anima laſſa, anima contrita, & ſaturata miſeriis ærumnoſæ vitæ, perge nunc in requiem diu deſideratam: ſuſcipiat te ſinus pacis æternæ. Amplectatur te dextera fidelis ſponſi tui: foueat & alliget omnes contritiones tuas, ac donet tibi oleum gaudij pro luctu, coronam decoris pro cinere deſpectionis, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Quo digreſſus ſum à propoſito meo? In mente habebam ô dilectæ meæ ad quas ſermonem dirigere cœpi, deſcribere vobis beatam conſummationem charisſimæ noſtræ, ſed ex abundantia mœſti cordis aſſumpti querelam hanc, ante propoſitam narrationem. Et nunc fauente Domino exequar quod intendi, quemadmodum veſtræ charitati gratum fore non diffido.

CAPVT II.

De fœlici exitu ac ſepultura Elizabeth.

ERAT ancilla Domini adhuc in die Pentecoſtes conſueto modo hilariter ſe habens, & ſicut mos illi erat gratificari nobis per omnem diem ſolennem, lætificabat nos reuelationibus ſacris, enarrans nobis inter cætera qualiter & qua hora ſinguli aſſiſſentium miniſterio Dei viſitarentur à Spiritu ſancto. Tertia autem feria poſt hæc circa horam veſpertinam, ſubito incidit in languorem fortiſsimum, cœpitq; affligi per omne corpus tam grauiter vt mox conflueret ad eam tota congregatio inuocans ſuper eam auxilium Dei, ſicque in hac afflictione permanſit pene per totam noctem: die ſequenti videlicet quarta feria in qua ſolenne ieiunium agebatur, congregatio fratrum proceſsionem fecit in albis vſque ad cellas: & portabamus nobiſcum in ſcriniis, cunctas reliquias ſocietatis ſanctæ Vrſulæ Reginæ, quatuordecim videlicet corpora quæ velut integraliter apud nos ſunt exceptis diuerſorum corporum portionibus multis. Celebrantibus autem illic nobis priorem miſſam feſtiue de Spiritu ſancto rapta eſt in extaſim, ac per longum tempus vt referebant nobis ſorores, quieta permanſit, ſicut mos illi erat in tempore exceſſus ſui, quando aliqua ei diuinitus reuelabantur. Poſt hæc autem cum ad ſeipſam rediiſſet, ſciſcitabamur ab ea quomodo ſe habuiſſet, & vtrum aliquam conſolationem à Domino accepiſſet, & referebat nobis dicens: Vidi in viſione ſpiritus mei ſanctiſsimam Dominam noſtram & proxime ei aſſiſtentes Beatam Vrſulam Reginam & ſanctam Verenam cuius corpus apud nos eſt, ſimulq; omnes ſanctas virgines quarum reliquiæ huc allatæ fuerant multitudinem videlicet copioſam, omnes mirifice coronatas & ingenti claritate veſtitas & habentes in manibus palmas victoriæ. Allocuta ſum autem Dominam noſtram quæ ſtabat in medio ſancti agminis illius, dixiq; ad eam: Ad te dilectiſsima Domina querelam facio ex toto corde meo ſuper omni tribulatione mea. Habeto miſericordiam ſuper hoc quod ego contrita & afflicta, tam multis laboribus, tam innumerabilibus ærumnis à iuuentute mea vſque ad hanc diem, etiam nunc tam intolerabile martyrium ſuſtineo in hoc miſerabili corpore meo. Et reſpondit cum magna dulcedine, dicẽs mihi: Dilecta mea, Dominus noſter ita tibi hanc vitam conſtituit, vt contingat tibi pati in ea multas moleſtias multaſq; afflictiones ac magnam paruitatẽ, miſerebitur autem tui, & de omnibus bene conſolabitur te. Voluntas eius eſt vt per iſta te purificet ac talem te efficiat, vt cum tranſieris de mundo nihil moleſtiæ de cætero patiaris. Habeto ergo patientiam in omnibus malis quæ ſuſtines, & nihil murmures aduerſus Dominum in corde tuo, quia omnia in bonum tibi conuertet. Aſpice iſtas quæ ſtant in circuitu meo, quomodo coronatæ ſunt, & quantus eſt decor earum. Perpeſſæ ſunt anguſtias multas & valde dura martyria propter Dominum: & ideo non ſolum honorem habent ante Deum, ſed etiam ab hominibus multum honorificantur, & late eis in mundo ſeruitur. Adiecit etiam & dixit: Vere dico tibi quod ſi poſsibile eſſet vt vno die triginta vicibus comburereris vſque ad cineres ac toties iterum ad humanam integritatem redires, non poſſes tali pro eo afflictione promereri gratiam illam & gloriam quam Dominus tibi coſeruauit in cœlis. Iterum dixi ad eam: Metuo Domina, ne forte ſcandalizentur homines in infirmitatibus meis, & æſtiment pro aliquibus grauioribus peccatis me ita torqueri, atque hac etiam occaſione detrahere velint gratiæ Dei in me & diffidere iis quæ Dominus operatus eſt mecum. Et illa rurſum ad me: Nemo (inquit) ſapientium faciet hoc.

14 corpora de Societate Vrſulana in Sconaugia.

CAPVT III.

De ſuo fine ſolicita, ſororum ſalutem diligenter intendit.

AB illo tempore de die in diem magis inualuerunt infirmitates ancillæ Domini, & quotidie aliquid nouæ moleſtiæ ei accidebat: maxime autem à doloribus vitalium coarctabatur, quibus nulla ope poteramus obuiare. Refectione autem tam modica per languoris ſui dies vſa eſt, vt eſſet incredibile humanum corpus poſſe ſuſtentari in ea per aliquod tempus: & idipſum quod ſumebat, importunitate tuſis excutiebatur: tam immobilis animi permanebat cunctis illis diebus vſq; ad exitum ſuum, vt nũquam vel ſemel ad lachrymas

eam permouere possent lamenta sororum & familiarum eius, timentium de morte ipsius, cum tamen facili ex causa in lachrymas prorũperet dum adhuc incolumis esset. Si quando etiam remissius habere videbatur, gaudentibus circa eam sororibus & verba lætitiæ loquentibus, nullatenus tamen à seueritate faciem relaxabat. Strato iacere aut somno quiescere non eam sinebat doloris vehementia, sed sedens pene nocte ac die imperturbato sensu mentis, proinde iactabat multa de quibus vix eam cogitare posse arbitrabamur. Narrauerat nobis ante dies infirmitatis istius, quod quadam die solenni dum adhuc incolumis esset, vidit in spiritu beatam Dominam nostram & in oratione sua deuotissime illi commendabat vitam suam, & finem vitæ suæ dicens: Adiuues me oro sanctissima Domina propter clementiam tuam, vt rationabilis fiat exitus vitæ meæ, & vt nunquam mihi transire contingat de hoc mundo quin omnia in me fiant quæ pertinent ed obitum hominis Christiani. Et illa cum magna benignitate respondit ei dicens: Certa esse debes quod obitus tuus non solum erit sicut hominis Christiani, sed sicut hominis sancti. Et vere hanc in ea promissionem per gratiam Dei vidimus adimpleri. Nam & omnia sacramenta quæ ad transitum Christianorum pertinent plenarie ei exhibita sunt. Ac præterea intantum benedixit nouissimis eius Deus, vt euidenter singularis gratia eius in ea agnosceretur, & glorificaretur à multis. Videns enim ingrauescere morbum super se & considerans se omnino destitui viribus corporis, vocari ad se petiit spiritualem patrem nostrum dominum Abbatem, & ipso præsente totam congregationem sororum aggregari fecit ante se: & inter summos dolores quasi nihil sentiret mali, sedens, cum magna fortitudine spiritus allocuta est eas longo & rationabili sermone: de quo & si præsens essem, pauca verba hæc in memoria mea permanserunt.

CAPVT IV.

Protestatio, quod nihil fictionis admissum sit in ijs quæ ab ea sunt & visa & audita, adhortatio sororum, & sacramenti vnctionis postulatio.

NOLITE (inquit) mirari charissimæ super infirmitatibus meis sicut homines imperiti, neque diffidatis gratiæ Dei in me propter castigationes eius quas sustineo & sæpe sustinui in medio vestri. Conscientia mea bona est apud Dominum, & certissime agnosco quod per ea quæ patior, præparat & exornat coronam meam Dominus in regno suo. Ipse non propter merita mea sed propter misericordiam suam iam ab annis pluribus operarus est in me magna & temporibus nostris inaudita. Et scio quoniam multi sunt in populis qui fideliter & benigne hæc perceperunt, & per ea ædificati sunt in bonum, multi vero diffidentes scandalizati sunt in iis quæ audierunt de me: non illis imputet Deus. Vobis autem dico & confidenter affirmo per illud iter quo ad regnum Dei perrecturam me spero, quoniam hæc quæ vidistis in me & audistis ex me, vera sunt & nihil simulationis & fallaciæ ad hæc vnquam adieci. Dominus mihi testis est. Sint vobis ista præ oculis semper: & estote emendatæ per hæc amplius quam cæteri hominum, ne forte imputet vobis Dominus magis quam aliis qui non tam veraciter ista perceperunt. Gratias agite Domino semper, & collaudate eum in omnibus mirabilibus suis, quæ operatus est mecum in conspectu vestro, quia in his singularem honorem vobis præ cæteris clausstralibus præstitit. Concordes estote, & diligite inuicem, & ordinem vestrum cum magna diligentia custodite. Paupertatem vestram patienter sustinete. Animę meę fideliter & cum seria mente curam gerite: neque aliquid negligatis ex iis quæ pertinent ad debitum meum, pro eo quod æstimetis non indigere me suffragiis orationum vestrarum. Hæc autem dico, quia sæpe qui religiosi videntur negligi solent, dum ii qui eorum bonam conuersationem cognouerunt, cogitant non eos magnopere indigere adiutorio ipsorum. Et cum anxie ista loqueretur dominus Abbas subiecit hæc verbis eius, dicens: Confidimus quoniam promissio Dominæ nostræ implebitur in te, qua tibi perpetuam quietem promisit post tribulationem hanc: veruntamen quod postulas nullo modo negligemus. Ad hæc illa respondit: Promissioni dilectissimæ Dominæ nostræ nullatenus diffido, sed nihilominus quod meum est facere debeo, & solicite prouidere animæ meæ. Itemque ad sorores aiebat: Si quid in me charissimæ Deum vnquam offendistis, ipse indulgeat vobis, & ego ex corde remitto omnem offensam. Vos quoque si feci quicquam in vobis quod facere non debui, quęso indulgete mihi. Nondum ego quidem aliquid certitudinis accepi à Domino de fine vitæ meæ, veruntamen iustum est, vt habeam solicitudinem de tutela animę meæ, & disponam de iis quæ pertinent ad exitum meum. Ideoque postulo vnctionis sacramentum. Cumque hæc & his similia multa super vires suas locuta fuisset, petiit à domino Abbate vt aduocari faceret plures ex senioribus presbyteris, & inungeret eam: & sic factum est. Cumq; post hæc confessionem fecisset, distulimus consulto propter sto machi infirmitatem & tussis importunitatem, dare ei Dominici Corporis Sacramentum.

CAPVT V.

Oratio Elizabeth & exauditio pro perceptione corporis Dominici: diuisio lucis, & signum transitus eius.

NOCTE vero sequenti intantum aggrauata est infirmitas eius, vt putaret se continuo trãsituram: & dum anxiaretur propter dilationem Dominici corporis, eleuatis ad cęlum manibus orauit ad Dominũ dicens: Saluator mundi Dñe Iesu Christe, obsecro te per illam sanctã passionẽ tuam in qua te per totum expãdisti super lignum crucis ad redimendũ mundum & ad amplexãdum omne

quod

quod redemisti, vt non me patiaris vnquam de hoc mundo transire, antequam percipiam tuum sanctissimum corpus ad consolationem & munimen animæ meæ. Recordare Domine quoniam sæpe illud suscepi cum intima deuotione cordis mei, & cum multa lachrymarum effusione, & non sinas me in nouissimis meis carere benedictione hac. Et dixit vna sororum vigilantium cum ea: Memento Domina quod in quadam visione tua dixit ad te vox diuina, cœpi & perficiam: hinc ego confido, quod non sinet te Dominus sic ex improuiso transire, quin adhuc aliquam manifestã consolationem ab eo percipias, & maiorem certitudinem finis tui. Et gratanter recepit responsionem hanc: Exaudiuit autem Dominus desiderium eius, quoniam tunc dilatus est transitus eius, & ter postea communicauit ante finem. Aestimans autem ego posse eam adiuuari arte medicinæ, & metuens ne forte ad insipientiam & inhumanitatem mihi imputaretur, si negligerem attentare hoc, perrexi cum festinatione in vrbem Moguntiam, consulere medicos, & comparare medicinas. Sed sicut erat voluntas Domini tollere eam de hoc mundo, nihil ex omnibus quæ requirebam inueni. Ipsa autem nocte (qua eram illic) infirma nostra solito more erat sedens in lecto, & sorores cum ea vigilantes. Circa medium autem noctis cum diligentissime Dominum orasset, & finem suum ei commendasset, cœpit grauiter anxiari, & ita à priori statu mutari, vt iam putaretur transitura & post multam anxietatem in extasim venit. Sorores ergo quæ in circuitu erant, vndique eam aspicientes nimium stupefactæ, & finem adesse putantes discurrere cœperunt aliæ ad afferendum cilicium in quo deponeretur, aliæ ad euigilandum conuentum sororum. Quæ cum venissent, iterum attrahere spiritum cœpit & redire ad seipsam. Et dixit cum silentio ad vnam sororum quæ proxime ei accumbebat tenens eam in brachiis: Nescio quid mihi est: lux illa quam ex consuetudine in cœlis aspicio, diuidit se. Et amplius non adiecit. Tunc singulæ sororum procumbentes ante eam, veniam petebant ab ea, rogantes vt omnem offensam eis indulgeret. Hoc autem illa cum magna beneuolentia ac prudentia faciebat: & econuerso quantum potuit, seipsam humiliauit ad eas, tanta discretione per omnia vtens, vt manifeste Spiritus sancti gratiam in ea considerarent. Tunc vna sororum interrogabat eam secreto dicens: Charissima, nunquid adhuc aliquid tibi signi demonstratum est à Domino, aut aliquam vocem percepisti vnde possis agnoscere finem tuum? Et dixit: Nondum quicquam tale percepi. Post hæc dixit sororibus, vt abiret conuentus ad cantãdas matutitas: tempus enim iam erat. Et dum sorores quę in circuitu eius erãt, psallere cępissent, iterum in extasim venit. Et cum iam compleuissẽt officium matutinale, respirauit & ad seipsã reuersa est. Et dixit quibusdam illarum, vt irent quiescere & manentibus cum ea iis quæ maxime familiares erant, dixit vna illarum: Charissima dic nobis si potes qualiter te habueris in hac extasi, & si aliquid tibi à Domino reuelatum est, aperi nobis. Et dixit: Nondum possum, paululum expectate. Et cum aliquantulum collegisset vires ad se, dixit: Visiones sanctas quas olim in summis festiuitatibus videre solebam, & de quibus mihi dictum erat ab Angelo Dei ante plures annos quod non essem eas visura vsque ad obitus mei tempus, nunc mihi Dominus demonstrauit. Hoc ergo est mihi certissimum indicium finis mei. Rogo tamen vt adhuc sileatis super hoc, neque multum diuulgetis. Post hæc cum conuentus sororum iam matutinas decantasset, venit vna ex maturioribus, quæ dixit ad eam: Dic nobis dilectissima si aliquid à Domino consolationis accepisti. Et respondit: O quam bonam consolationem accepi. Et quia vires non habebat dicendi, sorores quæ audierant ab ea, dicebant in audientia ipsius tam illi quam cæteris quæ iam confluebant, quænam fuisset visio quam viderat. Et factus est fletus magnus inter eas. Tunc confortata spiritu. Et sedens, allocuta est omnes hoc modo.

CAPVT VI.

Consilium de substituenda alia loco eius, & salutaris admonitio, ac diligens præparatio ad exitum vitæ huius.

DILECTISSIMAE meæ, in hac re habete certitudinem finis mei, & testimonium verum omnium eorum quæ Dominus mecum operatus est. Rogo & admoneo vos, vt stabilem fidem adhibeatis iis quæ fecit Dominus coram vobis in me, neque diffidatis vnquam: & ego credo operibus eius, & testimonium eis perhibeo morte mea. Ipse hactenus operatus est in me, & vsque in finem operatur, vos illi semper gratias agite singulariter super omnibus his. Semper insidiatus est mihi sathanas, & multos laqueos posuit mihi: & scio quod etiam post obitum meum non desistet aduersari mihi, & corrumpere famam meam, & obscurare ea quæ fecit Dominus mecum. Ego ab adolescentia mea, multa passa sum inter vos dura & intolerabilia corpori meo, infirmitatibus multis & penuria necessitatum mearum, & in laboribus quos assumpsi. Et postquam cœpit Dominus singularem gratiam suam ponere in me, grauiora passa sum quam prius: non specialiter propter aliquas iniquitates meas, sed vt per meos labores quos foris vidistis in me, comprobarentur ea quæ occulte Dominus mihi demonstrauit, vt tanto magis credibilia essent tam vobis quam aliis hominibus qui hæc erant percepturi. Tunc sorores vnanimiter ad eam dixerunt: Domina dilectissima, quandoquidem iam amplius habere non possumus teipsam, rogamus vt denomines nobis aliquam personam inter nos, quæ magisterium super nos cum Dei voluntate possit habere. Et hanc cum omni beneuolentia gratantissime suscipiemus. Et dixit: Consilium meum est, vt ipsam quæ post me prioratum habuit inter

vos, & bene atque competenter omnia fecit quæ ad officium ipsius pertinebant, assumatis in locum meum. Ipsam honorate & diligite, & supportate eam propter Dominum quamdiu dimiserit eam. Nouit Dominus quod non propter cognationem quæ est inter me & illam, aut propter aliquam singularem dilectionem hæc dico, sed quia confido ita placitum esse Domino, & quod expediens erit vobis. Dominus de cætero vos consoletur, & per omnia vos edoceat quæ placita sunt illi. Susceperunt autem gratanter consilium eius, & ipsam quam denominauerat, postea à domino Abbate postulauerunt sibi dari in magistram & consensit petitioni earum. Cum autem finem feciſſet verborum quibus sorores alloquebatur, dicebat ad eas quæ familiariter ei ministrabant: Heu quid fiet de fratris mei absentia? Heu super medicinis quibus mihi negotiatur. Quid ad me pertinent medicinæ? Mittite obsecro cum omni festinatione nuncium ad reuocandum eum: & sic fecerunt. Erat autem feria quarta. Mane autem facto, mox aduocatus est dominus Abbas, & sedente eo coram ipsa, narrauerunt ei sorores visionem ex qua de morte sua certificata fuerat. Nam & ipsa ad narrandum vires non habebat. Qui cum audisset narrantium verba dixit ad eam: Nunquid ista ita se habent? Et ait, ita mi Domine, & hinc habeo certissimum testimonium mortis meæ. Mox ergo ipse ad seruitium Dei accedens, de sancta Trinitate officium celebrauit, pro eo quod sanctæ Trinitatis mysterium sibi ancilla Domini in visione præfata reuelatum fuisse testabatur, eo modo quo & ante decennium ei fuerat demonstratum in eadem visione. Expleto autem diuino officio, sancta eam communione muniuit: & dicta est litania cum multa deuotione tam fratrum quam sororum, vbertim lachrymantium super eam.

CAPVT VII.

Visio ex qua cognouit Elizabeth discessum suum, & Diuinum cultum permansurum in loco illo.

POST hæc circa horam nonam aduenì ego, & cum multis omnium lachrymis susceptus sum, ita vt eam iam obiisse æstimarem. Quod cum requisissem ab iis qui mihi lachrymantes occurrerunt, & adhuc viuere eam dixissent, eram adhuc sperans de vita eius. Et cum intromissus fuissem, sedentem inueni, & loquentem, & tantarum lachrymarum quæ erant in circuitu eius causam vehementer admiratus sum, nullam adhuc videns similitudinem mortis: & cum paululum sedissem coram ea, allocuta est me, dicens: En morior dilectissime frater, & nullatenus ad hanc vitam conualesco. Et ego corde percussus in hoc verbo, aio ad eam: Vnde hoc nosti charissima? Et ait: Visionem illam magnam quam ante plures annos videram, de qua dictum fuerat mihi quod non eam essem visura vsque ad finem vitæ meæ, Dominus mihi nocte ista ostendit: & hinc certa sum, quoniam finis vitæ meæ aduenit. His auditis ego visionem recognoscēs & verba Angeli qui de fine vitæ eius prædixerat in memoriam reuocans, vtpote qui post eam omnia propriis manibus scripseram, continuo omnem spem sanitatis eius & vitæ despoſui. Et cum ab intimo cordis dolore lachrymarer coram ea, nullam omnino similitudinem doloris faciebat: sed immobili permanens animo, dixit ad me: Scito dilectissime quia nulla est tristitia mihi pro discessu meo, & quia absque omni dolore separor abs te, quamuis præ omnibus hominibus dilectus fueris mihi, quoniam super omnem cibum & super omnem potum esurio & sitio regnum Dei. Et dixi: Non ego nunc ad similitudinem Prophetæ præsumo orare, vt fiat spiritus tuus duplex in me, sed si simpliciter mihi dare spiritum tuum Dominus vellet, sufficiret mihi. Et ait: Charissime voluntas Domini fiat in te. Post hæc completa hora orationis nonæ, rursus aduenit dominus Abbas, cum toto fratrum conuentu: iterumque ipso inchoante dicta est litania cum multis lachrymis, & post benedictiones factas super eam, rogauit illa dari audientiam sibi ab omnibus. Et sedens constanti animo allocuta est nos, & gratias agebat omnibus nobis pro animi beneficentia sibi impensa, & pro cunctis laboribus quibus laborassemus circa ipsam: & exhortata est nos prudentissime ad concordiam & ad tolerantiam paupertatis, & ad seruiendum Domino indeficienter. Vnusquisque (inquit) vestrum pro se studiosus sit, ne in ipso defectum habeat seruitium Domini. Scio autem & sæpius reuelatum mihi est à Domino, quod benedixit Dominus locum istum singulari benedictione, *Locus benedictus.* & non deficiet in ea laus eius & cultus eius vsque in nouissimum tempus. Vos ergo singularem ei gratiarum actionem semper exhibete, pro eo quod specialiter locum istum præ aliis clausstris honorauit, per eam gratiam quam in me operari dignatus est. Et cum multa in hunc modum exhortata fuisset, ad me quoque exhortationem adiecit, rogans & suadens vt stabilitatis perseuerantiam seruarem: neque aliquando vellem derelinquere locum etiam si cotingeret vocari me ad locum honorabiliorem & magis opulentum. Omnes autem gratantissime suscepimus verba admonitionis eius, quoniam manifeste in ea operari spiritum Domini confiderabamus. Et dixit ad eam dominus Abbas: Admonitiones tuas dilectissima gratas habemus. Rogamus autem vt postquam ad Dominum migraueris, nos illi diligenter commendes, ipsumq; semper ores super locum hunc, vt habeat eum in tutela & pace sua. Et annuit similiter petitioni eius.

CAPVT VIII.

Commendationes & gratiarum actiones quas Elizabeth habuit in fine.

POST hæc adinuicem coniunctis manibus extendit eas ad ipsum, & ait: Domino creatori meo commendo animam meam, & post ipsum tibi dile-

bi dilectissime pater, & rogo vt ipsi eam in nouissimo die præsentes, quia tua spiritualis filia sum, & te sicut debui dilexi, & obedientiam debitã seruaui. Qui eam cum lachrymis susciens, ait: Sperõ quod lætabunde offeram te Domino. Post hæc rursum illa ait: Non miremini, quod sic anxie tracto de cunctis quæ pertinent ad exitum meum: quia necesse est hoc me facere dum adhuc aliquas vires habeo, ne forte cum omnino defecerit virtus mea, in aliquo imparata inueniar. Discedente autem ab ea domino Abbate, ait: Maneat super vos omnes dilectissime pater benedicto illa qua benedixit Dominus saluator discipulos suos, quando ab eis ascendit in cœlum. Singulos quoque fratrum indefesso animo allocuta est, commonens eos de profectu virtutum, & orationibus eorum se commendans. neque solum Presbyterós interpellans de offerenda pro se hostia salutari sed & Diaconos cum ad gradum altiorem ascendissent. Petentibus autem singulis vt aliquos psalmos illis commendaret dicendos in memoriam ipsius, primum illorum rogabat vt ob consolationem quam sperabat à Domino consequi de tribulationibus suis, diceret psalmum: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.* Alteri vero, commendabat psalmum: *Lauda Hierusalem Dominum.* Alij, *Lauda anima mea Dominum.* Alii, *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus.* Alij, *Te decet hymnus Deus in Sion.* Alij, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Alij, *Deus in nomine tuo.* Alij, *Dominus regnauit exultet terra.* Mirabamur autem inter hæc vehementer animi eius fortitudinem, & plenitudinem sensus, considerantes infirmitatis eius magnitudinem, & defectum corporalis virtutis. A principio enim infirmitatis suæ, pene nullo vsa erat cibo qui non excuteretur à stomacho eius, à tussis importunitate. Ab illa autem quarta feria qua de morte sua certificata est, vsque ad decimum diem quo obiit, nulla omnino refectione vsa est, nisi sola frigida aqua: excepto quod quadam die cogentibus nobis, pauca fraga sumpsit, & modicum pomi vnius; sed hæc ipsa non retinuit. Sorores quoque circa se aggregatas post hæc longo sermone allocuta est, monens diligenter de omnibus quæ necessaria erant: cunctisque singillatim deosculatis, in fine sermonis adiecit dicens: Charissimæ meæ Angelus Domini qui mihi in custodiam delegatus fuit, magnam circa me diligentiam habuit semper, & multa mihi bona ostendit, & tam vos quam alios multos per me sæpius consolatus est, cum magna benignitate. Vnde rogo vt gratias illi semper agatis, & speciale ei obsequium singulæ exhibeatis, ac dicatis ad honorem eius quotidie psalmum: *Dominus regnauit exultet terra.* Quintã autem feria in tempore diuini officij, Dominum saluatorem diligenter inuocabat, quem se videre testabatur in ea visione quæ descripta est in libro viarum Dei. Petiuitque ab eo, vt ab intolerabili vinculo languoris sui, misericorditer absolueret eam. Ad quod respondit ei dicens: Cito venio & absoluo te.

CAPVT IX.

Visio de exitu eius, & orationes quibus vsa est.

SABBATO quoque post hæc dum diuinum officium de Domina nostra celebraretur, eamq; in supernis aspiceret, & de absolutione sua similiter ei supplicaret, dixit ad eam: Hæc infirmitas tua est ad temporalem mortem, & visio quam vides, non auferetur à te, sed eris videns eam vsque ad horam qua veniam ad te cum honorabili comitatu. Et suscipiam animam tuam, & deducam eam ad refrigerij locum, vbi requiescat à cunctis laboribus suis. Erat autem tota illa die in nimio defectu, & beatæ Dominæ nostræ quasi præsens esset continue intendens, & voce tenui ac miserabili iugiter eam inclamans. Nocte autem Dominica, aliquantulum confortata est spiritu, post desideratum aduentum sororis nostræ mulieris Deum timentis, quam ad exequias eius vocaueram ex longinquo. Tunc congregatis in circuitu eius sororibus, sicut erat sedens in lecto, leuatis sursum oculis, & tota intentione cordis, cum magna sanctorum verborum affluentia, orauit Dominum, dicens: Domine creator meus, liberator meus, saluator meus, susceptor meus, tuæ sanctæ maiestati, tuæ indiuiduæ Trinitati commendo animam meam ad suscipiendum, ad consolandum, ad saluandum. Rogo te Domine per sanctam incarnationem, per tuam sanctam natiuitatem, circumcisionem, oblationem, baptismum, passionem, resurrectionem, ascensionem, per aduentum Spiritus sancti, per tuum iudicium futurum, vt me digneris absoluere ab his vinculis meis: & animam meam illuc velis perducere, vbi consolationem recipiat de omnibus tribulationibus suis. Et cum multa in hunc modum orasset, addidit vsitatas laudationes Domini, dicens: Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in sæcula. Benedicta sit creatrix & gubernatrix omnium, sancta & indiuidua Trinitas & nunc, & semper, & per infinita sæculorum sæcula. Itemq; addidit, dicens: Commendo animam meam Dominæ meæ sanctæ Mariæ perpetuæ virgini ad suscipiendum, & consolandum, & conseruandum: sancto Michaëli, & vniuerso exercitui cœli: sancto Ioanni Baptistæ, & sanctis Prophetis omnibus: & sancto Ioanni Euangelistæ, sancto Petro, cunctisq; sanctis Apostolis: sancto Stephano, cunctisq; sanctis Martyribus: sancto Nicolao, & omnibus sanctis Confessoribus: sanctæ Margaretæ, & omnibus sanctis Virginibus: omnibus Sanctis Domini: vt sint mihi intercessores apud Dominum, & animam meam cum de hac vita migrauerit suscipiant, & adiuuent eam apud Dominum: vt ibi collocetur, vbi cum sanctis animabus consolatione perpetua frui mereatur. Et cum omnes sorores dixissent Amen, *Oratio Elizabeth.*

ſalutauit Dominam noſtram dicens: Salue regina miſericordiæ, vitæ dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filiæ Euæ. Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eya ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte. Et IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende, ô clemens, ô pia, ô dulcis Maria.

Alma redemptoris mater, quæ peruia cœli
Porta manens, & ſtella maris, ſuccurre, cadenti
Surgere qui curat populo: tu quæ genuiſti
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem.
Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.

Te ſanctum Dominum in excelſis, laudant omnes Angeli dicentes: Te decet laus & honor Domine. Cherubim quoque & Seraphim, Sanctus proclamant, & omnis cœlicus ordo dicens: Te decet laus & honor Domine. Saluator mundi, ſalua nos omnes. Sancta Dei genitrix virgo ſemper Maria, ora pro nobis. Precibus quoque ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum atque ſanctarum Virginum, ſuppliciter petimus, vt à malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc & ſemper perfrui mereamur. Ad hæc Dominicam orationem addidit, & ſymbolum, & confeſſionem ad circumſtantes. Et nouiſſime adiecit dicens: Domine Deus meus, tu digneris ſuſcipere omnia verba mea quæ dediſti mihi, quia nullatenus ea habere potuiſſem, niſi tu mihi præſtitiſſes. Et dictis omnibus his, totis viribus defecit, ita vt iam moritura videretur, ac diu in eo defectu permanſit. Sicut autem illi promiſerat Domina noſtra, erat (vt referebat nobis) continue videns viſionem quæ in præfata quarta feria apparuerat ei. Sed aliquibus temporibus manifeſte magis quam aliis, ita vt nonnunquam de ſupernis lucem magnam vſque ad ſe effuſam aſpiceret: ac Dominam noſtram cum aliis plurimis ſanctis, in tantum ſibi appropinquare videret, vt iam ſe æſtimaret transferendam. Cumq; accideret hoc ei, toto ſenſu & totis viribus illuc conuertebatur: neque loquelam habere poterat, aut vllam attentionem ad nos, ita vt iam adeſſe finem eius æſtimaremus.

CAPVT X.

Cur tranſitus eius aliquantulum dilatus eſt, & quomodo ad omnes ſe habebat & contra.

CVm autem poſt vnum aut poſt duos dies loquelam recepiſſet, cœpit conqueri miſerabiliter dicens: Heu quid fiet, heu quid fiet? & hæc ſæpius repetebat. Interrogantibus autem nobis cur hoc diceret? ait: Quos videbam mihi appropinquare, & de quibus æſtimabam quod iam tollerent animam meam, iterum alio aſcendunt & elongantur à me, & non à me tollunt. Hoc autem ſæpius infra illos decem dies contingebat. Vna autem die videbat Angelum Domini qui familiaris ei erat, aſſiſtentem ſibi ac dicentem: Quod ita Dominus tranſitum tuum prolongat, ideo facit, vt tanto à pluribus glorificetur in te. Et quidem ita factum eſt. Nam multi tam ex vicino quam ex longinquo qui agnouerant gratiam Domini in illa, audientes verbum quod exierat de inſtanti fine eius, quotidie affluxerunt, cum magno deſiderio videndi eam. Et quamuis non habeamus conſuetudinem admittendi extraneos ad infirmos noſtros, ex conſilio tamen plures qui importuni nobis erant, ædificationis cauſa admiſi ſunt: metuentibus nobis ne forte ex hoc ipſo aliquid ſuſpitionis conciperent, ſi ab omnium aſpectibus diligenter fuiſſet occultata. Illa autem patientiſſime hoc ferens, & infirmitatis acerbitatem, animi fortitudine diſſimulans, ſedere coram illis ac ſecundum quod illis competebat, de ſalute ſua admonere non pigritabat. Hortabatur ſiquidem clericos qui in preſbyteratu erant, irreprehenſibiliter viuere, ac bonis exemplis populum ædificare, quibus & dicebat: Veſtrum eſt dilectiſſimo Domino vos exhibere familiares magis cæteris hominibus per bonam conuerſationem & ſanctum miniſterium veſtrum, quatenus in regno ſuo poſt hanc vitam ſibi familiarius vos adiungat. Eos vero qui non in eo ordine erant, hortabatur non ſe ſubtrahere à familiaritate Domini: ſed benevole ſe exhibere promotioni ad ſacrum miniſterium Dei, & de iis quæ ſunt Dei ſolicitos eſſe. Militares quoque perſonas hortabatur tueri plebem, ſubuenire oppreſſis, bonorum ſuorum decimas dare, abſtinere à rapina, à veſtium ſc iſſura & pertuſione, nec non à fornicatione, affirmans fornicatores non ſolum feriri pœnis gehennæ poſt hanc vitam, ſed in hoc ſæculo prolis infœcunditate aut nimia infœlicitate. Popularibus quoque ſuadebat fidelitatem ſeruare Dominis ſuis, & ſibi inuicem, & paupertatem ſuam patienter ſuſtinere, & pro poſſe eleemoſynas dare, deuotos eſſe ad viſitandas Eccleſias, & ad inuocandum Dominum creatorem ſuum. Non ſolum autem præſentes hortabatur in bonum, ſed abſentibus quoque nonnullis monita ſalutis mandabat, & detractionis offenſam longe poſitis remittebat. Cunctos vero communiter deprecabatur, vt poſt obitum eius in orationibus & eleemoſynis eius memores eſſent. Denique ſi cuncta rationabilium ſermonum eius verba, ſanctaſque orationes quas faciebat illis diebus ſingillatim proſequi velim, certe non mediocris libri volumen me conſtruere continget. Erat autem omnibus non parua admiratio ſuper prudentia eius, & glorificabant virtutem Dei in illa, cuius ſolius operatione id fieri poterat, vt tam fragili corpore ancilla Domini tanto tempore ſuſtineret abſque omni alimento viuere, & nihilominus ſic ſederet affluens ſermonibus tantæ diſcretionis. Iuxta petitionem eius, fecit ei Dominus in hac re. Nam ſicut referebat nobis, ſæpe à Domino poſtulauerat in orationibus ſuis, vt in fine ei præſtaret ſobriam infirmitatem, & quæ edacitatis expers eſſet. Singulis autem diebus ad tantum

venie-

veniebat defectum, vt nihil aliud nisi finem eius expectaremus: & vel bis, vel amplius, dicebatur letania super eam: necnon Euangelia Dominicæ Passionis recitabantur. Sicut autem ad Passionem Domini, magnam semper habuerat deuotionem, ita Dominus, & diem & horam Passionis suæ, defunctioni eius destinauit. Nam in sexta feria mane dicebat iis quæ in circuitu eius erat, hodie omnes qui mihi familiares sunt diligentem mihi custodiam exhibeant, quia prope est hora mea. Et cum remoueri fecisset lectum, erat sedens in puluillo, & innixa vni sororum, & familiariter loquens lachrymabilia multa cum iis qui aderant vsque ad horam sextam & exinde cepit laborare spiritus difficultate. Tunc ergo aduenies dominus Abbas cum presbyteris, rursus eam muniuit benedictionibus & letania. Me autem suggerente ei de communione sancta, signum fecit mihi quoniam glutiendi vires non haberet. Et quidem non hoc ei periculosum fore æstimaui, si tunc abstineret, quia pridie communicauerat mea administratione.

CAPVT XI.

De exitu eius.

POST hæc nobis discedentibus, dicebat illi soror cuius pectori accumbebat. Tu nobis dilectissima indicare solebas de sororibus nostris morientibus, quali tempore adesset finis earum, & quando deponere eas in ciliciũ deberemus. Nunc vero idipsum de te scire non possumus, nisi ipsa indices nobis. Et ad hoc quidem siluit, & post pusillũ me festinato aduocari fecit. Et cum per modicum tempus coram ea quod futurum erat præstolarer, tam ego quam frater noster clericus religiosæ conuersationis, quem ad hoc ipsum ex longinquo vocaueram, cœpit vocis officio destitui, & nihilominus orationes more solito ore volutare, leuatis sursum oculis deuote intendens ad superna. Nouissime autem quasi memor verbi quod dixerat prædicta soror, de indicanda hora depositionis suæ, extendit manum, & cum magna celeritate tribus vicibus nobis significauit, vt deponeretur super cilicium quod erat stratum coram ea. Quod cum fecissemus, sic ea iacente in leni agone, dicta est letania semel à sororibus. Secundo à domino Abbate, & fratrum conuentu. Post hæc circa horam nonam, quasi suauiter obdormiscens, reddidit spiritum Domino, decimoquarto Calendas Iulij.

CAPVT XII.

De sacerdote quodam, subito erumpente in laudes eius, & sepultura officio.

TVNC vnus ex assistentibus presbyteris diligens eam in Christo, in hanc vocem cum lachrymis erupit, dicens: Proficiscere nunc anima sancta in requiem tuam. Ascende sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Intra in gaudium Domini tui. Domine IESV CHRISTE Saluator mundi, suscipe animam quam creasti, animam quam sanguine tuo redemisti. O Maria mater misericordiæ, suscipe nunc ancillam tuam. O virgo virginum, agnosce nunc virginem tuam. Angele sancte suscipe animam tibi commissam, & deduc eam in pace vbi requiescat à laboribus suis. Respexit autem Dominus humilitatem ancillæ suæ, quæ per omnia sibiipsi despecta semper extiterat: & honorificauit Deus nouissima eius magnificis obsequiis populi multi, qui vsque ad tertium diem, Dominicum videlicet quo sepulta est, vndique per circuitum sponte confluxit. Et quidem dum adhuc viueret & incolumis esset, frequenter de mortis suæ appropinquatione loqui solebat, & optabat pia intentione, dicens: Vtinam migrare me contingat de hac vita sub tali tempore, quo nihil importunitatis aut molestiæ patiantur ab aeris intemperie qui venturi sunt ad exequias meas, ac tanto maiori deuotione memoriam mei agere possint. Quod & factum est. Non enim tota illa æstate placidius illuxerat tempus, quam illo triduo erat. Et quamuis esset mœror omnibus nobis super discessu eius, gratiosa tamen quadam iucunditate perfundebantur omnium corda congratulantium beatæ conuersationi eius. Quamuis autem immutabili consuetudine caueatur apud nos, vt nunquam extra limina cellæ procedat sororum congregatio, ob venerationem tamen singularis gratiæ Domini quam euidenter in ancilla sua operatus fuerat, placuit venerabili patri nostro, cunctisq; pariter fratribus, hunc illi singularem præstare honorem, vt cunctæ pariter discipulæ, venerabile funus magistræ sequi & obsequium ei in sepultura exhibere permitterentur. Igitur per manus earum quas ad hoc ipsa denominauerat, necnon & beatricis comitissæ quæ & infirmitati & funeri eius deuota affuerat, reposita est in loculo secus altare Domino omnibusq; sacris virginibus dedicatum in Ecclesia B. Florini. Anno ætatis suæ XXXVI. Decimo quarto Calendas Iulij, feria sexta, hora nona. Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto. Visitationis suæ anno decimo tertio, ex quo eam visitauerat paterna gratia Domini nostri. Qui in cunctis miserationibus suis sit benedictus in sæcula sæculorum,

A M E N.

Obiit ætatis 36. ann. 1164 Iunij. 8.

DE TRANSITV ELIZABETH FOELICIÆ Virginis cum Christi perpetua benedictione Libelli

F I N I S.

INDEX
RERVM PRAECIPVARVM
IN LIBROS REVELATIONVM
SS. HILDEGARDIS ET ELIZABETHÆ
VIRGINVM.

P. paginam, n. numerum paragraphorum, c. columnam paginæ indicat.

A.

ABel castitatis impulsu Deo offert munera, pag. 44. num. 2 & 3.
Acies variæ spirituum cœlestium quid, p. 25. n 1. & seqq.
Adæ lapsus cœlum & paradisum clausit, p. 37. n. 27.
Adhortatio ad pœnitentiam & fugam peccatorum, p 22. & 23. n. 30. & 31. & p. 168. col. 1. ad colendum Deum, p 32. n. 4. 6. & 10. ad Eucharistiam frequentandam. p 63 n. 21. & seqq. & p. 67. n. 34 & 35. ad bona opera exercenda, p. 112. n. 34. ad Deo laudes decantandas p. 165. n. 10. & 11. ad Rectores Ecclesiæ, p. 199. c. 1. & 2.
AEdificium quadrangulum monti inædificatum quid, eiusdemq; descriptio, p. 96. n. 4. 5. & seqq. vsque ad fin. Visionis 2. & p. 151. n. 22.
Adolescentibus certa viuendi regula præscribitur, pag. 202. c. 2.
Aër obscurus subito exortus quid, p. 29. n. 7.
AEther purissimus pelli inuolutus designat fidem, p. 11. n. 11. in eo visæ multæ sphæræ, ibid. n. 12. flatus & turbines ab eodem erumpentes, ib n. 13.
Alæ tres albæ in capite mirabilis formæ, & earum significatio, p. 109. & 110. n. 15. & seqq.
Angelorum diuersæ acies S. Hildegardi apparent, p. 25. & 26. n. 1. & seqq. Obsequium eorum circa Missæ Sacrificium, p. 60. n. 6. magna eorundem multitudo circa imaginem visa quid, p. 105. n. 17. Laus ipsorum & gloria cœlestis, p. 162. n. 1. Plures apparent S. Elisabethæ virgini, p. 177. c. 1 cuiusdam protestatio de annuntiandis verbis Libri viarum Dei, p. 205. c. 1. Vide etiam Missa. Sacerdos.
Anima est magistra interiorum virium hominis, p. 21. n. 25. & velut succus in arbore, ita ipsa in corpore. ib. n. 26. animarum peccantium conditiones diuersæ, p. 3. n. 8. pœnitentis querela, p. 15. n. 2. & seqq. & p. 163. n. 2. eiusdem certamen & militia, p. 16. n. 3. 4. & 5. Deum diligentium felicitas, p 31. n. 14. peccatricis confusio & infelicitas p. 43. n. 15.
Animus est in homine tabernaculum voluntatis, p. 20. n. 22.
Apostolorum laus æterna & gloria cœlestis, p. 163. n. 1.
Apparitiones, vide Visiones.
Aqua cur vino immiscenda in Sacrificio Missæ, p. 66. n. 30. & p. 69. n. 44. & seq. vide Missa.
Auaritia Ecclesiasticorum quam abominanda, p. 199. c. 1. & 2.
Aurora in terra apparens quid, p. 30. n. 12. & 14. alia in pectore imaginis muliebris, p 35. n. 10.

B

Baptismus est velut gladius ad expugnandum diabolum, p. 36. n. 18. omnibus ad salutem necessarius, p. 37. n. 28. & seqq. & p 42. n. 10. & seqq. Patrini in eius susceptione adhibendi, p. 39. n. 32. & 33. peccata delet. ib. n. 35. ab impio licet Sacerdote collatus, nihilominus est validus, p. 39. n. 36. & 37. in periculo mortis à quolibet homine conferri potest. ibid. n. 38.
S. Benedictus alter Moyses ob insignem vitæ disciplinam, p. 49. n. 21. Apparet S. Elisabethæ virgini, p. 169. c. 2. & p. 171. c. 2.
Bestiæ quinque deformes in diuersis speciebus apparentes S. Hildegardi virgini quid, p. 152. n. 1. vsque ad 8.
Bestialitatis peccatum quam Deo abominandum, p. 76. n. 78.
Blasphemiæ peccatum grauissimum, p. 57. n. 57. remittitur à Deo per pœnitentiam. ibid. & n. 59.
Brachia splendentia imaginis muliebris quid, pag. 34. n. 4.

C

Cantus dulcissimus Virginum ante thronum Dei, p. 46. n. 8 & 9. vide etiam Musica.
Caput muliebris imaginis ornatum quid, p. 34. n. 3. aliud mirabilis formæ, p 107. n. 1. & seqq. cur formæ mirabilis. ibid. & immobile, p. 109. n. 10. quare altius eleuatum. ib n. 11. coloris ignei. ib. n. 13. nudam habens formam. ib. n. 14. tribus ornatum alis. ib. n. 14. prorsus mutum, p. 112. n. 30. aliud visu deforme, p. 154. n. 15. à plaga curatum, p. 157. n. 23. descriptio eiusdem & operationes, p. 158. n. 24. & seqq.
Caro est velut ancilla animæ potentijs subiecta, p. 21. n. 25 remedia contra carnis vitia, p. 196. c. 2.
Castitatis schema quale, p. 127. n. 8. & p. 134. n. 20. eius donum Sacerdotibus necessarium, p. 73. n. 62. & seqq.
Castorum tria genera, p. 74. n. 70.
Charitas quanta virtus, eiusdemq; schema ac descriptio, p. 126. n. 3. & p. 135. n. 25. quanta coniugum esse debeat, p. 4. n. 12. & seqq.
Christus in Cruce pendens muliebrem imaginem sanguine suo perfundit, p. 58. n. 1. & 2. eius aduentus signa, p. 161. n. 1. 5. & seqq. Eiusdem Passionis, Resurrectionis. & Ascensionis mysteria S. Elizabethæ virgini repræsentata, p. 179. c. 1. & seqq. denuo à peccatoribus crucifigitur, p. 183. c. 2.
Circulus fulgidus aurei coloris exiens à sedente in throno quid, p. 92. n. 10 gyrans se per quatuor orbis partes, p. 93. n. 11. immensæ altitudinis, ib. n. 12. diffundens infinitum splendorem calybeum, ib. n. 13. & 14.

INDEX RERVM.

Circumcisio omnibus Iudæis in Vet. Test. præcepta, & ad salutem necessaria, p. 36 n. 22. & p. 38. n. 30. per Baptismum abolita, ibid.

Clauium cœlestium nomine quid intelligendum, p. 79. n. 69.

Cœlibatus Ecclesiasticis necessarius, p. 73. n. 63. & seqq.

Columna calybei coloris aspectu terribilis visa à S. Hildegarde virgine quid; eiusdemq; descriptio, p. 102. n. 1. & seqq. alia tornatilis inter duos angulos, p. 103. n. 10. magnæ claritatis, p. 104. n. 15. alia in angulo occidentali fortissima & purpureæ nigredinis, p. 121. n. 1. & seqq. quid eius diuersi anguli, p. 122. n. 4. 5. 7. alia umbrosa ad meridiem, p. 125. n. 1. omnigenis vallata virtutibus. ibid. earum enumeratio, p. 126. n. 1. & seqq. & p. 131. n. 15. & seqq. quare meridiem respiciat, p. 130. n. 10. cur obumbrata, & vbinam posita. ibid. n. 11. & 13. eius ascensus adinstar scalæ. ib. n. 14. aliæ septem marmoreæ rotundæ quid, p. 142. n. 23. & seqq.

Compunctionis vera effigies, p. 150. n. 17.

Concordiæ imago, p. 151. n. 19.

Confessio sacramentalis peccatorum noua est resurrectio, p. 77. n. 82. in antiquis Patribus præfigurata. ib. n. 83. in periculo mortis cuilibet homini fieri potest, ib. n. 85. alias Sacerdoti facienda, p. 78 n. 86. & 87.

Confessorum laus & beatitudo æterna, p. 163. n. 1.

Coniugium non ad libidinem, sed liberorum procreationem à Deo institutum, p. 5. n. 16. & p. 6. n. 20. & 23. vetitum inter consanguineos, pag 6. nu. 17. & 18. quare apud Iudæos inter sanguine iunctos præceptũ, p. 6. n. 19. quibus illud ineundum, ibid. nu. 20. & 21. quando coniugibus Ecclesiam intrare prohibitum, ibid. & n. 22. qualiter viuere debeant, p. 193. c. 1. & seq male viuentes quàm miseri, ibid. eorum vitia, p. 194. c. 2. sterilitas interdum vnde fiat, p. 195. c. 2.

Constantiæ vera effigies, p. 150. n. 15.

Contemptus mundi vera imago, p. 150. n. 18.

Continentium via qualis p. 195. c. 2.

Corpus Christi, vide Eucharistia.

S. Crucis in cœlo apparitio, p. 175. c. 1.

D.

Desiderij cœlestis vera effigies, p. 150 n. 16.

Desperationis peccatum licet grauissimum per pœnitentiam à Deo remissionem meretur, p. 57. 58. 59. neminem ob peccatorum multitudinem desperandum, p. 78. n. 86.

Deus est inspector actuum humanorum, p. 2. n. 6. plures Deos existere quàm inconuenies, p. 3. n. 7. eius voluntati nemo valet resistere, p. 19. n. 14. in tribulationibus se inuocantes exaudit, p. 22. & 23. n. 30. Sub Trinitate personarum adorandus, p. 32. n. 4. eius ignorantia multorum malorum causa, p. 36. num. 20. scrutator est arcanorum, p. 50. n. 29. In Sacramento Eucharistiæ essentialiter præsens, pag. 63 n. 19. Illud per verba Sacerdotis perficit, p. 68. n. 36. bonum operatur in hominibus, p. 112. n. 33. quomodo timendus, p. 115. n. 13. & seqq. electos suos tentari quidem permittit, sed non succumbere, p. 169. c. 1.

Diabolus Adamo & Euæ beatitudinem inuidens insidias struit per serpentem, p. 3. n. 10. & 11. pœnarum suarum eos vult esse participes, p. 5. n. 16. eius ac damnatorum in homines crudelitas, p. 3. n. 5. hominis redemptionem nesciuit, p. 14. n. 30. dicendus pater Sacerdotum lasciuorum, p 73. n. 65. Contritus per Christi Passionem & mortem, p. 95. n. 19. sanctas personas grauiter tentare à Deo permittitur, p. 168. c. 2. S. Elisabethæ virgini in phantasmate apparet, p. 169. c. 1. per totum, & p. 170. c. 1. item in specie delicati Clerici. ibid.

Diaconis castitatis donum necessarium, p. 74. n. 68. & 69.

Dierum nomine quid mystice designetur, p. 155. n. 18. & 20.

Diuitiæ terrenæ ac cœlestes quomodo parentur, p. 2. n. 7.

Diuortium prohibitum exemplo Adami & Euæ, p. 4. n. 12. & seqq. & p. 50. n. 26.

E

Ecclesia per muliebrem imaginem diuersicolorem adumbrata, p. 24. n. 2. & 8. S. Hildegardi in forma turris exhibita. ibid. à Deo fundata, p. 50. n. 28. Christo in Cruce pendenti desponsata, p. 58. n. 1. & 2.

Ecclesiasticorum vitia, p. 199. c. 2. qualiter viuere debeant, p. 224. c. 2.

Ecclesiastica Censura quid, & in quos ferenda, p. 79. n. 98. & seqq.

Ecclesiasticæ institutionis ordines in duabus vijs sita, p. 53. n 39.

Egbertus Abbas S. Florini frater S. Elisabethæ p. 167. c. 1. & 2. Eiusdem visio, p. 212. c. 1. & 2.

Eleemosyna fida veræ pœnitentiæ comes, p. 78. n. 88. & seqq.

Elementa concussa post peccatum Adami & Euæ, p. 8. n. 28. Accusant hominem inobedientiæ contra Deum, p. 110. n. 18. Eorundem vehemens concussio in iudicio extremo, p 160. n. 1. & 2.

S. Elisabetha Virginis humile de seipsa iudicium, p. 167. & 168. c. 1. & 2. infirma ab Angelo sanatur & confortatur, p. 183. c. 2. eius agonizatio, pag. 221. c. 1. Reuelationes suas morte comprobat. ib. c. 2. eius ad sorores & Abbatem exhortatio, pag. 223. c. 1. oratio ante mortem. ib. c. 2. desiderium mortis, p. 224. c. 2. Obitus, p. 225. Varias licet esset illiterata, ex infusione Spiritus S. dictatas ad diuersos mittit Epistolas, p. 210. & 211. itemq; per totum Librum quintum. Eius varias visiones & apparitiones vide in verbo Visiones.

Epistolas varias S. Elizabeth ex infusione Spiritus S. pronuntiatas vide p. 212. & per totum Librum quintum.

Eremitarum insignis viuendi regula, p. 202. c. 1.

Eucharistiæ veritas diuinitus ostensa S. Hildegardi virgini, p. 58. n. 1. & seqq eam sumentium diuersæ conditiones, ibid. & p. 70. & 71. n. 51. & seqq. datur in sanctificationem fidelium, p. 6. n. 5. sub speciebus panis & vini, p 60. n. 7. 8. 9. & p. 63. n. 19. & seqq. diuina virtute sub Missa sursum eleuatur, p. 61. n. 13. in vltima cœna à Christo Domino instituta, p. 63. n. 22. ex pane quare conficienda, p. 65. n. 26. & p. 69. n. 44. & seqq. itemq; ex vino sanguis Christi, p. 66. n. 28. 29. & p. 69. n. 44. cur in Missæ sacrificio aqua vino immiscenda p. 66. n. 30. & p. 69. n. 44. per verba Sacerdotis à Deo perficitur, p. 68. n. 36. à Sacerdotibus ieiunis conficienda, ibid. n. 39. non in quantitate, sed sanctitate recipienda, pag. 69. n. 41. de eius veritate haud dubitãdum, p. 96. n. 43. & p. 72. n. 60. sub vna & vtraque specie potest sumi, p. 69. n. 46. eam indigne sumentium pœna, pag. 71. n 58 summa

cum

cum reuerentia ac diligentia tractanda & custodienda, p. 72. n. 59. eius misteria haud perscrutanda, ib. n. 60. & 61. quanta sit virtutis, p. 185. c. 2. vide etiam Missa.

Excommunicationis sententia à quibus, & in quos ferenda, p. 79. n. 98. & p. 80. n. 99. & seqq.

F

Feneſtræ in ſummitate turris quid, p. 40. n. 4. plures aliæ in monte coloris ferrei diuerſis hominum capitibus ornatæ, p. 2. n. 6.

Fides per montem radici immenſi lapidis coniunctum adumbrata, p. 95. n. 2. 3. 4. illi interiores hominis actus conformes eſſe oportet, p. 36. n. 16. Eius verum ſchema, p. 126. n. 6. & p. 135. n. 23. Quodnam eiuſdem ſignum, p. 161. n. 4. & ſeqq.

Filij ex fornicatione aut adulterio nati ſæpe peruerſi, p. 5. n. 14. item monſtroſi, p. 19. n. 15.

Flamma coloris aërij in igne quid, p. 29. n. 4. fulminans. ib. n. 6. extendens ſe ad glebam, ib. n. 8. tres habet virtutes, p. 32. n. 7. erumpentes flammæ ex ore tetri vermis, p. 82. n. 13. alia petens nubes, ibid. n. 15. alia homines adurens, p. 83. n. 17. alia caligoſa. ib. n. 18. alia petens abyſſum, ib. n. 19.

Fornicationis crimen, & pœna, p. 4. n. 13. 14. & 16. & p. 7. n. 23.

Fortitudinis vera effigies, p. 151. n. 20

Frigus globo igneo obuians quid, p. 10. n. 6.

G

Globus ignis rutilantis in igne apparet S. Hildegardi virgini, p. 10. n. 4. & 11. alius arenoſus in medio elementorum, p. 11. n. 16.

Gloria beatorum quanta, p. 161. n. 7. & ſeqq. vſque ad finem Viſionis 11. & p. 162. n. 1. & ſeqq. vſque ad finem Libri 3.

Gradus ſeptem marmorei iuxta quadratum lapidem quid, p. 145. n. 1. & p. 149. n. 6.

Gratia diuina vera effigies, & eiuſdem effectus, p. 127. n. 9.

H

S. Hildegardis virginis humile de ſemetipſa iudicium, p. 28. n. 1. & p. 85. n. 1. eius varias Viſiones vide in Voce Viſiones.

Homo diuina conſilia ſcrutari non debet, p. 6. n. 16. & p. 8. n. 31. eius miſera conditio, p. 8. n. 30. liberatus ex poteſtate diabolica, ib. n. 31. & 32. comparatur horto, ib. n. 33. inſtar ouis errantis reducitur. ib. in fictilibus lac portantes quid, p. 19. n. 13. eius tres ſemitæ, anima, corpus, & ſenſus, p. 20. n. 18. cuiuſdam ſplendidus de aurora egreſſus, p. 30. n. 14. & ſeqq. & p. 35. n. 15. magna eorum turba ſole lucidior circa imaginem puellarem, p. 45. n. 8. alia multitudo albatorum coram ardente luce, p. 80. & 81 n. 1. & 3. alij velociter currentes, p. 81. n. 6. ad cœlum tendentium tres acies, p. 83. n. 16. per limum figuratus, p. 87. n. 5. 6. 7. item per ædificium obliquum, p. 96. n. 6. multitudo eorum tenebroſis veſtibus induta quid, p. 105. n. 18. oues dicti homines, & quare. ib. n. 19. & ſeqq. alij noua veſte amicti, p. 107. n. 23. picturæ quorundam in arcubus muri quid, p. 115. n. 11. alij iuxta murum ædificij diſcurrentes, p. 140. n. 17. & ſeqq.

Homicida ſui ipſius ſeipſum perdit ac damnat, p. 57. n. 60. ſimilis eſt Lucifero, p. 58. n. 61.

Humilitate expugnatur diabolus, p. 9. n. 34. eius laudes, p. 51. 52. n. 32. & ſeqq. vera eiuſdem effigies ac deſcriptio, p. 126. n. 1. & 2. & p. 133. n. 19.

Hypocritis comminatur Deus, p. 186. c. 1.

I

Idololatræ quomodo illudantur à diabolo, p. 18. nu. 11.

Ieiunio carnis luxuria expugnanda, p. 37. n. 62. & p. 196. c. 2.

